S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IM LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

SUMMO PONTIFICI PIO XI DICATA

VOLUMEN III

EXPLANATIO IN GENESIM

PATAVII

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII

MCMXXXV

IN PRAEPARATIONE:

PRIMUM QUADRAGESIMALE S. LAURENTII
A BRUNDUSIO ORD. MIN. CAPUCCINORUM

OPERUM OMNIUM VOLUMEN IV

Pretium praesentis voluminis lib. it. 90

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORD. FF. MIN. CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA



F. Stephanus a Carpio Cap. pinxit a. 1786 — In Conventu Cap. Regii Lepidi

S. LAURENTIUS A BRUNDUSIO MISSAM CELEBRANS

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IM LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

SUMMO PONTIFICI PIO XI DICATA

VOLUMEN III

EXPLANATIO IN GENESIM

PATAVII

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII

MCMXXXV

FR. VIGILIUS A VALSTAGNA

TOTIUS ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM MINISTER GENERALIS (l. i.)

Praesentium virtute annuimus ut editio Operum Omnium Sancti Laurentii a Brundusio O. Min. Cap., a Patribus Provinciae Nostrae Venetiarum iuxta textum originalem elaborata et adnotationibus illustrata, iam sub Praedecessore nostro incoepta, servatis de iure servandis, publici iuris fieri possit.

Datum Romae ex Curia Nostra generali,
die 11 Aprilis 1935

FR. VIGILIUS A VALSTAGNA
Min. Gen.lis Cap.

(L. S.)

Attente perlegimus volumen tertium Operum Omnium Sancti Laurentii Brundusini, quo continetur eiusdem « Explanatio in Genesim ». Nihil in eo invenimus a mente Ecclesiae alienum at omnia fidei et morum dogmatibus consona.

Friburgi Helvetiorum die 25 Martii 1935

FR. HILARINUS A LUCERNA O. M. Cap.
Cust. Gen.

FR. CRISPINUS AB APPENZELL O. M. Cap.
Lect. Theol.

Nihil obstat quominus imprimatur

Patavii, die 23 Apr. 1935

Can.cus Doct. OLIVUS LUISETTO
Cens. Ecc.

Imprimatur

Patavii, die 24 Apr. 1935

† CAROLUS AGOSTINI Episcopus

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITA'

Dal Vaticano, die 18 Maii 1938

REV.ME PATER,

Augustus Pontifex eadem benevolentia qua retro sibi oblata volumina a S. Laurentio a Brundusio exarata amplexus est, id quod novissime exhibuisti (vol. II Lutheranismi Hypotyposis) accepit.

Beatissimus Pater de hoc munere iucunde affectus, frugiferis laboribus, quos in edendis huiusmodi libris impenditis, prosperos auspicatur processus ac tibi sodalibusque tuis amantissime benedicit.

Interea qua par est observantia me obsigno

Tibi
addictissimum
E. Card. PACELLI

Rev.mo Patri
VIGILIO A VALSTAGNA
Ministro Generali O. F. M.
S. Francisci Capuccinorum

PRAEFATIO

AD EXPLANATIONEM IN GENESIM

I. - DE S. LAURENTII OPERE EXEGETICO GENERATIM

Sacrarum litterarum studium S. Laurentium summo amore prosecutum esse facile constat. Quisquis enim eius opera omnia etiam obiter perlegerit Sacrorum librorum locos, phrases, verba, allusiones passim deteget. Tum ipse Sanctus declarat[1], legendis Sacris Scripturis tempus omne, studia omnia, se dedicasse, imo profitetur[2] divinae veritatis lucem ad cognoscenda et interpretanda mysteria mentis suae oculis magno splendore illuxisse, quo et supercoelestis sapientiae thesauros et naturalis philosophiae ditissimum archivium in libris sacris adinveniret. Reapse indagandis libris inspiratis cum divinitus instructus tum humana naturali indole optima praeditus apparet. Praeter ingenium perspicacissimum quo pollebat, eum praeclare iuverunt mirabilis memoriae vis et linguarum orientalium prodigiosa peritia. Tanta enim memoriae facilitas ei inerat, ut iuvenis, novitius Veronae degens, conciones semel auditas ad litteram conscripserit[3], atque, ut studiis

1) Cf. *Prooemium ad Explanationem*, pag. 4.

2) Cf. ibid. pag. 3.

3) Cf. P. Angelo da Voltaggio Cap. *Vita del Ven. P. Lorenzo da Brindisi*, lib. 1, cp, 3, pag. 18, Venezia, Giovanni Teverini, 1754; P. Bonaventura da Coccaglio Cap. *Vita del B. Lorenzo da Brindisi*, lib. 1, cp. 4, pag. 23, Roma, Casaletti, 1783; *Vita del B. Lorenzo da Brindisi* dedicata a S. A. R. il Serenissimo Arciduca Pietro Leopoldo d'Austria dal P. Erardo da Radkerspurgo Cap. lib. 1, cp. 4, pag. 27-28, Venezia 1785, Simone Occhi; P. Lorenzo d' Aosta Cap. *Vita di S. Lorenzo da Brindisi*, lib. 1, cp. 4,

theologicis absolutis, Scripturas nedum latinas, hebraicas si deperiissent retexere propter memoriae fidelitatem sibi licere affirmaret [4]. Linguas etiam orientales graecam, chaldaicam, hebraicam adeo callebat, ut glossolaliae donum ei a Deo infusum coaevi dictitarent [5], quippe quem ipsi Hebraei ob eius linguae hebraicae rerumque hebraicarum perfectam scientiam Hebraeum putavissent [6]. Denique ad studia Scripturarum optime accinctus invenitur philosophica, dogmatica, exegetica, patristica praeparatione, quae inde etiam elucet, quod praeter auctores Hebraeos, Patres Graecos et Latinos, maxime plurimos exegetas ex ipsis eorundem scriptis directe novit, itidem etiam quamplures auctores profanos legit [7].

Tantus erga Sacras Scripturas amor, tamque solida ad easdem pertra-

pag. 32, Roma, Tipografia Poliglotta 1881. In processu informativo de virtutibus et miraculis servi Dei P. Laurentii a Brundusio, Venetiis in Curia Patriarchali habito a. 1624 - 1625, dicitur: « Questo benedetto padre fu miracoloso di scienza e di memoria perchè una volta in Verona essendo egli giovanetto andò alla predica del Padre Hebreetto dominicano e così gli restò impressa nella memoria detta predica che di lì a non so che giorni la distese tutta onde venendo il detto Padre Hebreetto al nostro monastero il superiore gli mostrò detta predica dicendo che era stata composta da un giovinetto e vistala da detto Padre lui si alterò dicendo questa è mia compositione, per il che il nostro Superiore gli raccontò la verità che il Padre Brindisi l' haveva distesa per haverla solamente udita dalla sua bocca predicare ». *Copia del Processo*, quae Venetiis servatur inedita in archivio Provinciae nostrae, lib. M. pag. 130-131.

4) Cf. P. Bonaventura da Coccaglio op. cit. lib. 1, cp. 4, pag. 26; P. Angelo da Voltaggio op. cit. lib. 1, cp. 4, pag. 19; P. Erardo da Radkerspurgo op. cit. lib. 1, cp. 4, pag. 30; P. Lorenzo d' Aosta op. cit. lib. 1, cp. 4, pag. 31-32.

5) Cf. P. Bonaventura da Coccaglio op. cit. lib. 1, cp. 4, pag. 27; P. Lorenzo d'Aosta op. cit. lib. 1, cp. 4, pag. 29. Iuxta P. Angelum a Voltaggio ipsemet S. Laurentius velatis verbis declarasse fertur linguam hebraicam spatio unius noctis intercessione SS. Virginis se didicisse. Cf. op. cit. lib. 1, cp. 4, pag. 18-19. « Più volte l' istesso padre Lorenzo mi ha detto confidentemente, che lui conoscevo, che per grazia specialissima di Dio lui haveva infusa tutta la sua dottrina da S. D. M. et in particolare la lingua greca, hebraica et caldaica senza che da persona alcuna gli fossero state insegnate ». *Copia del Processo*, lib. M. pag. 96.

6) Cfr. P. Angelo da Voltaggio op. cit. lib. 1, cp. 3, pag. 18-19; P. Bonaventura da Coccaglio op. cit. lib. 1, cp. 4, pag. 25-27; P. Erardo da Radkerspurgo op. cit. lib. 1, cp. 4, pag. 29-30; P. Lorenzo d' Aosta op. cit. lib. 1, cp. 4, pag. 31. « Fu così erudito nella lingua hebraica che alcuni Rabbini dicevano che era impossibile che lui non fosse nativo hebreo perchè proferiva alcune parole che dicono che chi non è hebreo nativo non le può proferire in quella maniera ». *Copia del Processo*, lib. M. pag. 131. Et alibi: « Hic Dei servus de mandato Summi Pontificis per plures annos Hebraeis Romae publice legit, illosque catholicam fidem hebraice loquens docuit, saepius etiam convicit et confudit; in Ianuensi Provincia pluribus in civitatibus ad hebraeos concionem dixit, adeo ferventer hebraice etiam loquendo ut ipsimet seniores et Rabbini summopere admirarentur et prae confusione nunquam similem audisse dicerent ». Lib. G. n. 22.

7) « Fece mirabili progressi nelle scienze singolarmente nella Scrittura Sacra e nella lingua ebraica che era stimato un oracolo ». *Copia del Processo*, f. 24^b. Et alibi: « Omnes pene scriptores sacros perlegit et in omnibus versatus fuit ». Lib. G. n. 10.

ctandas praeparatio S. Laurentium impulerunt, ut quantum liceret non quantum liberet exponendis eisdem operam navaret. Eum sibi proposuisse, ut plures libros interpretaretur, variis occasionibus ipse enuntiat. In cap. 2 *Explanationis in Genesim* [8] loquens de Dei nomine τετραγράμματον, subiungit : « De quo nos, Deo vitam simul et gratiam praestante, super *Exodum* aliquid afferemus in medium ». Iterum paulo post [9], de Matrimonio verba faciens et Divi Pauli sententiam *ad Ephesios* adducens ulteriorem de matrimonio tractatum promittit : « Suo enim loco, Deo duce, expendemus ». Denique in cap. 4, postquam de gratia et libero arbitrio paululum locutus est [10], noluit tunc proferre « pleraque alia, quae ad aliud tempus opportunius et seriosius tractanda relinquimus » ; quo fortasse explanationem in Ep. *ad Romanos* indicat. Praeterea inter opera S. Laurentio tributa explanatio in *Ezechielem* recensetur [11]. At neque tractatus supra memoratos unquam scribere ei licuit, neque explanatio in *Ezechielem* ad hodiernum diem innotuit. Reliquum est ut de *Explanatione in Genesim*, quam hoc volumine edimus, verba faciamus.

II. - DE EXPLANATIONE IN GENESIM SPECIATIM

Descriptio Codicis. – Codex qui Explanationem hic publicatam continet in Archivio FF. Capuc. Provinciae Venetae inter opera S. Laurentii asser-

8) Pag. 210. 9) Pag. 247. 10) Pag. 363.

11) Hoc opus etiam P. Dionysius Genuensis se vidisse testatur. *Bibliotheca Scriptorum Capucinorum*, pag. 215, Genuae 1691, Io. Bap. Scionici. Cf. *Praefatio in hanc Editionem Universam*, vol. 1, pag. XII. Aliud testimonium ex imagine huic volumini praeposita colligere licet. Denique verba P. Ambrosii a Florentia afferre libet, unde apparet S. Laurentium de aliis etiam operibus scribendis cogitasse: « Soleva dire molte volte al Padre (Laurentio, tunc provinciali, cuius ipse comes a secretis erat) che avendogli fatta grazia Dio benedetto d'una intelligenza tale, quale lui haveva della Scrittura, e delle scientie etiam minime, cioè Mathematica, Arithmetica et altre, che non mettesse in carta qualche cosa per beneficio della Religione e di tutta la Chiesa santa: mi rispondeva; che volentieri l' havrebbe fatto, quando havesse havuto opportunità di tempo, come havesse finito anco alcune selve che lui cotidianamente faceva, voleva mettersi a fare sopra la Scrittura, come anche cominciò e fece sopra il Genesi, l'Esodo, e il Levitico con l' espositione letterale e poi con la parafrase appresso non gli mancando altro che gli altri sensi. *Copia del Processo*, lib. M. pag. 171.

vatur. Membrana religatus, magnitudine externa 16 × 22 ½cm ., interna descripta 12 × 17 ½ cm., foliis constat 270, non 269, ut collector per errorem, numerum 34 repetens, numeravit. In tegumenti exteriore parte sigillum rubro colore impressum prostat, cum inscriptionibus : « IHS », infra : « Archiv. A. », infra: « Colto : P – 6 », infra : « Busta – – », et tandem : « Fascic. 1º ». In dorso inscriptio aliena manu confecta habetur : « Explanatio in Genesim S. Laurentii a Brundusio propria manu eiusdem ». Iterum similis inscriptio invenitur in schedula agglutinata in margine superiore primi folii, ea quoque ab aliena manu conscripta : « Admodum Reverendi Patris Laurentii a Brundusio concionatoris Capuccini Explanatio in Genesim manu propria eiusdem ». Codicis charta est philacea subflavi coloris. Scriptura vero nunc lata, nunc spissa, adeo ut aliqua folia difficilia lectu sint. Additiones frequenter in margine et in calce, maxime in capitibus 1 et 2 appositae sunt a manu, quae textum codicis scripsit.

Authentia operis. – *Explanationem in Genesim* codice descripto traditam esse opus genuinum S. Laurentii ipsiusque manu conscriptum sine dubio constat. Etenim ut a criteriis externis initium sumamus, inter opera S. Laurentii quae in eodem Archivio tanquam reliquiae religiose asservantur, primum locum occupat. Praeterea cum aliis operibus genuinis a S. Congregatione Rituum recognitum et revisum est. Denique, inscriptionibus codici appositis non neglectis, ex ipsis criteriis internis indubia signa authentiae colliguntur. Ipse enim modus scribendi – ductum dico, abbreviandi methodum, neglectum interpunctionis –, itidem stylus, character, loquendique usus S. Laurentii sunt, quales ex ceteris operibus iam noti sunt.

Tempus quo S. Laurentius *Explanationem* confecerit definire haud possumus. Verisimile tamen est, illam assignandam esse annis 1584–90, ei nimirum tempori, quo Hebraeis praedicabat vel quo munere Lectoris Theologiae et S. Scripturae fungebatur [12]. Siquidem tempus postea ad huiusmodi opera componenda ei defuisse videtur. Fuit enim regimini Provinciarum Tusciensis,

12) Cf. *Praefatio in Editionem Universam*, vol. 1, pag. VII; *Praefatio Generalis in Lutheranismi Hypotyposim*, vol. 2, part. 1, pag. VIII-IX.

Venetae, Helveticae, Genuensis praefectus, dein Commissarius Generalis Coloniam Agrippinam et Pragam a Clemente VIII usque ad annum 1599 missus, paulo post (1602) ad totius Ordinis regimen evectus, denique tandem Delegatus Spiritualis in bello contra Turcas et ad mortem usque in omnibus fere Europae aulis apud principes, reges, imperatores, Summos Pontifices continuis legationibus consumptus [13]. Denique eaedem occupationes in causa fuisse videntur, ut opus non absolveretur.

Scopus auctoris. – Qua intentione, quo fine ductus S. Laurentius *Explanationem* composuerit ac prelo destinaverit [14], cum ex operis indole infra describenda, tum ex temporum adiunctis adumbrare licet. Eo tempore Hebraeorum conversioni instigante Romana Sede et ab aliis et a S. Laurentio multum adlaboratum esse constat. Siquidem Gregorius XIII, die 29 Augusti 1584, litteris Apostolicis « Sancta Mater Ecclesia » [15], omnibus praelatis, quavis dignitate, licet cardinalitia, insignitis, curam tamen animarum habentibus, praeceperat, ut per viros apostolicos inter limites respectivae iurisdictionis singulis sabbatis conciones ad Hebraeos, lingua quidem hebraica, fieri curarent, in quibus Iesu Messianitas, Scripturis secundum normas catholicas expositis, comprobaretur. Tum, audita sanctitatis fama et admirandae doctrinae S. Laurentii, eundem, praedicatione quadragesimali Venetiis annis 1583-4 summa cum laude absoluta [16], Romam accersivit, ut ei Evangelium Hebraeis

13) Cf. *Praefatio in Editionem Universam* vol. 1, pag. VIII-IX.

14) Opus prelo destinatum esse elucet ex *Prooemio*, ubi hisce verbis S. Laurentius protestatur: « Deum Optimum Maximum... rogo... ut nunquam a veritatis nec latum quidem unguem aberrem; sed coelesti semper lumine ductus... vera possim a falsis discernere, ne quo errore deceptus, a semita veritatis aberrans, aliosque, si quos acciderit mea haec scripta e parietibus domesticis edita in lucem ut legant, similiter deceptos faciam aberrare ». Pag. 5.

15) Cf. *Magnum Bullarium Romanum*, t. 2, pag. 512. Sumptibus Henrici-Alberti Gosse, Luxemburgi 1742.

16) « Detto P. Lorenzo appresa la teologia fu admesso a predicare, onde lui predicò doi anni continui la Quaresima in Venezia in S. Giov. Novo con grand' ammirazione di tutta la città per la gravità de suggetti, che lui predicava essendo giovine di 25 anni al più ». *Copia del Processo*, lib. M. pag. 96. Natus est autem a. 1559. Ergo praedicationem quadragesimalem in S. Io. Novo probabilissime absolvit a. 1583-1584. Nescimus autem quibus rationibus fulti eius biographi supra citati unanimiter affirment eum praedicationem quadragesimalem absolvisse Venetiis in Ecclesia S. Ioannis annis 1583-1584, adhuc diaconum, cum ex documentis in Curia Patriarchali Venetiarum existentibus constet eum sacrum presbyteratus or-

annuntiandi munus concrederet. Quod quidem officium, a Clemente VIII confirmatum [17], Laurentius tum Romae tum in aliis Italiae exterisque civitatibus magna omnium, ipsorum quoque Hebraeorum admiratione exercuit. Quibus ut etiam scripto prodesset, zelo apostolico eum ad commentandos Libros Sacros esse impulsum dubium non est. Si quis tamen S. Laurentium ut scholae tanquam lector s. Theologiae inserviret, commentandis Scripturae libris insudasse putaverit, id non negabimus, sed etiam tum Iudaeis convertendis eum adlaborasse ex indole commentarii constat.

Ipsa Explanatio. – Inter opera S. Laurentii *Explanatio in Genesim* proprium habet locum, quippe cum sit Commentarium stricte dictum. Ita vero res absolvuntur. Post brevem introductionem [18] in qua studium Scripturarum summis laudibus extollit, S. Auctor quattuor dissertationibus praeliminaribus de tropis [19] et schematibus verborum [20] et sententiarum [21], porro de Scripturarum multiplici sensu [22] fuse tractat. Tum, ansa sumpta ex versu primo capitis 1 *Geneseos*, duabus dissertationibus *De Mundi Creatione in Tempore* [23], *De Principiis Rerum* [24] philosophicas instituit quaestiones. Introductionis tractatibus absolutis, Commentarium ipsum sequitur, amplectens exegesim 11 capitum.

Commentans caput 1, praeter textum Vulgatae latinae, etiam textus originales hebraicum et chaldaicum (i. e. primam Paraphrasim chaldaicam),

dinem anno 1582 suscepisse. *Ordinat.* lib. V (2), f. 60: « Die sabati 4 Temporum post festum S. Luciae XVIII m.s Xbris 1582. Ordinatio generalis tenta per Ill.mum et R.mum in X.po p.rem et D. D. Ioannem Trivisanum iuris utr. D. Miserat. Divina Patriarcha Venetiarum Dalmatiaeque primatem, missamque in pontificalibus celebrantem in Capella S. Iusti Pat.lis Palatii, praesentibus R. D. Ioseph de Vitalibus Archidiac.o et Vincentio Cathena Canonico Ecc.ae Patriarchalis (aliis omissis)

Ad Presbyteratum (f. 65)

Fr. Petrus Venetus } Ordinis
Fr. Remigius Mantuanus } Capuzzi-
Fr. LAURENTIUS DE BRONDUSIO } norum.

Ergo cum ad sacerdotium evectus fuit 23 annorum erat, et iam sacerdos factus quadragesimalem praedicationem in S. Ioanne Novo 1583-1584 absolvit.

17) Cf. P. Erardo da Radkerspurgo op. cit. lib. 1, cp. 6, pag. 45-46.

18) Quam nos *Prooemium* inscripsimus, pag. 1-6.

19) Pag. 7-19. 20) Pag. 20-29. 21) Pag. 30-38. 22) Pag. 38-52. 23) Pag. 53-78. 24) Pag. 78-109.

interdum Targum Ierosolymitanum (quam vocant secundam Paraphrasim chaldaicam) latine versum[25] commentario praemittit. In aliis vero capitibus textui Vulgatae latinae Editionis iungit versiones tantum latinas textuum hebraici et chaldaici et graeci, hinc inde tamen adducens ipsa verba hebraica, chaldaica, graeca, quando interpretatio textus inde pendere videbatur. Cum textus hebraicum, chaldaicum, graecum, tum Patres et philosophos graecos S. Auctor ipsemet ex textu originali directe latine vertit; nullis nempe utens versionibus eo tempore notis.

Sensui litterali inveniendo S. Auctor praecipue insudat. Quapropter, ut veriorem certioremque sensum attingat, magna cura etymologiam vocabulorum hebraicorum indagat. « Iaciendum enim primo est, ait, verissimum litterae fundamentum, ne falso fundamento littera innitatur »[26]. Tum Rabbinorum antiquorum sententias, indicatis nominibus, saepissime etiam Hebraeorum traditiones affert in medium, postea Sanctos Patres catholicosque exegetas allegat, ut denique tandem suam ipsius sententiam saepius ab aliorum interpretum opinionibus diversam aperiat, « sapientiorum iudicio cuncta relinquens »[27]. Data occasione post versuum expositionem, addit disquisitiones theologicas vel philosophicas [28].

Fontes in Explanatione adhibiti. – Ex iis quae diximus apparet quos auctores S. Laurentius Commentarium conficiens adierit. Sunt enim praeter veteres Rabbinos maioris inter Hebraeos auctoritatis collectiones rabbinicae, haggadicae, talmudicae, tum inter catholicos praesertim Nicolaus Lyranus, Tostatus; Sanctis Pagnini magnum Lexicon Hebraicum, quod *Thesaurus Linguae Sanctae* inscribitur, frequenter adhibet. Denique plurimorum opiniones, tacitis nominibus, saepe adducit dicendo: *alii dicunt*, *nostrates dicunt*, *alii tenent*, etc.

25) Versio latina huius secundae Paraphrasis chaldaicae invenitur etiam in fine primi tomi *Bibliae Maximae* P. Io. De La Haye; sed S. Auctor directe, ut solet, ex originali hebraico ipsemet vertit.

26) *Dissert.* 4 pag. 47.


27) Cp. 5, pag. 444; cp. 7, pag. 509: « Sapientioribus sua sensa relinquens ».

28) De iustitia originali cp. 2, pag. 248-253; de libero arbitrio, cp. 4, pag. 351-363; de immortalitate animae, ibid. pag. 369-380; de omnipraesentia Dei, ibid. pag. 394-402; de anima intellectiva forma substantiali corporis, cp. 5, pag. 431-440; de immutabilitate Dei, cp. 6, pag. 483-491; cp. 8, pag. 518-521.

Quod ad textum hebraicum et chaldaicum Bibliorum et Rabbinorum attinet, verisimile est, a S. Laurentio adhibitam esse *Bibliam Rabbinicam Masoreticam*, Venetiis a. 1568, iuxta Hebraeos 5328, cura Ioannis de Gara editam. Exemplar enim nunc in Bibliotheca Marciana Venetiis asservatum et a nobis feliciter detectum inscribitur: « Loci Venetiarum Fr. Capucinorum », ductu eodem quo alii bibliothecae Capuccinorum libri insigniti apparent: ex qua igitur suppressis Ordinibus Religiosis a. 1810 surrepta esse videtur. Accedit quod in editione inveniuntur Commentaria Rabbini Aben Ezrae et Rabbini Salomonis Iarchi, vel simpliciter RaScI, in *Pentateuchum* frequentissime a S. Laurentio allegata. Nostra sententia eo etiam confirmari videtur, quod textus chaldaicus *Geneseos* et Commentariorum Aben Ezrae et Salomonis a S. Auctore adductus cum hac memorata editione concordat, cum aliae editiones ab Ario Montano et a Complutensi Universitate eo tempore factae [29] aliquantulum discrepent. Denique annus editionis tempori quo S. Laurentius Commentarium suum composuit proximus est.

Momentum Explanationis. – De valore huius Explanationis iudicium definitivum historicis relinquentes, aliqua tantum tangemus. Cognitio linguae hebraicae mirabilis demonstratur, itidem fontium accurata simul ac independens usurpatio, bene fundatarum opinionum ab Auctore propositio; denique etiam expositionibus intermixtae disquisitiones theologicae ac philosophicae soliditate praestant. Omnia etiam, ex more, lingua eleganti et polita exprimuntur. Certe si statim ac confecta in lucem edita esset, S. Scripturae studiosi eo tempore non modicam inde utilitatem hausissent. Eo vel magis quod praeter consuetudinem opiniones Rabbinorum et fideliter et benigne proponantur ac ponderentur. Dolendum igitur, ut his finem faciamus, etiam hoc opus

29) In eadem Bibliotheca Marciana *Bibliam Hebraicam cum versione latina Xantis Pagnini* (23 X 36), Antuerpiae, ex officina Christophori Plantini MDLXXXIIII, invenimus. Hacc Biblia quoque S. Auctori valde probabiliter nota fuit; habet enim notam manuscriptam: « Patrum Capuccinorum »; et: « Ad usum fratris Georgii Veneti cappni, et etiam reliquorum, cum omnia sint communia ». Insuper inter varias adnotationes manuscriptas, quibus in margine foliorum conspersa est, in primo folio, frontem libri prospiciente, illa etiam invenitur explicans varios sensus dictionis בראשית in partes resolutae et iterum diversis modis compositae, quae licet a Pico Mirandulano desumpta, tamen a S. Laurentio recepta et in sua *Explanatione* inserta fuit (cp. 1, pag. 114-115).



N. 1 – FACSIMILE FRONTIS BIBLIAE RABBINICAE MASORETICAE TERTIA PARTE DEMINUTAE

S. Laurentii absolutum non esse, immo aliquas partes operis deperiisse [30].

III. - DE NOSTRA EDITIONE EXPLANATIONIS IN GENESIM

De textu exhibito. – Summo studio, uti semper, curavimus, ut textus codicis fideliter exhibeatur. Si quae mendae manifestae occurrerunt, eae in textu correctae sunt, lectione codicis in calce exhibita [31]. Quoad materiae dispositionem nulla difficultas nobis oberat, cum omnes partes in codice recto ordine inveniantur positae. De una exceptione lectorem attentum velimus. Agitur de particula quadam, in qua Auctor loquitur de compositione corporis humani. Ea quidem in codice posita est ad finem cap. 5, foliis 224ª–229ª, a nobis vero, propter materiae affinitatem, agglutinata est versui 7° cap. 2: *Formavit igitur Dominus Deus hominem* [32]. Ceterum ad commentarii seriem non pertinet [33]. Maior difficultas orta est ex defectu interpunctionis; eam integram nos ipsi textui adiecimus. Quoad verba hebraica, quae S. Auctor sine punctis masoreticis plerumque reliquit, ita procedendum putavimus, ut versiculos textus hebraici et chaldaici interdum signatos etiam nos omnes signaremus (utendo pro textu hebr. editione Kittel, pro textu chald. *Biblia Rabbinica Masoretica* supra memorata), aliis verbis hinc inde sparsis prout in codice prostant relictis. Quoad verba graeca, quae S. Auctor sine accentibus scripsit, semper usi sumus editione facta a L. Van Ess. Pro textu vero latino Vulgatae usui continuo erat nova *Bibliorum Sacrorum* Editio ab A. Gramatica parata. Verba denique hebraica vel graeca latinis litteris

30) Deperdita enim fuerunt non pauca codicis folia antequam a collectore in volumen redacta et numerata fuissent, ut patet ex Dissertatione 6 *De Principiis Rerum*, pag. 109, quae incompleta remansit; ex cp. 9, cuius explanatio ad vr. 16 pervenit, pag. 547; deest etiam cp. 10; cp. vero 11 ad vr. 9 ex improviso abrumpitur, ut indicant verba in calce ultimi folii ex more posita quibus folium sequens incipere debebat.

31) Cf. *Introductio in primum volumen huius Editionis*, pag. XXI.

32) Cf. pag. 216-226.

33) Particulam hanc separatim confectam fuisse manifeste apparet; nullum enim necessarium nexum cum praecedentibus habet. Nam cp. 2 ininterrupte ad finem usque perductum, ad f. 109ª circa medium explicit, et sequenti folio cp. 3 incipit; cp. vero 5 ad f. 223ª ante medium absolvitur.


a S. Laurentio conscripta, nos litteris vel hebraicis vel graecis expressimus.

De notis adiectis. - De more, locos S. Scripturae, Patrum aliorumque auctorum a S. Auctore plerumque reticitos in calce adnotavimus. In citandis Rabbinis *Biblia Rabbinica Masoretica* supra memorata, eo libentius usi sumus, quod ipse S. Laurentius eam certo certius adhibuit. *Commentarium in Pentateuchum* a Rabbino Isaac Abrabanel confectum, item *Librum Radicum* a David Kimchi compositum (in bibliothecis publicis Patavii et Venetiarum non prostantes a Domino Adulpho Doct. Ottolenghi, Rabbino maiore Communitatis Israeliticae Venetiarum, perhumaniter usui quoad licuit oblatos) citamus ex editionibus antiquis, primum titulo פירוש התורה *Phirusc Alorah*, editum Venetiis cura Sam. Archivolti, iussu Ioan. Bragadini, a Ioanne de Gara anno 1579, iuxta Hebraeos autem 5339; secundum titulo ספר השרשים *Sepher Asciarascim*, editum Venetiis per Marcum Ant. Iustinianum anno 1547, iuxta Hebraeos 5309 [34]. Commoditatis causa, ex more notis marginalibus compendium quoddam rerum in textu tractatarum adiecimus et praeter indicem synthetico-analyticum, alphabeticum quoque nominum et rerum notabilium, quae in hoc volumine continentur, confecimus. Porro ab omni prorsus commentario opinionum S. Auctoris et philosophicarum et theologicarum et biblicarum abstinendum censuimus, ne ipsum Commentarium commentari videremur. Id tamen propositum non impedivit, ne quas notas illustrativas quibus sententia S. Auctoris clarior redderetur adiungeremus, vel, ne textus hebraicos interdum nimis serviliter a S. Auctore versos, ex contextu hebraico diligenter inspecto explicaremus.

Hisce praelibatis, gratias iis referimus ex corde, qui pretioso auxilio nobis fuerunt in hoc volumine praeparando. Imprimis Domino Ad. Ottolenghi, Rabbino supra memorato, atque Domino Prof. H. Cassuto, qui in

34) In fine huius voluminis sequentes notas manuscriptas reperimus: « Revisto per mi F. Luigi da Bologna dell' Ordine de S. Domenico Febraro 1599 ». Immediate infra: « Camillo Iagel 1613 »; et item infra: « Ego frater Renatus a Mutina Cappucinus correxi nell' anno 1621 ».

Hic frater Renatus a Mutina quondam hebraeus erat, sed postea ad fidem christianam conversus, anno 1609 in Ordinem nostrum Parmae ingressus est; de quo cf. P. Cirillo da Bagno *Memorie Storiche sui Cappuccini Emiliani*, vol. 1, cp. 9, n. 3, pag. 145-152, Parma, Premiato Stab. Tip. Lit. F. Zafferri 1912.



N. 2 - FACSIMILE FRONTIS COMMENTARII IN PENTATEUCHUM
RAB. ISAAC ABRABANEL TERTIA PARTE DEMINUTAE



N. 3. — FACSIMILE FRONTIS LIBRI RADICUM RAB. DAVID KIMCHI TERTIA PARTE DEMINUTAE

notis circa Rabbinos conficiendis nos iuverunt, tum maxime Reverendissimo Patri Hilarino a Lucerna et R. P. Crispino ab Appenzell provinciae Helveticae, totius editionis revisoribus et censoribus, qui integrum opus perlegerunt consiliisque sapienter adstiterunt.

Denique Reverendissimo Patri Vigilio a Valstagna qui, Operum S. Laurentii edendorum consilio alacriter coepto atque quattuor tomis omnium plausu editis, tribus abhinc annis in Supremum nostri Ordinis Moderatorem et eiusdem S. Laurentii successorem unanimi capitularium voto assumptus est, hunc nostrum laborem, quisquis ille est, in filialis obsequii et peramantis animi signum humiliter offerimus.

Patavii die 1 Ianuarii 1935

Patres Editores

ELENCHUS AUCTORUM

QUI A S. LAURENTIO ET A NOBIS CITANTUR [1]

Aben Ezra Abraham Rabbinus * in *Biblia Rabbinica Masoretica.*

Abrabanel Isaac Rabbinus * *Explanatio Legis,* seu *Commentum in Pentateuchum,* פירוש התורה, *Phirusc Atorah.* Vide in *Praefatione* facsimile frontis huius libri, n. 2.

Aegidius Romanus *Hexameron,* D. Aegidii Columnae Romani Archiepiscopi, Patavii, apud Iacobum Fabrianum 1549.

Alexander ab Alexandro *Geniales Dies,* Iac. Mazochius, Romae 1522.

Alexander Halensis *Summa Theologica,* Ad Claras Aquas, typographia Collegii S. Bonaventurae 1928.

Antiqui Rhetores Latini, Argentorati, Io. Gotofr. Bauerus 1756.

Aphrodisius Alex. * *Alexandri Aphrodisiensis Peripatetici Doctissimi De Anima* liber primus, Hieronymo Donato patritio veneto interprete; *De Anima* liber secundus una cum commentario de *Mixtione,* Angelo Caninio Angloriensi interprete, apud Hier. Scotum, Venetiis 1559.

Apollodorus *De Diis,* Salmurii, apud Io. Lenerium 1661.

Appianus Alex. *Romanorum Historiarum,* ex officina Io. Ianssonii a Waesberge et Io. a Someren, Amstelodami 1670.

Aptowitzer V. *Kain und Abel in der Agada, den Apokryphen, der hellenistichen, christlichen, und muhammedanischen Literatur,* Wien und Leipzig 1922.

Aquila * in *Hexapla* Origenis.

Aquila Romanus *De Figuris Sententiarum,* in *Antiqui Rhetores Latini.*

Aratus Selensis *Phaenomena* sive *Apparentia,* Basileae, per Henricum Petri 1561.

Aristophanes, *Comoediae Undecim* curante P. Burmano Secundo, Lugduni Batavorum, Sam. F. Luchtmans 1790.

Aristoteles Stagirita * Opera Omnia, Isaaci Casauboni, Lugduni, apud Guillelmum Laemarium 1590.

Averrois * *De Partibus et Generatione Animalium,* Romae, Silber als Franck 1521; *Digressiones in Omnes Libros Metaphysicae Aristotelis,* Venetiis, apud Hier. Sco-

1) Signum * denotat Auctores a S. Laurentio citatos.

tum 1541; *Aristotelis De Anima libri tres cum Averrois Commentariis*, Venetiis, apud Iuntam 1562.

BARDENHEWER O. *Manuale di Patrologia.* Vers. it. di A. Mercati, Roma, Desclée 1908.

BELLARMINUS ROB. S. *Controversiae Christianae Fidei*, Venetiis 1603, apud Societatem Minimam.

BELUACENSIS VINC. O. P. *Speculum Naturale*, Argentorati, Io. Mentelin 1469-1476.

Bereshit Rabba * Ed. Theodor Albeck.

BEYERLINCK LAUR. *Theatrum Vitae Humanae*, Coloniae Agrippinae, sumptibus Ant. et Arnoldi Hieratorum 1631.

Biblia Rabbinica Masoretica cum Commentariis Rab. Aben Ezrae et Rab. Salomonis Iarchi, seu *RaScI.* Vide in *Praefatione* facsimile frontis huius libri, n. 1.

BIGNONE ET. *Empedocle*, * *Della Natura*, Torino, fratelli Bocca 1916.

BONAVENTURA S. Opera Omnia, Ad Claras Aquas, typographia S. Bonaventurae 1885.

BOYVIN Io. Gabr. *Philosophia Scoti*, Parisiis, apud Edmundum Conterot 1681.

Breviarium Romanum.

BRUGENSIS L. in *Critici Sacri.*

BUTEONIS C. Io. *De Arca et Noe*, in *Critici Sacri.*

BUXTORFIUS Io. pater *Lexicon Hebraicum et Chaldaco-Bbilicum*, Romae 1789, ex typographia Io. Zempel; *De Abbreviaturis*, Lud. König vel Regis, Basileae 1640.

BUXTORFIUS Io. filius *Dissertationes Philologico-Theologicae*, typis Iacobi Deckeri, Basileae 1662.

CAELIUS LUD. *Lectionum Antiquarum*, Francofurti et Lipsiae, Dan. Fievetti 1666.

CAIETANUS-THOMAS DE VIO *Commentarii Illustres in Quinque Mosaicos Libros* Thomae de Vio Caietani quondam Cardinalis S. Sixti: adiectis insuper ad marginem annotationibus a F. Antonio Fonseca Lusitano, Parisiis, apud Guillelmum de Bossozel 1539.

CALMET AUG. *Commentarium Litterale in Omnes et Singulos tum Veteris tum Novi Testamenti Libros*, Venetiis, apud Sebast. Colletti 1730 sqq.; *La Storia dell' Antico Testamento*, Venezia, presso Nicolò Pezzana 1725; *Dictionarium Historicum*, apud Sebast. Colletti, Venetiis 1726.

CANTÙ CES. *Storia Universale*, Torino, G. Pomba 1844.

CAPELLA MARTINIANUS *De Rhetorica*, in *Antiqui Rhetores Latini.*

CAPITONUS FEL. *Explicationes Catholicae Locorum fere Omnium Veteris et Novi Testamenti*, Venetiis, apud Guerraeos Fratres 1579.

CARTWRIGHTUS in *Critici Sacri.*

Catechismus Romanus, Patavii, typis Seminarii, 1930.

CENSORINUS *De Die Natali*, Lugduni Batavorum, Io. Maire 1542.

CHARISIUS *Ars Grammatica*, C. Barwick, Lipsiae, G. B. Taubneri 1925.

CICERO * Opera Omnia, Lugduni, Sybilla a Porta 1588.

CLARIUS I. in *Critici Sacri.*

CONIMBRICENSES *Commentarii* Collegii Conimbricensis *in Libros Aristotelis*, Venetiis, Iacob. Vincentium et Ricciardum Amadiscum 1602.

CORNELIUS a LAPIDE *Commentaria*, Venetiis, apud Hier. Albrici 1700.

CORNELY R. *Introductionis in S. Scripturae Libros Compendium,* Parisiis, P. Lethielleux 1927.

CRITICI SACRI sive *Annotationes Doctissimorum Virorum in Vetus ac Novum Testamentum* Amstelodami, Guillelmus Van de Water 1698.

CURTIUS Q. RUFUS *Historiae,* ex typographia Seminarii, Patavii 1730.

DE COLONIA D. *De Arte Rhetorica,* Alb. Pezzoni, Mantuae 1732.

Decretales, * Venetiis, apud Iuntas 1595.

DE GUBERNATIS ANG. *Storia dei viaggiatori italiani nelle Indie Orientali,* Livorno, Fr. Vigo 1875.

DE LA HAYE IO. *Biblia Maxima Versionum,* Lutetiae Parisiorum 1660.

DE LOLLIS *Scritti di Cristoforo Colombo* pubblicati ed illustrati da Cesare De Lollis, Roma 1894.

DE MUIS S. in *Critici Sacri.*

DENZINGER-BANNWART S. I. *Enchiridion Symbolorum,* Friburgi Brisgoviae 1928.

DE ROSSI IO. BERN. *Dizionario Storico degli autori Ebrei e delle loro opere,* Parma, Reale Stamperia 1802.

DIODORUS SICULUS *Rerum Antiquarum Historiae,* Lugduni, Seb. Gryphii 1559.

DIOGENES LAERTIUS *De Vita et Moribus Philosophorum,* Antuerpiae, Christophori Plantini 1566.

DIONYSIUS CARTUSIANUS *In Genesim et Exodum,* Monstrolii, typis Cartusiae 1896.

Dizionario Classico di Medicina e Chirurgia, Venezia, Giuseppe Antonelli 1831-1840.

DRUSIUS IO. in *Critici Sacri.*

DU HAMEL IO. B. *Biblia Sacra* una cum selectis annotationibus, Venetiis, ex typographia Balleoniana 1731.

DUPORTUS IAC. *Homeri Gnomologia,* Io. Field, Cantabrigae 1660.

ELIEZER RABBINUS * apud *Talmud* et Rab. Salomonem.

EMPORIUS RHETOR *De Ethopoeia ac Loco Communi,* in *Antiqui Rhetores Latini.*

EPHRAEM SYRUS S. *In Genesim,* Venetiis, Gasp. Gerardus 1756.

FAGIUS P. in *Critici Sacri.*

FANENSIS F. *Sacra Biblia* Vulgata Editione, Translat. ex Hebraeo Sanctis Pagnini, Translat. Romana ex Septuaginta, et Chaldaica Paraphrasis Transl. congesta Fratris Fortunati Fanensis, Venetiis, apud Antonium Pinellum 1709.

FICINUS MARSILIUS *Sententiae Pulcherrimae,* Basileae 1576.

FORCELLINI AEG. *Lexicon Totius Latinitatis.*

GALENUS Galeni Omnia quae extant studio Io. Bapt. Rosarii emendata et in libros Hippocratis et aliorum Commentarii, Venetiis, Vinc. Valgrisius 1562.

GENUENSIS A. *Elementa Metaphysicae* mathematicum in morem adornata ab Antonio Genuensi, Neapoli 1751, typis Benedicti et Ignatii Gessari.

GINZBERG L. *The Legends of the Jews,* I-VI, Philadelphia 1909-1928.

GIORDANI VESP. *Dizionario Universale della S. Bibbia,* Antonelli, Venezia 1856.

GIOSEFFO FLAVIO HISTORICO * *Delle Antichità Et Guerre Giudaiche* in Venetia, appresso Aless. Vecchi 1604.

GRAMMATICUS IO. PHILOPPONUS * Francisci Vicomercati Mediolanensis *In Octo Libros*

Aristotelis De Naturali Auscultatione Commentarii, Lutetiae Parisiorum, apud Voscosanum 1550; *Scholia in 1 Meteor. Aristotelis*, Venetiis 1551; *In Procli Diadochi Duodeviginti Argumenta de Mundi Aeternitate*, Io. Mahotio interprete, Lugduni 1557; *In Tres Libros De Anima Aristotelis*, Venetiis, apud Hier. Scotum 1554.

GROTIUS H. in *Critici Sacri*.

GYRALDI LILIUS GREG. *De Annis et Mensibus*, Mich. Isingrinius, Basileae 1541; *Historiae Poetarum*, Basileae 1545.

HELVICIUS C. in *Critici Sacri*.

HENRICUS STEPHANUS *Thesaurus Linguae Graecae*, 1573 sine loco.

HERGENRÖTHER G. *Storia Universale della Chiesa*, Vers. It. di E. Rosa S. I. Firenze 1905 sqq.

HERODOTUS apud Henricum Stephanum *Thesaurus Linguae Graecae*.

HESICHIUS MILESIUS *De Iis Qui Eruditionis Fama Claruere*, Coloniae Allobrog., apud Sam. Crispinum 1616.

HESIODUS * *Theogonia* sive *De Generatione Deorum*; *Opera et Dies*, Patavii, typis Seminarii 1747.

HIPPARCHUS * *Phaenomena*, apud Migne Patrologia Graeca.

HIPPOCRATES * apud Galenum.

HOMERUS * *Ilias*, Parisiis, in officina Christ. Wecheli 1538; *Odyssea*, Patavii, typis Seminarii 1777.

HÖPFL H. *Introductio in Sacros Utriusque Testamenti Libros*, vol. 2, in Collegio S. Anselmi de Urbe 1931.

HORATIUS *Carmina*, Bassani, typis Remondini 1844.

HUETIUS *Tractatus De Situ Paradisi Terrestris* apud Blasium Ugolinum *Thesaurus Antiquitatum Sacrarum*.

HYGINUS C. IUL. *Fabularum* Liber; *De Signorum Ceolestium Historiis*, Basileae, per Io. Hervagium 1549.

Ialkut. *

IAMBLICUS * *De Mysteriis Aegyptiorum*, Romae, apud Ant. Bladium 1556.

ILDEFONSE (P.) DE VUIPPENS *Le Paradis Terrestre au Troisième Ciel*, Paris, Fribourg 1925.

IONAS RABBINUS * apud Rab. Aben Ezram.

IONATAS BEN UZIEL RABBINUS *Versio Persica Genesεos*, Interpretatio Latina apud Io. De La Haye *Biblia Maxima Versionum*, vol. 1, pag. 447.

IOSEPH RABBINUS. *

IOSI RABBINUS filius Chanina. *

IOSUE RABBINUS. *

ISAAC RABBINUS. *

ISOHAC RABBINUS * apud Rab. Abrabanel.

IUSTINUS *Historiarum Philippicarum et Totius Mundi Originum et Terrae Situ*, ex officina Adr. Wingaerden, Lugduni Batav. 1650.

IUVENALIS * *Satyrae*, Patavii, typis Seminarii 1705.

KIMCHI DAVID RABBINUS * *Liber Radicum*, ספר השרשים, *Sepher Asciarascim.* Vide in *Praefatione* facsimile frontis huius libri, n. 3.
KIMCHI IOSEPH RABBINUS. *
KITTEL R. *Biblia Hebraica, Genesis*, Lipsiae, I. C. Hinrichs 1909.
LABBEUS PHILIP. *Sacrosancta Concilia*, Lutetiae Parisiorum 1671.
LEIAY GABR. FRANC. S. I. *Bibliotecha Rhetorum*, excusa Parisiis 1725, denuo recusa Monachii 1728.
LEVI BEN GHERSON RABBINUS. * *Commentum in Pentateuchum*, תועליות הרלבג, *Tohliot ARaLBaG*, Riva di Trento, Cristofel Madrucci 5320 (1560 e. n.).
LUCANUS AN. * *De Bello Civili* sive *Pharsaliae*, apud Franciscum Hackium, Lugduni Batav. 1658.
LYRANUS NIC. * *Biblia Sacra cum Glossis Interlineari et Ordinaria*, Venetiis 1588.
LUZZATTO S. D. Il *Pentateuco*, libro *della Genesi*, בראשית חמשה חומשי תורה, Padova, Premiata Tipografia edit. F. Sacchetto 1871.
MACROBIUS A. *Saturnaliorum* libri 7, Patavii, Ios. Cominus 1736.
MAGINI *Geografia*, cioè *Descrittione universale della terra* di Gio. Antonio Magini, Padova, P. e F. Galignani 1621; Venetia, Gio. G. Galignani 1598.
MALVENDA FR. TH. *De Paradiso Voluptatis*, ex typographia Alph. Ciacconi, Romae 1605.
MANNUCCIUS PAULUS *Adagia*, Venetiis 1591.
MARTIALIS M. VAL. *Epigrammaton*, Hermannus Meresius, Moguntiae 1627.
MENOCHIUS IO. STEPH. *Commentaria*, Antuerpiae, Hier. Verdussen 1678.
MERCURIUS TRISMEGISTUS * *Pimander*, *Asclepius*, Lugduni, Io. Tornaesius 1577; *Pimander* cum Commento Fratris Hannibalis Rosselli, libro 4 *De Coelo*, Cracoviae, Lazari 1584.
Midras Aggada. *
MIGNE I. P. *Scripturae Sacrae Cursus Completus*, Parisiis 1839 sqq.
Missale Romanum.
MORONI G. *Nuovo Dizionario Storico.*
MOYSES HADDARSHAN RABBINUS * *Commentum in Pentateuchum*, opus ineditum.
MOYSES MAIMONIDES RABBINUS * *Doctor Perplexorum* seu *Errantium*, מורה הנבוכים, *Moré Anebuchim*, ad dubia et obscuriora Sacrae Scripturae loca rectius intelligenda a Io. Buxtorfio latine conversus, sumptibus Ludovici König, Basileae 1629, typis Iacob Genath; *Porta Moysi*, באב מוסי, *Bab Mose*, *Dissertationes aliquot* opera et studio Eduardi Pocokii, Oxoniae, H. Hall 1655; *De Idololatria* cum interpretatione latina et notis Dionysii Vossi, Lutetiae Parisiorum 1668.
MOYSES BEN NACHMAN RABBINUS * *Expositio Legis*, חדושים בפירושי התורה, *Hidduscim Bephirusci Atorah*, Neap. 1490.
MULLACHIUS G. A. *Fragmenta Philosophorum Graecorum*, vol. 1, 1860; vol. 2, 1881, Parisiis, Firmin-Didot.
MÜLLER C. O. *Istoria della Letteratura Greca*, Firenze, Felice Le Monnier 1858.
MUNSTERUS S. in *Critici Sacri.*
NATALIS ALEX. *Historia Ecclesiastica*, Ferrariae 1762.

Natalis Comes *Mythologiae* sive *Explicationes Fabularum*, Gabriel Carterius 1596 sine loco.

Niccolai Alf. *Dissertazioni e Lezioni di S. Scrittura*, Venezia, Gio. Francesco Garbo 1765.

Nuovo Dizionario Storico composto da una società di Letterati in Francia, Bassano, Remondini 1796.

Oleaster Hier. *In Moysis Pentateuchum*, Antuerpiae, Io. Steltii 1569.

Ovidius * *Metamorphoses, Fasti*, Lipsiae, C. Tauchnitii 1828.

Pagnini אוצר לשון הקדש *Hozar Lascion Akodesc*, hoc est *Thesaurus Linguae Sanctae* sive *Lexicon Hebraicum* authore Sancte Pagnini Lucensi, Ordinis Praedicatorum, Lugduni, apud Antonium Gryphium MDLXXVII.

Patricius Fr. *Nova de Universis Philosophia*, Rob. Meiettus, Venetiis 1593.

Pausanias *Veteris Graeciae Descriptio*, versio Romuli Amasaei, Hannoviae, apud heredes Claudii Marnii 1613.

Pererius Ben. Valent. *Commentariorum in Genesim*, Lugduni, apud Iuntam 1594.

Perin Ios. *Onomasticon Totius Latinitatis*, Patavii, typis Seminarii 1913.1920.

Petavius D. *De Doctrina Temporum*, Venetiis, Bartolomaeus Baronchelli 1757.

Petronius *Satyron, Romanorum Scriptorum Corpus Italicum*, curante Hectore Romagnoli, sine loco et data.

Philo Iudaeus *De Mundi Opificio ; Legis Allegoriarum ; De Vita Mosis*, Lugduni, Ant. Vincentius 1561.

Philopponus * vide Io. Grammaticus.

Phurnutus *De Natura Deorum* vide Hyginus.

Picus Io. Mirandulanus *Heptaplus*, Venetiis, per Gulielmum de Fontaneto de Monteserra 1519.

Plato * Platonis Augusti Philosophi Opera Omnia excudebat Henricus Stephanus 1578.

Plinius Iun. *Historia Naturalis*, Venetiis, Hier. Scotus 1571.

Plotinus * Operum Philosophicorum Omnium, Basileae, ad Perneam Lecythum 1580.

Plutarchus * *De Placitis*, Francofurti 1620.

Pontificale Romanum, Venetiis, Baelleoniana typographia 1775.

Priscianus *De Exercitamentis Rhetoricae*, in *Antiqui Rhetores Latini*.

Ptolomaeus * *Geographia*, ex officina Trechsel, Lugduni 1535; *De Apparentiis* apud Migne Patrologia Graeca.

Quentin H. *Biblia Sacra iuxta Latinam Vulgatam Versionem ad Codicum fidem iussu Pii Papae Undecimi*, Polyglottis Vaticanis 1926.

Quintilianus *Institutiones Oratoriae*, Eduardus Bonnell, Lipsiae, G. B. Taubnerii 1866. 1868.

Raynaldi-Mansi *Annales Ecclesiastici*, Lucae 1747-1756.

Relandi A. *De Situ Paradisi* apud Blasium Ugolinum *Thesaurus Antiquitatum Sacrarum*.

Richter Aem. Lud. *Decretalia*, * Lipsiae, B. Tauchnitz 1839.

RUFINIANUS IUL. *De Schematis Lexeos*, in *Antiqui Rhetores Latini.*
RUTILIUS LUPUS *De Figuris Sententiarum*, in *Antiqui Rhetores Latini.*
SABELLICUS COCCIUS M. ANT. *Rapsodiae, Historiae Enneadum*, Basileae, officina Hervagiana 1538.
SALIANUS IAC. *Annalium Ecclesiasticorum Veteris Testamenti Epitome*, Lugduni, apud Iac. Faeton 1664.
SALOMON HISPANUS RABBINUS * apud Rab. Aben Ezram.
SALOMON IARCHI (RASCHI) RABBINUS * *in Biblia Rabbinica Masoretica.*
SAMUEL BEN OPHNI RABBINUS * apud Aben Ezram.
SCALIGERUS IOS. *De Emendatione Temporum*, Coloniae Agrippinae 1629.
SCHAAF H. *Institutiones Cosmologiae*, ad usum privatum auditorum Universitatis Gregorianae, Romae 1907.
SCOTUS IO. *In Quattuor Libros Sententiarum*, Venetiis, Io. Baptista Sessa 1597.
SENECA AN. *Naturalium Quaestionum*, Parisiis, apud Perier 1613.
SEPHARADDI RABBINUS * apud Rab. Aben Ezram.
SIMEON RABBINUS * apud Rab. Salomonem.
SIMMACUS * in *Exapla* Origenis
SIMPLICIUS * *Commentar. in Octo Libros Aristotelis, De Psychico Auditu*, Venetiis, apud Hier. Scotum 1566.
STANLEIUS *Historia Philosophiae*, Lipsiae, apud Th. Fritsch 1711.
STEPHANUS BYZANTINUS *De Urbibus et Populis*, Dan. Gaesbeeck, Lugduni Batav. 1668.
STEINSCHNEIDER *Catalogus Librorum Hebraeorum* in Bibliotheca Bodleiana M. Steinschneider, Berolini, typis Ad. Freidlaender 1852-1860.
STOBAEUS IO. *Eclochae Physicae*, ex officina Christophori Plantini, Antuerpiae 1575.
STRABO *Rerum Geographicarum Libri 17*, excudebat Eustathius Vignon, Atrebat. 1587.
SUIDAS *Lexicon Graece et Latine*, Godofredus Bernhardus, Halis et Brusvigae, G. A. Schrvetschke 1853.
TACITUS P. CORN. *Annales*, Lugduni, apud Seb. Gryphium 1542.
Tanchuma Bereshit.
Targum Ierosolymitanum, * sive Secunda Paraphrasis Chaldaica Geneseos R. Ionathae Ben Uziel, Interpretatio Latina apud Io. De La Haye *Biblia Maxima*, vol. 1, pag. 476.
TERENTIUS * *Comoediae*, Tiguri, apud Andr. Gesnerum sine anno.
THEMISTIUS * *Themistii Peripatetici lucidissimi Paraphrasis in duodecimum librum Aristotelis de Prima Philosophia* Mose Finzio interprete, Venetiis, apud Hier. Scotum 1558; *Physicorum Libri Octo Paraphrasis in Aristotelis de Physica* Hermolao Barbaro interprete, Venetiis, apud Hier. Scotum 1560.
THEODOTIO * in *Exapla* Origenis.
THOMAS AQUINAS S. Opera Omnia, Ioseph Bettinelli, Venetiis 1748.
TOSTATUS ALPH. *Commentarium in Genesim*, Venetiis, Io. Sessa 1596.

Tredici G. *Breve Corso di Storia della Filosofia*, Città di Castello, Scuola Tipografica Orf. S. Cuore 1930.

Ugolinus Blas. *Thesaurus Antiquitatum Sacrarum*, Venetiis 1747.

Van Ess L. ΗΠΑΛΑΙΑ ΔΙΑΘΗΚΗ ΚΑΤΑ ΤΟΥΣ ΕΒΔΟΜΗΚΟΝΤΑ, *Vetus Testamentum Graecum iuxta Septuaginta Interpretes*, cura et studio Leandri Van Ess, Lipsiae, Ern. Bredti.

Vatablus F. in *Critici Sacri*.

Vigouroux F. *La Sainte Biblie Polyglotte* Paris 1900-1909.

Virgilius * *Bucolicae, Aeneides*, Bassani, ex typographia Remondiniana 1804.

Zanolini Ant. *Lexicon Hebraicum*, Patavii, typis Seminarii 1732, apud Io. Manfrè.

EXPLANATIO IN GENESIM

PROOEMIUM [1]

Divinus Moyses, coeleste plane oraculum mundanumque miraculum, vir sanctissimo Dei Spiritu plenus, non tantum Prophetas omnes coelestium arcanorum cognitione incomprehensibilisque sapientiae Dei plenitudine [2], uti Salomon reges omnes [3], longe excelluit, ut merito Prophetarum hierarcha magnusque coryphaeus sit appellatus [4], verum etiam mortales omnes, naturalium rerum scientia edoctus in omni sapientia Aegyptiorum [5], longissime a tergo reliquit, ut iure sibi summi philosophi nomen vindicarit dicique meruerit [6] sapientium alpha. Quare cum divinus hic sanctissimusque Vates theologorum omnium, qui in antiquitate floruerunt, culmen extiterit et philosophorum omnium columen, non tantum in his, quae Spiritu Dei afflatus vel de natura vel de proprietatibus vel tandem [de] operibus summi Dei conscripsit, summa ac integerrima fides omnibus adhibenda est, verum etiam et in his, quae physice vel de natura conscripsit. Cum enim in omni Aegyptiorum, qui humanarum scientiarum fontes extitere, sapientia edoctus sit, in his, quae de natura rerum litteris demandavit, nihil contra verae philosophiae iura vel contra naturalis rationis verum exactumque iudicium immortalibus et nunquam perituris monumentis consignasse censendum est; neque enim vel ignorantia deceptum vel voluntatis vitio alios decipere voluisse quispiam sanae mentis existimabit, cum pariter sanctus

Moysi, de opere creationis scribenti, summa fides adhibenda est,

quia ipse est Prophetarum coryphaeus, theologorum culmen, philosophorum columen,

omni sapientia edoctus,

qui nec decipi poterat nec decipere volebat.

1) Inscriptio haec: « *Prooemium* » a nobis adiecta fuit. 2) Cf. Dt 34, 10. 3) Cf. 3 Rg 3, 10-12; 4, 29-34. 4) Cf. Philo Iudaeus *De Mundi Opificio*, t. 1, pag. 2; Maimonides באב מוסי (*Porta Moysis*), pag. 168-173. 5) Cf. Act 7, 22. 6) Cf. Eusebius Caesar. *Praeparat Evang.*, lib. 8, cp. 13, (P. G. 21, 651); lib. 9, cp. 6, ibid. col. 694; Migne *Scripturae Cursus*, sect. 3, t. 5, col. 78-79.

doctissimusque extiterit omnigenaque sapientia plenus. Unde ego divinum hunc virum primo quidem tanquam sacrum divinae theologiae culmen summe sum veneratus, postmodum vero tanquam humanae philosophiae columen omniumque scientiarum archivium et thesaurum vehementer sum et veneratus et pariter admiratus, maxime vero in sua cosmopoeia sive cosmogonia, idest mundi genitura, quae in Sacrae *Geneseos* hexaemeron continetur.

In exaranda sua cosmopoeia, omnes theologos et philosophos antecessit;

In hac enim mundanae totius machinae constitutione non solum theologus mihi visus est M o y s e s, divinae potentiae opera rerumque creationem edisserens, verum etiam summus philosophus, naturalis philosophiae scientiam ingenuamque cognitionem rerum naturalium tradens. Quaecumque enim vel a Platone vel ab Aristotele vel ab aliis physiologis de natura rerum tradita sunt litterisque demandata, haec omnia in Moysi cosmopoeia luce clarius tradita sub conspectum veniunt oculatius inspicienti.

In ea enim inveniuntur quae in philosophia naturali pertractantur.

Sunt autem vel maxime decem quae in philosophia naturali pertractantur : principia rerum ; communia accidentia rebus, veluti motus et tempus ; coeli astrorumque natura ; natura elementorum ; horum actio, antipathia atque sympathia ; exhalatio atque ex ea meteoricae impressiones, quae in aere fiunt ; mineralia ; plantae ; animalia, et tandem hominis constitutio per animam extrinsecus advenientem. Haec autem omnia in M o y s i cosmopoeia perfectissimo veluti compendio et ἀνακεφαλάιωσι [7] continentur, non secus ac in homine universa natura, qui ob id μικροκόσμος est sapientibus appellatus [8]. Agit enim M o y s e s de principiis rerum, coelum terramque statuens genitalia principia rerum ; agit de communibus accidentibus : motu et tempore ; agit de coeli natura et astris ; agit de elementis, terra, aqua et aere ; agit de generatione rerum ; de exhalatione ; de mineralibus ; de plantis ; de animalibus tandemque de homine. Quae quidem omnia in primis tribus Sacrae *Geneseos* capitibus, quae universam cosmopoeiam vel potius cosmographiam edocent, a M o y s e pertractata videntur, paucissimis quidem verbis

7) Ms.: *Anachephalaeosi*, et infra: *Microcosmos*. 8) S. Greg. Nazianzenus *Orat. 28*, (P. G. 36, 58); S. Greg. Nyssenus *De Hominis Opificio*, cp. 16, ibid. 44, 178-179; S. Io. Damascenus *De Fide Orthodoxa*, lib. 2, cp. 12, ibid. 94, 922; Rabanus Maurus *De Universo*, lib. 10, cp. 14, (P. L. 111, 306); S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª q. 91, a, 1, c.; 1ª 2ae, q. 17, a. 8, ad 2; Aristoteles *Physic.*, lib. 8, cp. 2, t. 1, pag. 253; Conimbricenses *De Coelo*, lib. 1, q. 1, a. 2.

brevissimisque sententiis, sed plenissimis verissimisque tum verbis tum sententiis.

Asserit S. Auctor supernam quandam motionem et illustrationem ad explanandam S. Scripturam se habuisse.

Quod quidem, cum non ab omnibus sit animadversum, Deus, qui divina Sacrarum Scripturarum mysteria mundana sapientibus prudentibus abscondit, et parvulis ea revelat [9], mihi, omnium theologorum philosophorumque minimo, haec revelare ex voluntatis suae beneplacito dignatus est, quia ipse *scientiarum Dominus est* [10]. Cum enim Sacrae Scripturae studio operam navarem, divinae veritatis lux, *quae omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat* [11], mentis meae oculis magno splendore illuxit, ut in hoc Sacrae Scripturae agro, una cum supercoelestis sapientiae, sacrae, inquam, theologiae thesauro, sacrae item philosophiae naturalis pretiosissimum ditissimumque adinvenirem archivium; quod quidem mihi eo carius pretiosiusque fuit, quod nulla alia ratione censeam certi quippiam de naturalibus haberi posse [12].

Philosophi opinabiliter de natura conscripserunt, S. Scriptura autem absoluta veritate loquitur.

Quae enim a philosophis, physiologis de natura conscripta sunt, ad opinionem universa conscripta esse semper sum arbitratus. *Cunctae* enim *res difficiles: non potest eas homo explicare sermone* [13]. *Cuncta* enim *fecit Deus bona in tempore suo et mundum tradidit disputationi* hominum, *ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque in finem* [14]. Unde cum *Deus rectum hominem fecerit... ipse infinitis se immiscuit quaestionibus* [15]. Quae autem hic scripta sunt, non ad opinionem, sed ad veritatem sunt scripta; horum enim auctor est Deus, qui naturae totius causa suprema est atque principium, rerum, inquam, omnium natura constantium artifex summus sapientissimusque effector. Quare non aliunde quam ab eo naturalium rerum cognitionem scientiamque melius possumus adipisci. Unde enim melius quam a vivo fonte pura claraque hauriri aqua potest? Deus est enim *qui docet hominem scientiam,* ut Regius Vates ait [16], ipse est omnis *sapientiae fons,* [17] *scientiarum* omnium *Dominus* et magister; quapropter idem Vates beatos dicit homines a Deo edoctos et eruditos [18]: *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.*

9) Cf. Mt 11, 25; Lc 10, 21. 10) 1 Rg 2, 3. 11) Io 1, 9. Vulg.: *Quae illuminat,* etc. 12) Ms.: *Possi.* 13) Eccle 1, 8. 14) Ibid. 3, 11. 15) Ibid. 7, 30. Vulg.: *Fecerit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuerit quaestionibus.* 16) Ps 93, 10. 17) Cf. Bar 3, 12; Eccli 1, 5. 18) Ps 93, 12.

Ideo ad veram scientiam hauriendam studium S. Scripturae maxime confert;

Missis ergo philosophorum ambagibus, qui infinitis se immiscuere quaestionibus, qui etsi per ea, quae facta sunt, multa invisibilia Dei cognoverint [19], tamen *dicentes... se sapientes esse stulti facti sunt* [20], *quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt..., sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum* [21]; qui, ut alibi Apostolus ait [22], *ambulantes in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei, per ignorantiam, quae est in illis propter caecitatem cordis ipsorum*; eam crediderim de operibus Dei potuisse claram exactamque cognitionem doctrinamque tradere, quam de coloribus caeci vel de lumine solis oculus nycticoracis aut alterius cuiuspiam avis lucifugae, nos ex purissimis mosaicae divinaeque sapientiae fontibus puram, claram ac summopere veram cognitionem scientiamque hauriendam duximus. Aequum enim visum est nobis sanctae huic lectioni tempus, quod licuerit, studiaque mea dedicare ad sacrae Moysis philosophiae interpretanda revelandaque mysteria, ut quidquid ipse de principiis rerum, de communibus accidentibus, de coelo, elementis, actionibus, exhalationibus, mineralibus, plantis, animalibus et tandem de homine dixit, afferamus in medium, promamus in lucem, interpretemur, declaremus, elucidemus, summi Dei auxilio, Christi luce et Spiritus Sancti gratia donisque freti. Quod si quid veri et certi apud exteros ethnicosque philosophos, qui physiologiam docuere, inveniemus, cum Deus sit omnis veritatis auctor, id tanquam a possessoribus iniustis repetemus; isti sunt enim, *qui veritatem Dei*, ut inquit Apostolus, *in iniustitia detinent, quia quod notum est Dei manifestum est... illis, Deus enim illis manifestavit* [23]. Si quam ergo veritatem iniuste detentam invenerimus, iuste ab eis exigemus aurumque et pretiosa quaeque ex Aegypto cum Israelitis in terram promissionis asportabimus [24], ut ex his sanctuarium Deo sacrumque nomini eius delubrum construamus. Ita enim et Salomon, rex omnium potentissimus pariter ac sapientissimus, augustissimum illud celeberrimumque templum Deo Optimo Maximo aedificaturus, ab exteris nationibus, a Tyriis, inquam, Sidoniisque, multos artifices multaque tum ligna tum lapides e monte

nec absolute reiiciendum est quidquid antiqui docuerint philosophi, sed magna diligentia verum a falso separandum est.

19) Cf. Rom 1, 20. 20) Ibid. vr. 22. Vulg.: *Se esse sapientes*, etc. 21) Ibid. vr. 21.
22) Eph 4, 17-18. Vulg.: *Ambulant.* 23) Rom 1, 18-19. 24) Cf. Ex 3, 21; 12, 35-36.

Libano est mutuatus[25]. Si quae ergo vel apud Aristotelem vel apud Platonem vel apud Trismegistum, qui omnium Moysi simillimus[26], sacrae huic divinaeque philosophiae consona [invenerimus], cum verum vero consonet semper, ea tanquam vera recipiemus, tanquam aurum non adulterinum, sed verum ad lydium lapidem probatum; dissona vero, et quae non musim, sed cum philosophia hac amusim faciunt, tanquam falsa et a veritatis luce longe distantia, a schola veritatis reiiciemus in tenebrasque exteriores relegabimus. Sic enim Deus *lucem divisit a tenebris*[27].

et hoc quidem reiiciendo, illud autem recipiendo.

Deum Optimum Maximum, a quo *omne datum optimum et omne donum perfectum*[28], rogo *genuaque mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi flecto*[29]..., *ut det* mihi virtutem *secundum divitias gloriae suae*... *ut possim comprehendere*... *quae sit latitudo, longitudo*..., *sublimitas et profundum*[30] sacrae huius divinaeque philosophiae, ut nunquam a veritatis semita, nec latum quidem unguem, aberrem; sed coelesti semper lumine ductus, tanquam sanus oculus nulla vel caecitatis obscuritate obductus, aut vertiginis cuiuspiam iniuria affectus, lucem a tenebris albumque a nigro, absque ullo errore, discernit; ita ego semper vera possim a falsis discernere ne, quo errore deceptus, a semita veritatis aberrans, alios quoque, si quos acciderit mea haec scripta a parietibus domesticis edita in lucem, ut legant, similiter deceptos faciam aberrare. Deum autem Optimum Maximum, qui cordis cogitationes et secreta scrutatur animorum[31], quem conscientiae secreta non fallunt, *omnia* enim *nuda et aperta sunt oculis eius, et non est aliqua creatura invisibilis in conspectu illius*[32], testor et Christum Iesum unicum Filium eius Dominum nostrum, qui venturus est iudicare vivos et mortuos[33], voluntatis mentisque meae hoc firmum esse propositum, hanc intentionem semper quae vera sunt et vero consona atque similia, a veritate Sacrarum Scripturarum utriusque Testamenti et catholicae fidei nec latam quidem unguiculam distantia,

Hoc opus aggressurus piissime S. Auctor Dei auxilium implorat, ne in errorem inducatur vel alios inducat.

testans intentionem suam et voluntatem plenissime catholicae veritati se conformandi.

25) Cf. 3 Rg 5, 1 sqq. 26) Cf. Lactantius *Divinae Institut.*, lib. 1, cp. 6, (P. L. 6, 139); lib. 2, cp. 11, ibid. col. 314; lib. 4, cp. 6, ibid. col. 461-462; lib. 6, cp. 25, ibid. col. 730; lib. 7, cp. 4, ibid. col. 746. 27) Gn 1, 4. Vulg.: *Divisit lucem.* 28) Iac 1, 17. 29) Eph 3, 14. Vulg.: *Flecto genua mea*, etc. 30) Ibid. vrr. 16-18. 31) Cf. 1 Rg 16, 7; 1 Par 28, 9; Ps 7, 10; Prv 15, 11; Sap 1, 6; Eccli 23, 28; Ier 11, 10; 17, 10; 20, 12; Act 1, 24; Apc 2, 23. 32) Hebr 4, 13. Vulg.: *Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius; omnia autem nuda*, etc. 33) Cf. Act 10, 42; 2 Tim 4, 1.

corde credere, ore confiteri et fidelissimo calamo litteris exarare ; ne quid unquam catholicae veritati undequaque non consonans, in his vel aliis quibuslibet scriptis meis quis legens arbitretur id temere a me assertum. Absit ! absit ! Homo sum, errare potero ; nunquam tamen cuiuslibet erroris pertinax defensor, nec assertor ; veritatis enim ingenuae ingenuum me fateor atque profiteor amatorem ; hanc semper nervis omnibus, omni studio, labore atque indagine sum prosequutus tanquam thesaurum quendam infinitum.

DISSERTATIO PRIMA [1]

DE SCHEMATIBUS ET TROPIS SACRAE SCRIPTURAE [2]

S. Scriptura multiplices sensus includit et dum sua altitudine superbos irridet, sua veritate studiosos pascit;

Sacra et divina Scriptura non solum multiplicium sensuum fecundissima et exuberans est; quapropter altissima semper et profundissima est et semper et ubique verissima, ut sua altitudine superbos irrideat, profunditate attentos, vigiles et studiosos continuo teneat, veritate semper dulciter ac suaviter pascat [3]; verum etiam omnibus schematibus, tropis et figuratis locutionibus ubique respersa, quae eam mirum in modum decorant et exornatissimam reddunt; quare et sapiens est et eloquens ac maxime frugifera. Non enim, ut in ceteris plerisque disciplinis crebro contingit, ita haec quoque fabularum lenociniis ac ludricis nugis animum nostrum titillare solet; non pestiferis canticis aures demulcere, non profanis opinionibus mentem inficere, non aliquam demum morum perniciem candidatis suis insinuare consuevit; verum contra, ubique seria veritas salutari gravitate blanditur, ad omnem aditum facundus ille sapientiae lepor dulcibus modulis plectrum suum meditatur, nil adeo incontaminatum quod non in vitam nostram Sacrae Scripturae placita suo veluti iure quodam instillent. Non, ut multi autumant [4], horrida est et inculta, arida et tetrica, sed politie mira decora atque adeo ipsa maiestate decora, iucunda, facilis, expedita, prona nullique non obvia, sed omnium,

nec inculta et arida est, sed mira dulcedine menti

1) Praenotationes has, quas S. Auctor ad *Explanationem* suam praemisit, verbis distinximus: *Dissertatio prima, secunda*, etc. 2) Verba: *De Schematibus* et *Tropis*, in codice corrosa sunt, sed ex aliquibus signis quae permanserunt, patet haec eadem esse, quae et S. Auctor posuerat. 3) Cf. S. Augustinus *De Genesi ad Litteram*, lib. 3, cp. 3, (P. L. 34, 323).
4) Cf. Io. Steph. Menochius S. I. *Comment. S. Scripturae*, t. 1, *Prolegomena*, cp. 8; Io. B. Du Hamel *Biblia Sacra*, part. 1, *Prolegomena, Dissert. 4*, cp. 1, pag. LII-LIII.

blanditur, dum multiplicitate sensuum intellectum attentum tenet.

ad eam pia fide et devotione accedentium, mira dulcedine animum pascit atque eius studium non in portu, longo iam maris devorato taedio, sed in ipso limine, dum a litore solvimus, dum vix iter capessamus, laborem nostrum statim amplissimo praemio solatur, dum fideli intellectus machaera litteram convellimus, continuo pascit animum promicans nucleus et sensuum flagrantissima medulla.

Ideo prius nobis cognoscendae sunt variae locutionis formae in S. Scriptura adhibitae.

Omnium tamen artificem laborem, citra quem nihil unquam natura dedit mortalibus, in consilium adhibere oportet in cortice convellendo, idest [5]... pascuntur. Ad quod industriae plurimum et studii conferre nos convenit, ac litterae intelligendae plurimum insistendum, ut schemata formasque verborum intelligamus tropicasque locutiones, quae translatis dictionibus a propria significatione ad non propriam ex similitudine et analogia in eis reperta aut decoris, aut cultus et ornatus, aut necessitatis, aut emphaseos gratia fiunt, percipiamus. Omnia enim schemata et tropi ac figurae dicendi, quarum Graeci se gloriantur repertores fuisse [6], a Sacra Scriptura profluxerunt, quae ceteris scripturis, non solum auctoritate, quia divina, vel utilitate, quia ad vitam ducit aeternam, sed et antiquitate et ipsa praeeminet positione dicendi. Quare ne in mediis Sacrarum Scripturarum studiis in has figuratas locutiones tanquam nobis ignotas impingamus et a studio vel deterreamur vel moremur, troporum et schematum, quibus Sacra Scriptura multis saeculis ante eloquentiae magistros eloquentissime usa est, prius aliqualem notitiam tradere operae pretium duximus. Multa enim in Scripturis Sacris obscura, cognito locutionis genere, dilucescunt; propter quod cognoscenda sunt eadem locutionum genera, ut ubi sententiae latent, eorum cognitio succurrat easque sub schematibus et tropis latitantes intentioni legentis aperiat.

Ipsa enim omnibus eloquentiae magistris eo magis praestat, quo antiquior illis est.

Schematum igitur multae sunt species, item etiam troporum. Est autem s c h e m a proprie dictum, quod a simplici et in promptu posito dicendi modo, poetice vel oratorie mutatum est, tam in pingendis verbis quam in ornandis sententiis pondus habens [7]. Aliquando etiam immutatum manet; sunt enim schemata quaedam tum ver-

Quid sit schema,

5) Deest una linea in codice atramento corrosa. 6) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 36, (P. L. 82, 110); S. Beda *De Schematis et Tropis*, ibid. 90, 175; Quintilianus *Institutiones Oratoriae*, lib. 8, cp. 5, vol. 2, pag. 70. 7) Cfr. Cassiodorus *Expositio in Psalterium*, *Ps. 1*, (P. L. 70, 32); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 36, ibid. 82, 110; Alcuinus *Grammatica*, ibid. 101, 858.

borum tum sententiarum lumina, quibus, tanquam insigniori ornatu, tota oratio texitur ac distinguitur. Item tropus est verbi vel sermonis cum virtute a propria significatione in alienam mutatio, decoris, vel necessitatis, aut cultus, sive emphaseos gratia [8]. Inde dicuntur tropicae locutiones, non propriae, quoniam non secundum propriam significationem in eis verba sumuntur, sed transposite et figurate, tametsi autem tam propriis quam translatis verbis figuratur oratio. Inter schema tamen et tropum hoc interest discriminis, quod figura – σχῆμα enim graece figura latine sonat – est conformatio quaedam, ut nomine ipso patet, habitusque orationis remota a communi et primum se offerente oratione, patetque propriis verbis figura fieri; tropus autem nunquam nisi translatis atque transpositis verbis a propria in alienam significationem. Nos itaque tum de tropis tum de schematibus et figuris disseremus; de tropis primo, tum de figuris.

quid tropus et quaenam differentia inter utrumque.

Tropus igitur «est verbi vel sermonis a propria significatione in aliam cum virtute mutatio» [9], ut cum dicimus: laetas segetes, verbum laetitiae, a propria significatione, qua laetos homines dicimus, ad segetes cum virtute transfertur. Tropi autem species undecim sunt; in verbo septem: metaphora, synecdoche, metonymia, antonomasia, onomatopoeia, catachresis, metalepsis; in oratione vero quattuor: allegoria, periphrasis, hyperbaton et hyperbole.

Variae tropi species.

Metaphora, quae latine translatio dicitur, fit cum nomen aut verbum propter similitudinem transfertur ex eo loco, in quo proprium est, in eum, in quo proprium deest, aut translatum proprio melius est [10]; ita dicimus: laetas segetes, ridere prata, gemmare vites, floridam iuventutem, lacteam canitiem, incensum ira, inflammatum cupiditate, lapsum errore; ita plane in Scripturis Sacris Christus dicitur *agnus* [11], *leo* [12], *ovis* [13], *lilium convallium, flos campi, hinnulus cervorum* [14], etc.; ita: *Dominus de Sion rugiet* [15]. Et metaphorica quidem locutio usitatissima in Scriptura Sacra est. Fit autem quattuor

Quid metaphora et quot modis fiat.

8) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 37, (P. L. 82, 112); S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 179; Alcuinus *Grammatica*, ibid. 101, 858; 9) Quintilianus op. cit. lib. 8, cp. 6, vol. 2, pag. 75. 10) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt.*, *Ps. 31*, (P. L. 70, 221); S. Idisorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 37, ibid. 82, 112; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 179; Quintilianus op. cit. lib. 8, cp. 6, vol. 2, pag. 75; Charisius *Ars Grammatica*, lib. 4, cp. 2, pag. 358. 11) Cf. Is 16, 1; Io 1, 29. 36; Apc 5, 6-13; 7, 9-17; 21, 9-27. 12) Cf. Apc 5, 5. 13) Is 53, 7; Act 8, 32. 14) Ct 2, 1. 9. 15) Ioel 3, 16; Am 1, 2.

modis translata similitudine: vel ab animali ad animal, vel ab inanimato ad id quod eiusdem est generis, vel ab animali ad inanimatum, vel ab inanimato ad animal. – Primo quidem modo, ut: *Quare fremuerunt gentes*[16]; et: *Rugiebam a gemitu cordis mei*[17]; *Si sumpsero pennas meas diluculo*[18]; nam et homo, de quo haec dicuntur, et animalia, unde sumuntur, animam habent. – Secundo vero modo, ut: *Aperi, Libane, portas tuas*[19]; a civitate enim ad montem translatio fit, quae ambo inanimata sunt. Ita nos dicimus: concentu virtutum nil esse suavius; caritatem esse *vinculum perfectionis*[20]; eleemosynam extinguere peccatum[21]. – Tertio autem modo, ab animato ad exanime, ut: *Terra aperuit os suum*[22]; *Ecce eiicis me hodie a facie terrae*[23]; *Exiccatus est vertex Carmeli*[24]; ab animali enim, cui haec competunt, ad terram et montem, quae inanimata sunt, fit translatio; animal enim os, faciem et verticem habet, non autem terra aut mons. – Quarto denique modo, ab inanimato ad animal; ita dicitur: *Auferam a vobis cor lapideum*[25]; *populus durae cervicis*[26]; *cor durum*[27]; *homo durus*[28] et asper sive *austerus*[29]; durities enim non homini, sed inanimatis lapidibus competit: ab eis autem ad homines translatio fit. Et certe istiusmodi translationibus ubique Scriptura Sacra miro ornamento respersa est. – I m a g i n i s etiam figura post metaphoram invenitur, qualis est apud I s a i a m illud[30]: *Quasi parturiens dolebunt*; et apud I e r e m i a m[31]: *Quia inventi sunt in populo meo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes et pedicas ad capiendum viros.*

Synecdoche et variae eius formae.

S y n e c d o c h e tropus est, in quo ex parte totum, aut contra, aut ex antecedentibus sequentia intelliguntur[32], sicuti ex puppi navis, ex mucrone ensis, ex tecto domus intelligitur. Synecdoche a parte totum ostendens in Sacra Scriptura est, ut cum anima aut caro pro toto homine ponitur, ut: *Factus est homo in animam viventem*[33]; ita cum legimus: *Cunctae animae, quae ingressae sunt cum Iacob in Aegyptum et egressae sunt de femore eius*[34]; ita quoque: *Verbum caro*

16) Ps 2, 1. 17) Ps 37, 9. 18) Ps 138, 9. 19) Zach 11, 1. 20) Col 3, 14. 21) Cf. Dn 4, 24. 22) Gn 4, 11. 23) Ibid. vr. 14. 24) Am 1, 2. 25) Ez 11, 19. 26) Ex 33, 3. 5; 34, 9; Dt 9, 13. 27) Eccli 3, 27. 28) Mt 25, 24. 29) Cf. Lc 19, 21-22. 30) 13, 8. 31) 5, 26. Vulg.: *Capiendos.* 32) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt., Ps. 9*, (P. L. 70, 80); *Ps. 64*, ibid. col. 444; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 182; Quintilianus op. cit. lib. 8, cp. 6, vol. 2, pag. 77; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 2, pag. 361.
33) Gn 2, 7. 34) Ibid. 46, 26. Vulg.: *De femore illius.*

factum est[35]; pars enim alterutra pro homine ponitur; neque enim animae filiorum Iacob sine corporibus in Aegyptum ingressae sunt, nec Verbum caro sine anima factum est. – Quae autem a toto partem demonstrat, multis in locis fit synecdoche, ut: *Sepelivit Abraham... uxorem suam in spelunca agri duplici*[36]; ita: *Dormivit... David cum patribus suis et sepultus est*[37], etc.; in Evangelio quoque: *Iuxta erat monumentum, in quo posuerunt Iesum*[38]. Omnes autem hi loci de mortuo corpore intelligendi sunt, sicut et illud Magdalenae: *Tulerunt Dominum meum et nescio ubi posuerunt eum*[39], idest corpus Domini mei. – Huc pertinet cum ex uno plures significantur, ceu: *Fons ascendebat de terra et irrigabat universam superficiem terrae*[40]; fontium quidem plane multitudo erat, cum ad id nequaquam fons unus sufficeret; ita quoque *locusta*[41] et *rana* et *musca*[42] in plagis Aegypti, earum certe innumerabilis propemodum multitudo erat. – Aliquando fit plurali pro singulari posito, sicut cum legimus: *Videntes autem discipuli indignati sunt dicentes: Ut quid perditio haec unguenti?*[43]... *et fremebant in eam*[44], cum, Ioanne teste[45], solus Iudas proditor id dixerit. Ita quoque *latrones, qui crucifixi erant cum eo, conviciabantur ei*[46], cum unus solus id egerit, alter vero, increpato socio, Christum Deum confessus fuerit[47]. – Aliquando materia pro universa re composita ponitur, sicuti Abraham legitur locuples valde in auro et argento fuisse[48], idest aurea et argentea pecunia; et: *Mulier... attulit alabastrum unguenti*[49], idest vasculum ex alabastro. – Nonnunquam genere pro forma, idest specie posito, ut: *Factus est homo in animam viventem*, hoc est, secundum phrasim hebraicam, *in animal vivens*, cum rationalem animam in faciem eius insufflavit, qua rationale animal factus est. – Vel[49a] pro specie genus ponitur, sicut e contra pluries pro genere species ponitur, ut: *Pastores ovium sumus nos et fratres nostri*[50], cum et capras et boves et camelos et asinos pavissent, oves posuerunt pro animali, quod omnibus illis commune est. – Ac demum ex his, quae rebus accidunt, res ipsae intelliguntur, sicut est illud Isaiae[51]: *Et conflabunt gladios suos in vomeres et*

35) Io 1, 14. 36) Gn 23, 19. 37) 3 Rg 2, 10. 38) Io 19, 42. 39) Ibid. 20, 13. 40) Gn 2, 6. Vulg.: *Ascendebat e terra irrigans*, etc. 41) Cf. Ex 10, 4 sqq. 42) Cf. ibid. 8, 2 sqq. 43) Mt 26, 8. 44) Mc 14, 4-5. 45) Cf. 12, 3. 46) Mt 27, 44. Vulg.: *Improperabant*, etc. 47) Cf. Lc 23, 39-44. 48) Cf. Gn 13, 2. 49) Lc 7, 37. 49a) Ms.: *Sed*. 50) Gn 47, 3. Vulg.: *Sumus servi tui et nos*, etc. 51) 2, 4.

lanceas suas in falces; haec enim, cum pacem magnam consequantur, per ea ponuntur.

Quid metonymia et eiusdem species.

Metonymia transnominatio quaedam est, cum vel pro effectibus causae, vel pro causis effecta ponuntur, aut per continentia quae continentur, aut per contenta quae continent, vel per signa res intelliguntur [52]. Per causas autem effectum intelligimus, veluti auctores ponimus pro suis operibus dicimusque Platonem, Aristotelem, Demosthenem vel Ciceronem legisse, cum eorum scripta dicamus vel legisse vel audivisse. Ita plane in Sacra Pagina legimus: *Habent Moysen et Prophetas, illos audiant* [53]; et cum legitur Moyses: *Et habet Moyses..., qui eum praedicent... per omne sabbatum* [54]; *Et incipiens a Moyse et omnibus Prophetis interpretabatur illis Scripturas* [55], auctores pro suis monumentis posuit. – Aliquando effectus pro causa ponitur, veluti cum legimus: *Tu es patientia mea..., spes mea* [56]; et: *Fortitudo mea* [57], idest causa harum virtutum, et sic effectus pro causa ponitur. – Haec et contentum per continens designat, ut: *Effundam hydriam in canalibus* [58], cum aquam effunderet; ita: *Iubilate Deo omnis terra* [59]; *Laetata est Aegyptus* [60]; *Ierusalem, Ierusalem, quae occidis Prophetas* [61]; et innumera alia [62], ubi certe habitatores intelliguntur. – Aliquando e contra per contentum continens designat, ut: *Ingressi sunt filii Israel per medium... maris* [63]; ita quoque cum Iordanem fluvium transisse dicuntur [64], cum per exiccatum alveum tum maris tum fluvii transierint. Ita in plerisque aliis Scripturae locis [65].

Quid antonomasia et eius modi.

Antonomasia vice nominis quaedam positio est, cum significatio vice nominis ponitur [66], sicut dicimus: academicorum principem, pro Platone; romanae eloquentiae patrem et principem, pro Cicerone; eximium prophetam, pro Davide; apostolum, pro Paulo;

52) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt.*, *Ps. 2*, (P. L. 70, 37); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 37, ibid. 82, 113; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 181; Quintilianus op. cit. lib. 8, cp. 6, vol. 2, pag. 78. 53) Lc 16, 31. Vulg.: *Audiant illos.* 54) Act 15, 21. Vulg.: *Moyses enim... habet*, etc. 55) Lc 24, 27. Vulg.: *In omnibus Scripturis.* 56) Ps 70, 5. 57) Ps 17, 2; 30, 4; 42, 2. 58) Gn 24, 20. Vulg.: *Effundensque.* 59) Ps 65, 1; 99, 2. 60) Ps 104, 38. 61) Mt 23, 37. 62) Cf. 1 Rg 6, 6; 4 Rg 18, 24; Is 23, 4. 15-17; Ez 26, 3; 27, 3; 28, 22; Ioel 3, 4; Am 1, 9; Mich 5, 2; Mt 2, 6; 11, 21-23. 63) Ex 14, 22. 64) Cf. Nm 32, 5; 33, 51; Dt 4, 22; 11, 31; 12, 10. 65) Cf. Ios 3, 15-16; 24, 11; Sap 11, 18; 19, 7; Is 43, 16; Hab 3, 15. 66) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt.*, *Ps. 67*, (P. L. 70, 466); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 37, ibid. 82, 113; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 181; Quintilianus op. cit. lib. 8, cp. 6, vol. 2, pag. 79; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 2, pag. 360;

dilectum discipulum, pro Ioanne. Fit autem tribus modis: vel ab animo, vel a corpore, vel ab extrinseco. Ita in Sacro Eloquio Salomon sapiens dicitur [67], et pater eius homo secundum cor Dei [68]; Goliath gigas, *vir spurius..., altitudinis sex cubitorum et palmo* [69]. Christus etiam antonomastice *Iustus* dicitur, veluti: *Occiderunt eos, qui praenuntiabant de adventu Iusti, cuius vos nunc proditores et homicidae fuistis* [70]; Christus, *Filius David* [71], et *Filius hominis* [72]; Samson, *fortis viribus* [73]; Ioannes, *discipulus, quem diligebat Iesus* [74]; Paulus, *vas electionis* [75]; Ioannes Baptista, propheta magnus et *plus quam propheta* [76]; Petrus, petra Ecclesiae [77]; et frequentissima est antonomasia.

Epitheton quomodo differat ab antonomasia.

Nota quod antonomasiae e p i t h e t o n simile est, quod tribus similiter modis fit. Differt autem ab antonomasia, quod epitheton semper nomen adiectum habet, non autem antonomasia [78].

Quid onomatopoeia.

O n o m a t o p o e i a, idest nominis fictio [79], ceu est: mugitus boum, balatus ovium, latratus canum, et his similia. Tropus iste in Sacra Scriptura frequentissimus est: *Rugitus leonis et vox leaenae* [80]; *Quasi leo rugiet* [81]; et: *Nunquid... circumdabis collum equi hinnitum?* [82] Similiter: *Canes muti non valentes latrare* [83]; ita: *Aes sonans* et *cymbalum tinniens* [84]; *clangor tubarum* [85]; ita quoque illud: *Ibant... in directum vaccae per viam, quae ducit Bethsames..., pergentes et mugientes* [86].

Quid catachresis et in quo differat a metaphora.

C a t a c h r e s i s, usurpatio quaedam sive abusio verbi est, cum simile et propinquum pro certo et proprio ponitur [87], veluti cum dicimus: vires breves, consilium longum, orationem grandem. Hoc

67) Cf. 2 Par 2, 12; 11, 22-23. 68) Cf. 1 Rg 13, 14; Act 13, 22. 69) 1 Rg 17, 4. Vulg.: *Palmi.* 70) Act 7, 52. 71) Cf. Mt 1, 1; 9, 27; 12, 23; 15, 22; 20, 30-31; Mc 10, 47-48; Lc 18, 38; 20, 41; Rom 1, 3. 72) Cf. Mt 8, 20; 12, 40; 13, 37-41; Mc 2, 10; 8, 31. 38; 9, 8. 11. 30; Lc 5, 24; 9, 22. 26. 44. 56. 58; Io 1, 51; 3, 13-14; 6, 27. 54. 63; 12, 23. 34. 73) Cf. Idc 14, 6. 19; 15, 4. 74) Io 13, 23; 21, 7. 20. 75) Act 9, 15. 76) Cf. Mt 11, 9. 77) Cf. ibid. 16, 18. 78) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 37, (P. L. 82, 114); S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 181-182; Quintilianus op. cit. lib. 8, cp. 6, vol. 2, pag. 81; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 2, pag. 361. 79) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 37, (P. L. 82, 114); S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 182; Quintilianus op. cit. lib. 8, cp. 6, vol. 2, pag. 79; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 2, pag. 361-362.
80) Iob 4, 10. 81) Os 11, 10. 82) Iob 39, 19. Vulg.: *Collo eius.* 83) Is 56, 10.
84) 1 Cor 13, 1. 85) Nm 10, 7. Vulg.: *Tubarum clangor.* 86) 1 Rg 6, 12.
87) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 37, (P.L. 82, 113); S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 180-181; Quintilianus op. cit. lib. 9, cp. 2, vol. 2, pag. 100; Charisius op.cit. lib. 4, cp. 2, pag. 359.

tropo frequenter utitur Scriptura: *Cornua peccatorum confringes et exaltabuntur cornua iusti*[88]; ita cum dicit: cornua arcus; pedes mensae[89], sive candelabri; frontem tecti[90]; labium calicis[91], etc. Haec enim omnia animalium propria sunt; ad significandas tamen res, quae propria appellatione deficiunt, ea adhibentur nomina. Et in hoc tropus hic a metaphora differt, quod illa vocabulum habenti largitur; haec, quia non habet proprium, alieno utitur; ita cum de Deo Scriptura loquitur immensam eius virtutem et perfectionem corporeae quantitatis nominibus designat, veluti cum dicit: *Excelsior coelo est, et quid facies? Profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura eius et latior mari*[92]. Ita quoque illud: *Est autem Ierosolymis probatica piscina*[93]; « a piscibus enim nomen accepit aqua, quae nequaquam propter pisces, sed ad lavandas hostias collecta est, unde probaticae cognomen sortita est »[94].

Metalepsis, Metalepsis transumptio quaedam est et alio in aliud gradatim pergens viamque praestans ad id, quod ostendit[95], ceu est illud Poetae[96]:

« Speluncis abdidit atris »,

ubi ex atris tenebrosae, ex tenebrosis profundae intelliguntur; et illud:

« Post aliquot, mea regna, ... mirabor aristas?[97] »

Post aliquot, inquit, aristas, annos intelligens; per aristas enim aestates, per aestates vero anni intelliguntur. Ita in Sacra Scriptura reperitur hic tropus: *Labores manuum tuarum ... manducabis, beatus es et bene tibi erit*[98]; labores enim posuit pro his bonis, quae laborando acquiruntur. Similiter illud: *Ecce Behemoth, quem feci tecum, foenum quasi bos comedet; fortitudo eius in lumbis eius, et virtus illius in umbilico ventris eius*[99]; per Behemoth enim diabolus, per diabolum angelus a Deo factus intelligitur[100], per foenum peccatores homines,

88) Ps 74, 11. Vulg.: *Confringam.* 89) Cf. Ex 37, 13. 90) Cf. ibid. 26, 9. 91) Cf. 3 Rg 7, 26; 2 Par 4, 5. 92) Iob 11, 8-9. 93) Io 5, 12. 94) S. Beda *De Schematis*, etc. (P. L. 90, 181). 95) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 37, ibid. 82, 113; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 181; Quintilianus op. cit. lib. 8, cp. 6, vol. 2, pag. 80; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 2, pag. 359. 96) Virg. *Aeneid.*, lib. 1, vr. 64. 97) *Bucol.*, *Eclog. 1*, vr. 70. 98) Ps 127, 2. 99) Iob 40, 10-11. 100) Cf. Olympiodorus *Comment. in B. Iob*, (P. G. 93, 419); S. Augustinus *De Genesi ad Litteram*, lib. 11, cp. 20, (P. L. 34, 439-440); *De Civitate Dei*, lib. 11, cp. 15, ibid. 41, 330; S. Gregorius M. *Moralium*, lib. 32, cp. 12, ibid. 76, 644; S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 8, cp. 11, ibid. 82, 217.

per lumbos et umbilicum luxuria; quoniam autem haec in diabolo esse non potest, incitatio et tentatio ad eam intelligenda est.

allegoria et eius species;

Allegoria, idest inversio, tropus est, quo aliud verbis aliud sensu ostenditur estque veluti continuata perpetuaque metaphora [101], quale est illud Poetae [102]:

« Claudite iam rivos, pueri, sat prata biberunt »,

idest desinite iam cantare, satis audivimus. Allegoria autem in Scripturis Sacris frequentissima est. Triplex autem allegoria reperitur: verborum, rerum et ex utrisque. – Verborum, ceu: *Egredietur virga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet* [103]; similiter: *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus* [104], de Christo fit sermo. – Rerum, ut: *Relinquet homo patrem... et matrem suam et adhaerebit uxori suae* [105]; *sacramentum hoc magnum est... in Christo et... Ecclesia* [106]; ita Abraham duos filios habuisse per allegoriam dictum est ad duo Testamenta [107]. – Ex utrisque, ut: *Ipse erit mihi in filium et ego ero illi in patrem* [108], de Salomone dictum est et, Apostolo teste, de Christo [109], quoniam figura Christi Salomon fuit; similiter: *Ex Aegypto vocavi filium meum*, de Israele dicitur a Propheta [110] et, Evangelista teste [111], de Christo. – Ad haec allegoria aliquando integra est, aliquando vero permixta; integra, ut: *Habitabit lupus cum agno et pardus cum haedo accubabit, vitulus et leo et ovis simul morabuntur et puer parvulus minabit eos* [112], etc.; permixta, ut: *Percutiet terram virga oris sui et spiritu labiorum suorum interficiet impium et erit iustitia cingulum lumborum eius et fides cinctorium renum eius* [113].

parabola, icon et paradigma.

Sub allegoria parabola quoque continetur, quae rerum genere dissimilium comparatio est [114]. Haec frequentissima est in tota Sacra Scriptura. – Continetur etiam icon, idest personarum inter se comparatio, vel eorum quae personis accidunt, [115] ut: *Vidimus*

101) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 37, (P. L. 82, 115); S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 184; Quintilianus op. cit. lib. 8, cp. 6, vol. 2, pag. 81; lib. 9, cp. 2, pag. 101; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 2, pag. 363. 102) Virg. *Bucol.*, *Eclog. 3*, vr. 111.
103) Is 11, 1. 104) Ct 5, 10. 105) Gn 2, 24. 106) Eph 5, 32.
107) Cf. Gal 4, 22-24. 108) 2 Rg 7, 14. Vulg.: *Ego ero ei in patrem et ipse erit mihi in filium.* 109) Hebr 1, 5 110) Os 11, 1. 111) Mt 2, 15. 112) Is 11, 6.
113) Ibid. vrr. 4-5. 114) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt.*, *Ps. 77*, (P. L. 70, 555-556); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 6, cp. 8, ibid. 82, 239; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 186; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 2, pag. 365. 115) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt.*, *Ps. 16*, (P. L. 70, 119); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 37, ibid. 82, 116-117; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 186; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 2, pag. 365.

gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre [116]; et: *Neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei* [117]. – Demum et p a r a d i g m a continetur, quae propositio sive enarratio exempli est hortantis, sive deterrentis [118]; exhortantis, ut: *Elias homo erat similis nobis passibilis et oratione oravit, ut non plueret super terram et non pluit annis tribus et mensibus sex* [119]; et: *Respicite volatilia coeli, quoniam non serunt neque metunt neque congregant in horrea et Pater vester coelestis pascit illa* [120]; deterrentis, ut: *In illa hora qui fuerit in tecto et vasa eius in domo non descendat tollere illa, et qui in agro... non revertatur; memores estote uxoris Loth* [121].

Sub allegoria autem a e n i g m a quoque continetur; est enim aenigma obscurior quaedam allegoria [122], ut Oedipo quodam Sphyngis interprete [123], vel alio Salomone opus sit ad intelligendum quod ea dicatur, ceu illud est: «Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me» [124]; quo designatur ex aqua glaciem gigni et in eandem rursus effluere; tale est illud in Sacra Scriptura: *De comedente exivit cibus et de forti egressa est dulcedo* [125]; et illud: *Sanguisugae duae sunt filiae, dicentes semper: affer, affer* [126]; per quae concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum, sive luxuria et avaritia designantur; similiter illud: *Si dormiatis inter medios cleros pennae columbae deargentatae et posteriora dorsi eius in pallore auri* [127], per columbam Ecclesiam, per cleros, sive sortes, diversi Ecclesiae status, per pennas virtutes eius, per pallorem auri caritatis decor intelliguntur.

Quid aenigma.

I r o n i a tropus est, quo contraria ostenduntur, quam i l l u s i o n e m vocant [128], qua non solum aliud verbis, aliud sensu osten-

Quid ironia.

116) Io 1, 14. 117) Mt 22, 30. 118) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt.*, *Ps. 1*, (P. L. 70, 32); *Ps. 33*, ibid. col. 238; S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 37, ibid. 82, 117; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 186; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 2, pag. 365; 119) Iac 5, 17. Vulg.: *Homo erat... et non pluit annos tres et menses sex.* 120) Mt 6, 26. 121) Lc 17, 31-32. Vulg.: *Ne descendat tollere... non redeat retro.* 122) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt.*, *Ps. 96*, (P. L. 70, 685); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 37, ibid. 82, 116; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 184; Quintilianus op. cit. lib. 8, cp. 6, vol. 2, pag. 83; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 2, pag. 365; 123) Oedipus, vir Thebanorum, filius Laii, Thebanorum regis, ingenium suum nobilitavit in proponendis ac dissolvendis aenigmatibus, in quo tam excellens evasit, ut Sphyngis Thebanae problemata dissolverit, et ideo in proverbium cessit de perspicacis et praestantis mentis homine. Cf. P. Mannucci *Adagia*, col. 191-192; Ios. Perin *Onomast.* sub nomine *Oedipus.* 124) Cf. Charisius op. cit. lib. 4, cp. 2, pag. 365. 125) Idc 14, 14. 126) Prv 30, 15, 127) Ps 67, 14. 128) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt.*, *Ps. 21*, (P. L. 70, 156); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 37, ibid. 82, 115; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 184; Quintilianus op. cit. lib. 8, cp. 6, vol. 2, pag. 83; lib. 9, cp. 2, pag. 100; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 2, pag. 363-364.

ditur, sed contrarium, quale est illud: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum*[129]; et illud: *Clamate voce maiore, deus est enim Baal et forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut... dormit, ut excitetur*[130]; illud item: *Ave, rex Iudaeorum*[131]. Ironia autem pronuntiatione agnoscitur, quoniam nisi gravitas et amaritudo concomitetur, confiteri videbitur quod negare contendit. – Sub hac a n t i p h r a s i s continetur, quae verbi unius ironia est[132], ut: bellum, quia minime bellum; lucus, quod minime luceat; Parcae, quod minime parcant; ita illud est: *Amice, ad quid venisti?*[133] Differt autem antiphrasis ab ironia, quod ironia pronuntiatione sola indicat quod intelligi vult, antiphrasis vero non voce pronunciantis significat contrarium, sed suismet verbis, quorum origo contraria est, ceu est in Scriptura: *Amice, ad quid venisti?* et: *Nisi in faciem benedixerit tibi*[134]; *Benedic Deo et morere*[135]; et: *Benedixit Deum et regem*[136]; benedicere enim antiphrasis est pro maledicere. – Continetur etiam s a r c a s m o s, quae hostilis ironia et plena odio irrisio est[137], ut: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum*[138] *facere; si rex Israel est, descendat nunc de cruce et credimus ei*[139]; et illud: *Speravit in Domino, eripiat eum; salvum faciat eum, quoniam vult eum*[140].

Antiphrasis et in quo differat ab ironia;

sarcasmos,

P e r i p h r a s i s circumlocutio quaedam, quoniam pluribus verbis id, quod uno aut paucioribus verbis dici potest, explicatur[141]. Fit autem ornandae rei causa, vel turpitudinis vitandae; ornandae, quale est illud: *Scimus... quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod aedificationem habemus ex Deo domum non manufactam... in coelis*[142]; turpitudinis vitandae, ceu est: *Nam feminae eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam*[143]; ita quoque Sacra Scriptura semper honestissime

periphrasis et quomodo fiat;

129) Gn 3, 22. 130) 3 Rg 18, 27. Vulg.: *Deus enim est*, etc. 131) Mt 27, 29; Mc 15, 18; Io 19, 3. 132) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt.*, *Ps. 118*, (P. L. 70, 884); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 37, ibid. 82, 115; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 184; Quintilianus op. cit. lib. 8, cp. 6, vol. 2, pag. 83; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 2, pag. 364; 133) Mt 26, 50. 134) Iob 1, 11. 135) Ibid. 2, 9. 136) 3 Rg 21, 10. 137) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt.*, *Ps. 93*, (P. L. 70, 666); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 37, ibid. 82, 116; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 184; Quintilianus op. cit. lib. 8, cp. 6, vol. 2, pag. 83; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 2, pag. 363.
138) Ms.: *Salvos*. 139) Mt 27, 42. 140) Ps 21, 9. 141) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 37, (P. L. 82, 114); S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 182; Quintilianus op. cit. lib. 8, cp. 6, vol. 2, pag. 84; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 2, pag. 362. 142) 2 Cor 5, 1. Vulg.: *Ex Deo habemus*. 143) Rom 1, 26.

carnalem concubitum maris et feminae *cognoscere* vocat: *Cognovit*, inquit, *Adam Evam uxorem suam* [144]; ingredi ad mulierem [145], adhaerere uxori [146], revelare oram sive turpitudinem [147].

hyperbaton et synchysis et in quo differant inter se;

Hyperbaton transgressio quaedam est, quae verborum perturbat ordinem perversione aut transiectione [148]. – Sub hyperbaton continetur primo: synchysis, et est hyperbaton omni ex parte confusum [149], ceu est illud: *Sagittae tuae acutae, populi sub te cadent in corda inimicorum regis* [150]; ordo est: Sagittae tuae acutae cadent in corda inimicorum populi sub te; ita et illud cantici Virginei: *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae, sicut locutus est ad patres nostros Abraham et semini eius in saecula* [151]; idest: recordatus misericordiae suae in saeculum Abrahae et semini eius, iuxta illud: *Recordatus est misericordiae suae et veritatis suae domui Israel, suscepit Israel puerum suum* [152], iuxta illud Apostoli: *Nunquam... angelos apprehendit, sed semen Abraham apprehendit* [153], *sicut locutus est ad patres nostros.* – Deinde parenthesis sub hyperbaton continetur. Est autem parenthesis interposita locutio divisae sententiae [154], sicut est illud Apostoli: *An ignoratis, fratres, scientibus enim legem loquor, quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit?* [155] – Continetur etiam anastrophe, quae est verborum tantum inversio, [156] ut: Italiam contra, mecum, tecum, etc.; sic est illud: *Quamobrem ego deprecabor Dominum* [157], idest ob quam rem. – Demum hysterologia, sive hysteronproteron hic continetur estque sententia cum ordo verbis mutatur [158], fitque dum est ordo retrogradus, cum id, quod praecedere debuerat, postponitur, veluti est: *Hic accipiet benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salu-*

parenthesis, anastrophe et hysterologia

144) Gn 4, 1. 25. Vulg.: *Adam vero cognovit uxorem suam Evam.* 145) Cf. ibid. 16, 2. 4; 19, 33. 35; 30, 3. 5. 146) Cf. ibid. 2, 24; Mt 19, 3; Eph 5, 31. 147) Cf Lv 18, 1 sqq. 148) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt., Ps. 36*, (P. L. 70, 260); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 37, ibid. 82, 114; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 182; Quintilianus op. cit. lib. 8, cp. 6, vol. 2, pag. 84; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 2, pag. 362. 149) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 37, (P. L. 82, 115); S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 183: Charisius op. cit. lib. 4, cp. 2, pag. 362. 150) Ps 44, 6. 151) Lc 1, 54-55. 152) Ps 97, 3. 153) Hebr 2, 16. 154) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Paslt., Ps. 16*, (P. L. 70, 118); S. Isidorus Hips. *Etymol.*, lib. 1, cp. 37, ibid. 82, 114; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 182; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 3, pag. 366. 155) Rom 7, 1. 156) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt., Ps. 85*. (P. L. 70, 613); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 37, ibid. 82, 114; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 182; Quintilianus op. cit. lib. 8, cp. 6, vol. 2, pag. 84; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 2, pag. 362. 157) Iob 5, 8. 158) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 37, (P. L. 82, 114); S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 182.

tari suo[159]; misericordia praecedere debuisset, quoniam « Dominus prius miserando iustificat impium et deinde benedicendo coronat iustum »[160].

H y p e r b o l e est eminens superiectio fidem excedens, augendi, vel minuendi vim habens[161]; augendi, veluti cum aliquid nive candidius [dicitur]; minuendi, ut : tardior is testudine est. Ita in Scriptura legimus : *Aquilis coeli velociores, leonibus fortiores*[162]; et illud : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo*[163]; et alibi : *Ascendunt usque ad coelos et descendunt usque ad abyssos*[164]. Similiter diminuens, ut : *Terrebit te sonitus folii volantis*[165]; et : *Denigrata est super carbones facies eorum*[166]. Hyperbole frequentissima est in Sacra Scriptura, maxime in propositionibus universalibus, ut : *Magnificatus est rex Salomon prae omnibus regibus terrae*[167]; et tamen loquitur de terra Israel. Ita saepissime legitur : *omnis populus*[168], *universa civitas*[169], *omnis Israel*[170]; hyperbole est, et non universitas, sed multitudo magna intelligenda est ; ita plane cum legimus : *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*[171]; et : *Omnes gentes . . . venient et adorabunt coram te, Domine*[172]; *Universae familiae gentium*[173]; hyperbole est et multitudo intelligitur, non universitas, ita ut nullus desit. et hyperbole,

159) Ps 23, 5. 160) S. Beda *De Schematis*, etc. (P. L. 90, 182). 161) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt.*, *Ps. 7*, ibid. 70, 64; *Ps. 118*, ibid. col. 885; S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 37, ibid. 82, 115; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 183; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 2, pag. 363. 162) 2 Rg 1, 23. 163) Ps 6, 7. 164) Ps 106, 26. 165) Lv 26, 36. 166) Thr 4, 8. 167) 3 Rg 10, 23. Vulg.: *Super omnes reges*. 168) Cf. Gn 35, 6; Ex 11, 3; 23, 3; Lv 7, 37; Dt 31, 12; 3 Rg 18, 30. 169) Cf. Mt 8, 34; 21, 10; Mc 1, 33; Act 13, 44; 21, 30. 170) Cf. Ex 12, 50; Lv 4, 13; 10, 6; 21, 24; 2 Rg 6, 5. 14; 2 Par 13, 4. 171) Io 12, 32. Vulg.: *Si exaltatus*, etc. 172) Ps 85, 9. 173) Ps 21, 28.

DISSERTATIO SECUNDA

DE SCHEMATIBUS IDEST FIGURIS LOCUTIONIS

Schema, idest figura, sicut nomine ipso patet, « est conformatio quaedam orationis et habitus a communi et primum se offerente ratione remotus »[1]. Differt autem, ceu ante diximus[2], schema a tropo, quod tropus semper nonnisi translatis verbis fiat; schema autem et propriis fit, tametsi et translatis nonnunquam figuratur oratio.

De variis figurarum speciebus, quae fiunt per additionem:

Sunt autem figurarum genera duo: unum quidem, quod in sensu, aliud, quod in verbis versatur. Nos facilitatem secuti, de verborum figuris primo, deinde de his, quae ad mentem pertinent, disseremus; etsi ut natura sensus verbum praeoccupat, ita de his, quae ad sensum pertinent, prius esset[3] loquendum. Generis vero utriusque species plures extant. Verborum itaque figurae tres modi sunt: quaedam enim per additionem, quaedam vero per detractionem et quaedam per similitudinem fiunt. Quae etiam per additionem figurae fiunt, multae sunt.

anaphora et epanaphora,

Est autem prima anaphora, quae etiam epibole dicitur, estque eiusdem verbi crebra repetitio, cum ab eodem verbo saepius ducitur oratio[4], ceu est apud Ciceronem in *Catilinam*[5]: « Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo audiam, sed etiam videam planeque sentiam ». Haec figura etiam epanaphora dicitur[6], et est apud Virgilium[7] pulcherrima:

« Hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori:
Hic nemus, hic ipso tecum consumerer aevo ».

Ita in Sacra Scriptura: *Dicat nunc Israel, quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius; dicat nunc domus Aaron, quoniam in*

1) Cf. Quintilianus op. cit. lib. 9, cp. 1, vol. 2, pag. 87. 2) Cf. *Dissert. 1*, pag. 8-9. 3) Ms.: *Esse*. 4) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 36, (P. L. 82, 111); S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 177; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 4, pag. 370; 5) *Orat. 1*, vol. 2, col. 443. 6) Cf. not. 4 huius *Dissert.* 7) *Bucol.*, *Eclog. 10*, vrr. 42-43.

aeternum misericordia eius; *dicant nunc qui timent Dominum*[8], etc.; et iterum: *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine*; *bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus*[9]. Praeclara anaphora est apud Divum Paulum *ad Corinthios*[10], dum caritatem commendat prae ceteris omnibus virtutibus: *Si linguis hominum loquar*, etc.; ita est etiam illa in Davide[11]: *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis cedros.* Haec figura *in Psalmis* usitatissima est et in Salomone *Ecclesiaste*[12]: *Omnia tempus habent..., tempus nascendi et tempus moriendi*; *tempus plantandi et tempus evellendi*, etc.

Anadiplosis reduplicatio vel congeminatio dictionis est, quae in ultima parte praecedentis sententiae est et in prima sequentis ponitur[13], ceu est apud Virgilium[14]: anadiplosis.

« Certent et cycnis ululae: sit Tityrus Orpheus:
Orpheus in silvis, inter delphinas Arion ».

Ita est illud[15]: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Ierusalem. Ierusalem, quae aedificatur ut civitas*[16]; et illud: *Me dereliquerunt fontem aquae vivae et fecerunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae aquas continere non valent*[17]. – Huic epanadiplosis subnectitur, quae fit cum eadem dictione sententia clauditur a qua exordium sumpsit[18], veluti est apud Virgilium[19]: epanadiplosis.

« Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa ».

Ita est illud: *Deus, quis similis... tibi? Ne taceas neque compescaris, Deus*[20]. – Subiungitur etiam analepsis, quae est sententiae repetitio, ut audientium animo altius insideat[21]; ita est illud: *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete*[22]. – Hic spectat epizeuxis, quae est combinatio quaedam, cum dictio nullo mediante combinatur[23], sicut est apud Virgilium[24]: analepsis, epizeuxis

8) Ps 117, 2-4. Vulg.: *In saeculum.* 9) Ibid. vr. 8. 10) 1 Cor 13, 1. 11) Ps 28, 4. 12) 3, 1-2. 13) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt., Ps. 23*, (P. L. 70, 175); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 36, ibid. 82, 111; lib. 2, cp. 21, ibid. col. 135; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 177; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 4, pag. 369. 14) *Bucol., Eclog. 8*, vrr. 55-56. 15) Ms.: *Illus.* 16) Ps 121, 2. 17) Ier 2, 13. Vulg.: *Quae continere non valent aquas.* 18) Cf. Iul. Rufinianus *De Figuris Sententiarum*, pag. 30. 19) *Aeneid.*, lib. 1, vr. 754. 20) Ps 82, 2. 21) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt., Ps. 82*, (P. L. 70, 596); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, op. 36, ibid. 82, 111; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 177-178; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 4, pag. 370. 22) Phil 4, 4. 23) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt., Ps. 17*, (P. L. 70, 127); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 36, ibid. 82, 111; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 178; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 4, pag. 370. 24) *Aeneid.*, lib. 9, vr. 427.

« Me, me; adsum qui feci »;

ita est illud: *Consolamini, consolamini, populе meus*[25]; et illud: *Elevare, elevare, consurge, Ierusalem*[26]. – Huc accedit etiam palillogia, quae iterata locutio est, cum maioris vehementiae causa aliquid repetitur[27]; ita illud est: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens et decorus aspectu.*[28]

et palillogia,

Polyptoton schema est, quo eiusdem dictionis diversis casibus oratio variatur[29], ceu illud est: « Qui nihil in vita habet iucundius vita, is cum virtute vitam excolere poterit unquam »[30]; et apud Virgilium[31]:

polyptoton,

« Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis: pugnent ipsique nepotes ».

Ita est illud Apostoli[32]: *Gentes, quae non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam autem quae ex fide est*; *Israel autem secundum legem iustitiae in legem iustitiae non pervenit*; et illud: *Ignorantes enim iustitiam Dei et suam quaerentes statuere, iustitiae Dei non sunt subiecti*; *finis enim legis caritas ad iustitiam omni credenti*[33]; et illud: *Nam quae sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi*; *si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est a lege viri*[34]; et iterum: *Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in saeculum*[35]. Ita quoque illud est Isaiae[36]: *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineae suae*: *vinea facta est dilecto meo in cornu filii olei*; *et sepivit eam et lapides elegit ex ea et plantavit vineam electam*, etc.; et illud Davidis[37]: *Mons Dei mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis, ut quid suspicamini montes coagulatos? Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.*

Synonymia schema est, quae nominis communio interpretatur, quo locutionis genere utimur cum uno verbo non satis dignitatem aut magnitudinem rei demonstrasse videmur[38], veluti si di-

synonymia,

25) Is 40, 1. 26) Ibid. 51, 17. 27) Cf. Aquila Rom. *De Figuris Sententiarum et Elocutionibus*, pag. 23; Iul. Rufinianus *De Figuris Sententiarum*, pag. 38; Mart. Capella *De Rhetorica*, pag. 429. 28) Gn 49, 22. 29) Cf. S. Beda *De Schematis*, etc. (P. L. 90, 179); Quintilianus op. cit. lib. 9, cp. 3, vol. 2, pag. 116; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 4, pag. 371. 30) Cicero *Ad Herennium*, lib. 4, vol. 1, col. 52. 31) *Aeneid.*, lib. 4, vrr. 628-629. 32) Rom 9, 30-31. Vulg.: *Israel vero sectando*, etc. 33) Ibid. 10, 3-4. 34) Ibid. 7, 2. 35) Ibid. 11, 36. Vulg.: *In saecula.* 36) 5, 1. Vulg.: *Filii olei . . . elegit ex illa et plantavit eam electam.* 37) Ps 67, 16-17. 38) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 2, cp. 21, (P. L. 82, 136); Cicero *Ad Herennium*, lib. 4, vol. 1, col. 60; Quintilianus op. cit. lib. 9, cp. 3, vol. 2, pag. 117.

camus : afflixit, prostravit, perculit ; et apud Ciceronem[39] : « Abiit, excessit, erupit, evasit » ; ita in Davide legimus[40] : *Persequar inimicos meos et comprehendam illos et non revertar donec deficiant. Confringam illos nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos ... Et comminuam ... ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum delebo eos.* Per omnia enim haec idem intelligit. Ita etiam illud : *Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis*[41]; et illud : *Peccavimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus*[42]. Ita quoque : *Quid est homo, quod memor es eius ? aut filius hominis, quoniam visitas eum ?*[43] idem est ; in hebraeo enim אדם. בן־אדם. איש. אנוש et גבר, idem significant et synonyma sunt[44].

Polysyndeton schema est multis coniunctionibus abundans, cum oratio multis nexa coniunctionibus est[45], ceu est apud Virgilium[46] : polysyndeton.

« Tectumque laremque
Armaque Amiclaeumque canem Cressamque[47] pharetram » ;

ita in *Psalmo*[48] : *Dominus conservet eum et vivificet eum et beatum faciat eum in terra et non tradat eum in animam inimicorum eius.*

Climax, idest gradatio, schema est quo in oratione quasi gradatim a re in rem ascenditur[49], ceu est apud Ovidium[50] : climax.

« Viderat hanc visamque cupit potiturque cupita » ;

et apud Ciceronem[51] : « Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria aemulos comparavit ». Ita in Sacra Pagina apud Apostolorum Principem[52]: *Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem.* Ita quoque apud Beatum Iacobum[53] : *Omne*

39) *In Catilinam Orat. 2*, vol. 2, col. 499. 40) Ps 17, 38-39. 43. Vulg.: *Non convertar*, etc. 41) Is 1, 4. 42) Ps 105, 6. 43) Ps 8, 5. 44) Cf. Io. Buxtorfius *Lexicon Hebraicum et Chaldaeo-Biblicum*, sub his vocibus. 45) Cf. Cassiodorus *Exposit, in Psalt., Ps. 40*, (P. L. 70, 296); *Ps. 72*, ibid. col. 598; S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 36, ibid. 82, 112; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 180; Quintilianus op. cit. lib. 9, cp. 3, vol. 2, pag. 118-119; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 4, pag. 371. 46) *Georg.*, lib. 3, vrr. 343-344. 47) Ms.: *Crassamque.* 48) 40, 3. 49) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt., Ps. 93*, (P. L. 70, 666); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 2, cp. 21, ibid. 82, 135; Quintilianus op. cit. lib. 9, cp. 3, vol. 2, pag. 119. 50) *Fast.*, lib. 3, vr. 21: *Mors videt hanc*, etc. 51) *Ad Herennium*, lib. 4, vol. 1, col. 58. 52) 2 Petr 1, 5-7. 53) 1, 2-4.

gaudium existimate, fratres . . . , cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestrae patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri in nullo deficientes. Similiter apud Beatum Paulum [54] : *Gloriamur in tribulationibus* nostris *scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem; spes autem non confundit, quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris.*

Figurae quae fiunt per detractionem: eclipsis, seu synecdoche

Sequuntur schemata quae per detractionem fiunt, quaeque brevitatis ac novitatis gratia petuntur; quarum prima est eclipsis, quae etiam synecdoche dicitur. Est autem verbi alicuius in oratione defectus, cuius subtractio satis ex ceteris intelligitur [55], veluti apud Terentium in *Andria* legimus [56] :

« Verbum unum cave de nuptiis »;

deest: ne dicas. Figura haec non raro in Sacra Scriptura iuxta Hebraicam Veritatem reperitur; linguae etenim sanctae peculiare et usitatissimum est ut verbum sum, es, est in oratione saepissime desit et quam raro ponatur, sicut cuilibet vel prima eius linguae rudimenta habenti liquet. Praeter haec autem alias schema istud reperitur, ut est illud Sacrae *Geneseos* [57] : *Dixitque Cain ad Abel . . . : Egrediamur foras.* In hebraeo eclipsis est, non sunt enim ea verba: *Egrediamur foras.* Ita plerique [58] illud intelligunt: *Si quis occiderit Cain septuplum punietur* [59], ut eclipsis sit media et sit sensus: Si quis occiderit Cain punietur; at Cain septuplum, vel septenis punietur, quia septima generatione a Lamech putatur occisus [60]. Per hanc figuram intelligimus locum illum Evangelii [61] : *Si quis dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit moechatur* : unum deest verbum; sunt enim duae sententiae: *Si quis dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem* peccat, quia *quod . . . Deus coniunxit, homo separare non debet* [62]; qui vero, uxore dimissa, utcumque *aliam duxerit moechatur.* – Differt autem istud schema ab aposiopesi,

et in quo differat ab aposiopesi;

quae sententiarum figura est, quod in eclipsi quidem unum verbum et illud quidem manifestum ac certum desideratur, in aposiopesi vero,

54) Rom 5, 3-5. 55) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt., Ps. 118,* (P. L. 70, 853); Mart. Cappella op. cit. pag. 430; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 2, pag. 361. 56) *Actus 1, scena 5,* pag. 31. 57) 4, 8. 58) Cf. not. 226-232, cp. 4 *Explanationis.* 59) Gn 4, 15. 60) Cf. not. 260, cp. 4 *Explanationis.* 61) Mt 19, 9. Vulg.: *Quicumque.* 62) Ibid. vr. 6. Vulg.: *Homo non separet.*

de qua suo loco dicemus, aut incertum est quod tacetur, aut certe longiore sermone explicandum [63].

asyndeton, sive dialyton, Asyndeton, sive dialyton, dissolutio quaedam est, cum, demptis ab oratione coniunctionibus, disiuncte plura dicuntur [64], ut apud Virgilium [65]:

« Ite,
Ferte citi flammas, date vela, impellite remos »;

tale est illud in *Psalmo* [66]: *Iubilate Deo, omnis terra, psalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius*; *dicite Deo*: *Quam terribilia sunt opera tua, Domine*. Haec figura aliquando in solis verbis est, ut apud Ciceronem [67]: « Sit in eius tutela Gallia, cuius virtuti, fidei, felicitati commendata est »; aliquando in sententiis apta est, ut est illud eiusdem [68]: « Haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur ». Ita quoque in Sacra Scriptura, in verbis tantum, ut illud Iacobi [69]: *Non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica*; et iterum: *Quae... desursum est sapientia primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordiae* [70], etc. In sententiis autem, ut illud Apostoli [71]: *Caritas patiens est, benigna est*; *non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati*, etc.

protozeugma, Protozeugma, sive hypozeugma, adiunctio est, in qua ad unum verbum, quod primum aut postremum collocatur, plures sententiae referuntur [72]. Fit autem haec tribus modis: aut verbo praeposito, ad quod reliqua respiciant, ut: « Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia » [73]; aut verbo postposito, ut: « Neque is es, Catilina, ut te aut pudor a turpitudine, aut metus a

63) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt.*, *Ps. 17.* (P. L. 70, 135); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 2, cp. 21, ibid. 82, 138; Quintilianus op. cit. lib. 9, cp. 2, vol. 2, pag. 102. 64) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 36, (P. L. 82, 112); S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 180; Quintilianus op. cit. lib. 9, cp. 3, vol. 2, pag. 118; cp. 4, pag. 129; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 4, pag. 369. 371. 65) *Aeneid.*, lib. 4, vrr. 593-594. 66) 65, 1-3. 67) *De Provinciis Consularibus*, vol. 2, col. 737. 68) *Orat. pro Archia*, ibid. col. 546. 69) 3, 15. 70) Ibid. vr. 17. 71) 1 Cor 13, 3-4. 72) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 36, (P. L. 82, 110); S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 176-177, sub verbo *zeugma*.
73) Cicero *Orat. pro A. Cluentio*, vol. 2, col. 254.

periculo, aut ratio a furore revocarit »[74]; aut in medio sensuum posito verbo, ut :

« Troiugena interpres divum, qui numina Phoebi,
Qui tripodas Clarii lauros, qui sidera sentis
Et volucrum linguas et praepetis omina pennae »[75].

Ita plane in Sacra Scriptura iuxta primum modum est illud Apostoli[76]: *Hoc autem scito quia in novissimis diebus instabunt tempora periculosa et erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace*; et illud in Lege[77]: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua et ex omnibus viribus tuis et proximum tuum sicut teipsum.* Secundo autem modo est illud Apostoli[78]: *Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasphemia tollatur a vobis.* Per tertium autem modum est illud : *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quae facta sunt intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas*[79].

hypozeuxis. Hypozeuxis figura est superiori contraria, cum singulis sensibus datur propria clausula et singulae sententiae singulis clausulis clauduntur[80], ceu est illud Ciceronis[81]: « Homerum Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnaei vero esse suum confirmant »; sic est illud Virgilii[82]:

« Regem adit, et regi memorat nomenque genusque,
Quidve petat, quidve ipse ferat, Mezentius arma,
Quae sibi conciliet, violentaque pectora Turni
Edocet : humanis quae sit fiducia rebus,
Admonet, immiscetque preces : haud fit mora, Tarchon
Iungit opes foedusque ferit ».

Tale est illud *Psalmi*[83]: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum et in via peccatorum non stetit et in cathedra pestilentiae non sedit,* etc.; et illud : *Virtutem terribilium tuorum dicent et magnitudinem tuam*

74) Cicero *In Catilinam Orat. 1*, ibid. col. 446. 75) Virg. *Aeneid.*, lib. 3, vrr. 359-361. 76) 2 Tim 3, 1-3. Vulg.: *Quod*, etc. 77) Lc 10, 27, Vulg.: *Ex omnibus viribus tuis et ex omni mente tua*, etc. Cf. Dt 6, 4-5. 78) Eph 4, 31. 79) Rom 1, 20. 80) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt.*, *Ps. 1*, (P. L. 70, 29); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 36, ibid 82, 100; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 178; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 4, pag. 369. 81) *Orat. pro Archia.* vol. 2, col. 546. 82) *Aeneid.*, lib. 10, vrr. 149-154. 83) 1, 1.

narrabunt; *memoriam abundantiae suavitatis tuae eructabunt et iustitia tua exultabunt* [84]. Ita quoque illud est Apostoli [85]: *Sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur.* Est vero hoc schema frequens in Sacra Scriptura.

Sunt et schemata tertii generis, quae aut vocum similitudine, aut paribus, vel contrariis fiunt ad animos excitandos. Est autem primum paronomasia, annominatio sive denominatio quaedam est; παρόνυμα enim Graecis idem sunt ac denominativa Latinis. Fit autem cum paululum immutata verba atque deflexa in oratione ponuntur [86]. Ita illud est: *Iustus Dominus et iustitiam dilexit, aequitatem vidit vultus eius* [87]; et illud: *Bonus es tu et in bonitate tua doce me iustificationes tuas* [88]. Solet autem ea figura plerumque apud oratores vocum similitudine fieri, ut apud Ciceronem [89]: « Qui fuit locus felicissimus nunc erit lucus desertissimus et custodia sacrorum non honoris, sed oneris existimabitur ». Ita apud Terentium [90]: **Figurae quae fiunt per similitudinem: paronomasia**

« Nam inceptio amentium est, haud amantium ».

Quando autem non ex nominum, sed verborum similitudine id fieri contingit, paromoeon dicitur [91], veluti si quis non orare, sed arare dicatur [92]. Hoc schemate usus elegantissime est Isaias in sua lingua cum ait [93]: *Expectavi ut faceret iudicium, et ecce iniquitas...; iustitiam, et ecce clamor.* Est enim in hebraeo: וַיְקַו לְמִשְׁפָּט וְהִנֵּה מִשְׂפָּח לִצְדָקָה וְהִנֵּה צְעָקָה׃ pro *iudicio* enim משפט posuit; pro *iniquitate* משפח; pro *iustitia* צדקה; pro *clamore* צעקה. Eodem quoque modo in eadem lingua fit paromoeon, cum שכל, quod est prudenter agere et intelligere, et סכל, quod est stulte agere, ponitur. **et paromoeon,**

Homoeoptoton, idest similiter cadens, schema est cum in similes casus exeunt dicta plurima, etiam si dissimilia sint quae **homoeoptoton,**

84) Ps 144, 6-7. 85) 1 Cor 13, 8. 86) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt.*, *Ps. 102*, (P. L. 70, 721); *Ps. 118*, ibid. col. 858; S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 36, ibid. 82, 111; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 178; Quintilianus op. cit. lib. 9, cp. 3, vol. 2, pag. 121; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 4, pag. 370. 87) Ps 10, 8. 88) Ps 118, 68. 89) *Fragmenta librorum incertorum*, vol. 4, col. 713: « Fuit locus religiosissimus is erit desertissimus et custodia castrorum non honoris, sed oneris existimatus ». 90) *Andria, actus 1, scena 3*, pag. 24. 91) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 36, (P. L. 82, 111); S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 179; Quintilianus op. cit. lib. 8, cp. 6, vol. 2, pag. 83; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 4, pag. 370. 92) Cf. Cicero *Philippica 3*, vol. 2, col. 861. 93) 5, 7.

declinantur [94], ceu est illud: «Merentes, flentes, lacrimantes, commiserantes» [95]; et apud Ciceronem [96]: «Est idem Verres, qui fuit semper, et ad audendum proiectus, et ad audiendum paratus»; et: «Qui in his rebus non ita defendatur ut mediocris praetor, sed laudetur ut optimus imperator» [97]. Ita in Sacro Eloquio: *Benedixisti, Domine, terram tuam, avertisti captivitatem Iacob. Remisisti iniquitatem plebis tuae, operuisti omnia peccata eorum* [98]; et illud: *Cantate et exultate et psallite* [99]. Et apud Ezechielem [100]: *Quod si genuerit filium latronem effundentem sanguinem;* et paulo post: *In montibus comedentem et uxorem proximi sui polluentem, egenum et pauperem contristantem, sapientem rapinas, pignus non reddentem et ad idola levantem oculos suos, abominationem facientem, ad usuras dantem et amplius accipientem, nunquid vita vivet?* [101]

homoeoteleuton

Homoeoteleuton, idest similiter desinens, schema est cum duarum vel plurium sententiarum similis est finis [102], hoc est cum orationis membra vel articuli simili exitu terminantur, ceu est illud: «Eiusdem non est et facere fortiter et vivere turpiter» [103]; apud Ciceronem [104]: «Ut eius semper voluntati non modo cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint»; «Non modo ad salutem eius extinguendam, sed et gloriam per tales viros extinguendam» [104a]. Ita in Sacro Eloquio apud *Ecclesiasten* [105]: *Melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias;* et item: *Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi* [106]. Schema istud eo a superiori discriminatur quod illud quidem ubique, istud vero in membris et articulis extremis fiat orationis, et illud quidem verbis nominibusque confici, istud vero indeclinabilibus etiam possit, et illud similis tantum casus sit, etiamsi dissimilia sint quae declinantur, istud vero in eosdem penitus exitus cadit.

et in quo differat ab homoeoptoton;

94) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt., Ps, 97,* (P. L. 70, 690); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 36, ibid. 82, 111; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 179; Quintilianus op. cit. lib. 9, cp. 3, vol. 2, pag. 122; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 4, pag. 371. 95) Cicero *Ad Herennium*, lib. 4, vol. 1, col. 51. 96) *In Verrem, Actio 2*, lib. 1, vol. 2, col. 85. 97) Ibid. lib. 5, col. 263. 98) Ps 84, 2-3. 99) Ps 97, 4. 100) 18, 10. 101) Ibid. vrr. 11-13. Vulg.: *Ad usuram dantem.* 102) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt., Ps. 84*, (P. L. 70, 607); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 36, ibid. 82, 111; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 178; Quintilianus op. cit. lib. 9, cp. 3, vol. 2, pag. 122; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 4, pag. 370. 103) Cf. Dom. De Colonia *De Arte Rhetorica*, lib. 1, cp. 5, pag. 99, qui dictum hoc tribuit Quintiliano. 104) *Pro Lege Manilia*, vol. 2, col. 246. 104a) *Pro Milone*, ibid. col. 766. 105) 6, 9. 106) Ibid. 7, 6.

isocolon.

I s o c o l o n, idest compar, schema est cum orationis membra ex pari fere syllabarum numero constat[107], ceu est apud C i c e r o n e m[108] : « Extrema hieme apparuit, ineunte vere suscepit, medio aestate confecit »; et iterum : « Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia »[109]. Ita in Sacris Litteris est illud A p o s t o l i[110] : *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit ;* et illud : *Caritas* est *de corde puro et conscientia bona et fide non ficta*[111] *;* et apud M o y s e n[112] : *Gens absque consilio est et sine prudentia ; utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent* !

antitheton.

A n t i t h e t o n, idest contrapositum, schema est cum contrariis contraria opponuntur[113], ceu est illud O v i d i i[114] :

« Calida pugnabant frigidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus ».

Ita Sacro Eloquio : *Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore ; repleti prius pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt ; donec sterilis peperit plurimos, et quae multos habebat filios infirmata est ; Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit ; Dominus pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat*[115]. Ita : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*[116] *; Qui se exaltat humiliabitur et qui se humiliat exaltabitur*[117]. Frequentissimum est schema istud in Sacra Scriptura.

antimetabole, sive metathesis.

A n t i m e t a b o l e, sive m e t a t h e s i s, idest commutatio, schema est cum duae sententiae inter se discrepantes ita efferuntur ut a priori posterior contraria proficiscatur[118], veluti est : « Non ut edam vivo, sed ut vivam edo »[119]; item : « Si poema loquens pictura est, et pictura tacitum poema »[120]. Ita in Sacra Scriptura : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*[121] *;* et illud *Machabaeorum 2*[122] : *Verum non propter locum gentem, sed propter gentem locum Deus elegit.*

107) Cicero *Ad Herennium*, lib. 4, vol. 1, col. 55; Aquila Rom. op. cit. pag. 22; Quintilianus op. cit. lib. 9, cp. 3, vol. 2, pag. 123. 108) *Pro Lege Manilia*, vol. 2, col. 343. 109) *Orat. pro A. Cluentio*, vol. 2, col. 254. 110) 1 Cor 3, 6. Vulg.: *Sed Deus*, etc. 111) 1 Tim 1, 5. 112) Dt 32, 28-29. 113) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 1, cp. 36, (P. L. 82, 112); lib. 2, cp. 21, ibid. col. 135; Quintilianus op. cit. lib. 9, cp. 2, vol. 2, pag. 101; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 3, pag. 368. 114) *Metamorph.*, lib. 1, vrr. 15-16. 115) 1 Rg 2, 4-7. 116) Iac 4, 6. 117) Lc 14, 11. 118) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 2, cp. 21, (P. L. 82, 136); Quintilianus op. cit. lib. 9, cp. 3, vol. 2, pag. 124; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 3, pag. 368. 119) Cicero *Ad Herennium*, lib. 4, vol. 1, col. 60. 120) Ibid. 121) Io 15, 16. 122) 5, 19.

DISSERTATIO TERTIA

DE SCHEMATIBUS SENTENTIARUM

De figuris quae a rebus sumuntur:

Post verborum figuras sententiarum ornamenta sequuntur, quae schemata non in verbis, sed in rebus ipsis quandam habere dignitatem videntur. Est autem harum prima erotesis, sive erotema.

erotesis, sive erotema

Erotesis, idest interrogatio, schema est quoties non sciscitandi gratia assumitur, sed instandi [1], ceu est apud Virgilium [2]:

« Heu ! quae nunc tellus, inquit, quae me aequora possunt
Accipere ? »

Item :

« Quid agam aut quae iam satis ima dehiscat
Terra mihi ? » [3]

Convenit hoc schema nonnunquam indignationi, ut apud eundem [4]:

« Et quisquam [numen] Iunonis adoret ? »

et admirationi, ut :

« Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames ? » [5]

Schema istud frequentissimum in Sacra Scriptura est, quibuscumque fiat modis : *Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania ?* [6] *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me ?* [7] *Quo ibo a spiritu tuo et quo a facie tua fugiam ?* [8] « Quid faciam miser? ubi fugiam? » [9] *Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam ?* [10] *Generatio prava atque perversa, haeccine reddis Domino, popule stulte et insipiens ?* [11] Profecto quotiescumque in Sacra Scriptura Deum quidpiam sciscitantem vel interrogantem legimus, erotema esse intelligere debemus. – Est et alia inquisitio, quae exetasmos

1) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt.*, *Ps. 2*, (P. L. 70, 36); *Ps. 118*, ibid. col. 840; Cicero *Ad Herennium*, lib. 4, vol. 1, col. 53; Aquila Rom. op. cit. pag. 12; Mart. Capella op. cit. pag. 428. 2) *Aeneid.*, lib. 2, vrr. 69-70. 3) Ibid. lib. 10, vrr. 675-676. 4) Ibid. lib. 1, vr. 52. 5) Ibid. lib. 3, vrr. 56-57. 6) Ps 2, 1. 7) Ps 3, 1. 8) Ps 38, 7. 9) *Respons.* 6 in Off. Def. ad Mat. 10) Dt 32, 37. 11) Ibid. vr. 5.

et illi affines, exetasmos et

dicitur, cum res plures atque diversas cum interrogatione disquirentes singulis convenientia respondentes applicamus[12], ceu est apud D a v i d e m[13]: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam*, etc.; similiter: *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus et mundo corde*, etc.[14] –

antipophora;

Est et alia huius generis, quae a n t i p o p h o r a dicitur, cum interrogationi obiectae respondemus, in hoc tantum adversariorum dicta sententiasque accipientes, ut respondeamus[15], veluti est illud: *Multi dicunt: quis ostendet nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*[16]. Hoc addidit pro responsione divinum lumen menti rationique infusum.

ethopoeia, sive ethologia,

E t h o p o e i a, sive e t h o l o g i a, motuum est affectuumque alicuius ficta expressio[17], schema est cum verbis sonoque vocis exprimitur ac describitur alicuius consuetudo et mos, unde e t h o p o e i et e t h o l o g i histriones dicuntur, qui mores et gestus imitantur eius personae, quam sustinent. Istud schema frequentissimum in Sacra Scriptura est, quae saepissime Deum introducit sub forma hominis irati, aut rei alicuius poenitentis, vel regis, iudicis, senis, sponsi, etc. Sic M o y s e s saepissime in *Pentateucho*[18], D a v i d in *Psalmis*[19] et Prophetae[20] in libris suis Deum loquentem, aut aliquid agentem inducunt, et quaecumque de Deo per ἄνθρωπος-πάθος[20a] dicuntur, ad hoc schema pertinere censenda sunt, nec proprie, sed figurate accipienda; unde Anthropomorphitae haeretici[21] decepti et alucinati sunt, quae de Deo per ἀνθρωποπάθειαν dicuntur proprie accipientes, existimabant Deum corpus et membra habere humanae formae. –

et eius differentia a prosopopoeia;

Huic schemati affine et proximum p r o s o p o p o e i a est, hoc enim solo

12) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt.*, *Ps. 23*, (P. L. 70, 172). 13) Ps 14, 1-2. 14) Ps 23, 3-4. 15) Cf. Quintilianus op. cit. lib. 9, cp. 3, vol. 2, pag. 124; Iul. Rufinianus op. cit. pag. 50. 16) Ps 4, 6-7. Vulg.: *Ostendit*, etc. 17) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt.*, *Ps. 15*, (P. L. 70, 112); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 2, cp. 14, ibid. 82, 132; cp. 21, ibid. col. 138; Iul. Rufinianus op. cit. pag. 52; Emporius Rhetor *De Ethopoeia ac Loco Communi*, pag. 303-305. 18) Cf. Gn 6, 5-7; Ex 32, 12; Dt 3, 26; 4, 21; 29, 24. 19) Cf. Ps 5, 3; 7, 12; 23, 8-10; 28, 10; 49, 6; 67, 6; 74, 8. 20) Cf. Is 62, 5; Ier 21, 5 sqq.; Thr 2, 3; Bar 4, 6; Ez 7, 14; 20, 8; Dn 7, 22; Zach 1, 15. 20a) Ms.: *Anthropospaton*, et infra: *Anthropopathiam*. 21) Cf. S. Epiphanius *Adversus Haereses*, *Haeres. 60*, (P. G. 42, 339 sqq.); Theodoretus *Compendium Haeret. Fabularum*, cp. 10, ibid. 83, 427; S. Io. Damascenus *De Haeresibus*, *Haeres. 70*, ibid. 94, 719-722; S. Hieronymus *Contra Io. Ierosolymitanum*, (P. L. 23, 363-364); S. Augustinus *De Haeresibus ad Quodvultdeum*, *Haeres. 50*, ibid. 42, 39; Cassianus *Collatio 10*, cp. 2, ibid. 49, 821-823; et not. b.

discrimine intersunt, quod prosopopoeia eorum etiam, quae non sunt, esse potest, etenim ea nonnunquam mortuos suscitamus et loquentes introducimus; ethopoeia vero semper certis quibusdam personis sermonem accommodate affigimus.

prosopopoeia

Prosopopoeia personarum ficta inductio est, cum rebus inanimatis personam orationemque tribuimus [22], quale est illud apud Ciceronem [23]: «Si mecum patria, quae mihi mea vita multo est carior, si cuncta Italia et omnis respublica sic loqueretur: Marce Tulli, quid agis ?» etc. Istud etiam schema usitatissimum est in Sacra Scriptura. Sic enim in libro *Iudicum* [24] figurate dicitur locuta esse ligna silvarum ad ficum, olivam et vineam, illaque respondisse. Sic dicit Propheta [25]: *Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam.* Et Iob ait [26]: *Abyssus dicit: Non est in me, et mare loquitur: Non est mecum.* Et iterum: *Perditio et mors dixerunt: Auribus nostris audivimus famam eius* [27]. Et Sapientia in *Proverbiis* clamitans, multa loquitur [28]; Salomon in *Canticis Canticorum* Ecclesiam sub sponsae habitu introducit et Deum sub habitu sponsi et multa amatorie colloqui. Prophetae frequentissime gentem Israel et Iuda mulieris veste inducunt, nunc sponsae et virginis electae, nunc mulieris meretricis et fornicariae; et multa ad eas gentes tanquam mulieres Deum loquentem introducunt, eas quoque multa et dicentes et respondentes Deo muliebri habitu [29]. Isaias quoque universum populum sub hominis perditissimi specie depingit, dicens [30]: *Omne caput languidum, et omne cor moerens. A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas: vulnus et livor et plaga tumens non sunt circumligata nec curata medicamine neque fota oleo.* – Huic schemati aliud propemodum idem subnectitur, quod somatopoeia, idest corporis fictio, dicitur [31]. Est autem somatopoeia corporis inductio ficta, cum incorporeis rebus corporeas figuras, formas, habitus actusque tribuimus, quemadmodum Aegyptiorum sapientissimi incorporea multa solebant sub hieroglyphicorum sensibilibus formis

et huic similes, somatopoeia

22) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt.*, *Ps. 92*, (P. L. 70, 663); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 2, cp. 13, ibid. 82, 132; Quintilianus op. cit. lib. 9, cp. 2, vol. 2, pag. 98. 23) *In Catilinam, Orat. 1*, vol. 2, col. 447. 24) Cf. 9, 10-15. 25) Ps 92, 3. 26) 28, 14. 27) Ibid. vr. 22. 28) Cf. 1, 20-33; 8, 1 sqq. 29) Cf. Is 1, 21; 61, 10; Ier 2, 20; Thr 2, 13; Ez 16, 28 sqq. 30) 1, 5-6. Vulg.: *Non est circumligata.* 31) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt.*, *Ps. 84*, (P. L. 70, 609).

depictis edocere [32]. Ita plane in *Psalmo* legimus [33]: *Misericordia et veritas obviaverunt sibi, iustitia et pax osculatae sunt; veritas de terra orta est et iustitia de coelo prospexit.* Et apud Isaiam [34]: *Erit iustitia cingulum lumborum eius et fides cinctorium renum eius.* Ita Deus et angeli saepissime in Scripturis Sacris sub diversarum rerum corporalium formis introducuntur [35], et in *Proverbiis* [36] Sapientia sub specie mulieris fortis nobis proponitur cum dicitur: *Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium eius. Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit,* etc. – Adhuc subnectitur aliud schema superioribus veluti ex adverso; dicitur autem istud antiprosopon, cum gratissimum quidpiam et optimum pro ingratissimo ponitur [37], veluti cum legimus: *scelera Iacob* [38], *peccata Israel* [39], *iniquitas Iudae* [40] et cetera huiuscemodi; pro nequissima enim gente sanctissimorum patrum nomina ponuntur.

et antiprosopon;

apostrophe,

Apostrophe, idest conversio, schema est cum ab eo, ad quem prius fiebat sermo, ad alium vertitur [41], quale est illud: « Te nunc alloquor, Africane, cuius nomen mortui splendori ac decori est civitati » [42]. Fieri etiam solet cum ad invocationem aliquando convertimur. Schema istud frequentissimum est in *Psalmis*, ut non oporteat exempla adducere.

hypotyposis, seu characterismos,

Hypotyposis, idest descriptio, quae et characterismos dicitur, schema est cum verborum quaedam proponitur forma adeo verbis expressa ut cerni potius videatur quam audiri [43]. Huius schematis enim est quae dicuntur sub aspectum ponere, ut quae non videntur, oculis animi cerni possint, ceu est illud Ciceronis *in Verrem* [44]: « Ipse inflammatus scelere ac furore in forum venit; ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat ». Hoc item schema

32) Cf. Clemens Alex. *Stromata*, lib. 5, cp. 4, (P. G. 9, 39); Philo Iudaeus *De Vita Mosis*, t. 2, pag. 6; A. Macrobius *Saturnalia*, lib. 1, cp. 21, pag. 267; Tacitus *Annales*, lib. 11, pag. 224; Plinius *Historia Naturalis*, lib. 36, cp. 8, pag. 402; Iamblicus *De Mysteriis Aegyptiorum*, *Segment. 8*, cp. 5, pag. 134. 33) 84, 11 34) 11, 5. 35) Cf. Gn 18, 1; 19, 1 sqq.; Nm 22, 22 sqq.; Idc 6, 11 sqq.; Tob 3, 25; 5, 6 sqq.; Lc 1, 11 sqq.; Act 12, 7 sqq. 36) 31, 10-11. 37) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt., Ps. 78*, (P. L. 70, 576). 38) Cf. Is 58, 1; Mich 1, 5; 3, 8. 39) Cf. 2 Par 17, 4; Is 58, 1; Dn 9, 20; Os 10, 8; Mich 3, 8 40) Cf. Ez 4, 6; 9, 9. 41) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt., Ps. 19*, (P. L. 70, 145); Aquila Rom. op. cit. pag. 17-18; Iul. Rufinianus op. cit. pag. 43; Quintilianus op. cit. lib. 9, cp. 2, vol. 2, pag. 99. 42) Cicero *Ad Herennium*, lib. 4, vol. 1, col. 53. 43) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt., Ps. 9*, (P. L. 70, 87-88); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 2, cp. 21, ibid. 82, 139; Cicero *Ad Herennnium*, lib. 4, vol. 1, col. 74; Quintilianus op. cit. lib. 9, cp. 2, vol. 2, pag. 100. 44) Lib. 5, vol. 2, col. 296.

frequens est in Sacro Eloquio, ut apud Davidem [45] : *Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Item in alio *Psalmo* [46] *: Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.*

aposiopesis, Aposiopesis, idest reticentia vel obticentia vel praecisio quaedam verbi in oratione est [47], ut apud Virgilium [48] :

« Quos ego! Sed motos praestat componere fluctus ».

Hoc schema frequens in Sacra Scriptura est iuxta hebraicum, ut in *Genesi* [49], ubi nostra Translatio habet: *Dixitque Cain ad Abel fratrem suum*: *Egrediamur foras;* in hebraeo aposiopesis est, deest enim illud: *Egrediamur foras.* Similiter *Regum 2* [50], ubi Translatio nostra habet: *Proposuerat... David... praemium ei, qui percusserit Iebusaeum*; Veritas Hebraica habet: *Et dixit David: quicumque percusserit Iebusaeum*; nec quidquam ibi de praemio exprimitur.

emphasis, Emphasis, idest expressio vel demonstratio, cum ex dicto aliquo aliud eruitur, vel significatio est ad plus intelligendum quam dicatur, quoniam verbis subest significantia tacita [51]. Eius duo sunt genera : alterum, quo plus significatur, quam dicitur, sicut est illud: Ita ne Cretensi fidem habes? ubi hominem pro gentis illius ingenio perfidum intelligimus, non in Creta natum; alterum vero, quo illud etiam, quod non dicitur, significatur, quale est illud apud Virgilium [52] :

« Cum iam glandes atque arbuta sacrae
Deficerent silvae »,

ubi designat quod nedum aliis silvis, sed etiam sacrae deficiebant. Sic et in Sacro Eloquio est illud: *Secundum misericordiam tuam memento mei tu propter bonitatem tuam, Domine* [53]; designat enim non ex suis meritis misericordiam poscere.

Epiphonema, acclamatio, schema est cum iam narratae

45) Ps 8, 5-8. 46) 44, 9. 47) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt.*, *Ps. 17*, (P. L. 70, 135) et not. 63 *Dissert. 2.* 48) *Aeneid.*, lib. 1, vr. 139. 49) 4, 8. 50) 5, 8. 51) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt.*, *Ps. 43*, (P. L. 70, 313); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 2, cp. 20, ibid. 82, 134; Quintilianus op. cit. lib. 9, cp. 2, vol. 2. pag. 104. 52) *Georg.*, lib. 1, vrr. 148-149. 53) Ps 24, 7.

et probatae rei fit acclamatio quaedam[54], veluti apud Virgilium[55]: epiphonema.

« Tantae molis erat Romanam condere gentem ! »

Ita Regius Propheta[56], cum multa magnalia de Deo dixisset, acclamavit dicens : *Omnia quaecumque voluit Dominus fecit in coelo et in terra, in mari et in omnibus abyssis.*

Epanodos, idest reditus vel regressio aut repetitio, schema est cum regredimur unde mox discessimus[57], ceu in *Psalmo : Mare vidit et fugit, Iordanis conversus est retrorsum ; montes exultaverunt ut arietes et colles sicut agni ovium. Quid est tibi, mare, quod fugisti et tu, Iordanis, quia conversus es retrorsum ?* etc.[58] epanodos.

Anacoenosis, idest communicatio, schema est cum quempiam veluti interrogando consulimus[59], quale est illud Ciceronis[60]: «Nunc ego, iudices, iam vos consulo, quid mihi faciendum putetis », etc.; sic et in *Actis Apostolorum*[61] *:* Si hominibus magis quam Deo sit obediendum, ipsi iudicate. anacoenosis.

Ecphonisis, idest exclamatio, schema est quod significatione doloris aut indignationis, gaudii vel admirationis conficit in rei alicuius compellationem[62], cuiusmodi apud Ciceronem persaepe legimus, ut *in Antonium*[63] *:* « O miserum me ! Consumptis enim lacrimis infixus tamen pectori haeret dolor ! » et *contra Rullum*[64] *:* « O perturbatam rationem ! o libidinem refraenandam ! o consilia dissoluta, atque perdita ! » et *in Catilinam*[65] *:* « O tempora, o mores ! Senatus[66] hoc intelligit, consul videt, hic tamen vivit ». Ita et in Sacris Eloquiis, doloris, ut : *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus*[67] ! Et illud : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*[68] *?* Indignationis, ut in *Actis Apostolorum*[69] *: O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiae,* etc. Et illud, admirationis, ut : *O altitudo divitiarum* ecphonisis.

54) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt., Ps. 22,* (P. L. 70, 171); Iul. Rufinianus op. cit. pag. 35. 55) *Aeneid.*, lib. 1, vr. 37. 56) Ps 134, 6. 57) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt., Ps. 113,* (P. L. 70, 812); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 2, cp. 21, ibid. 82, 136; Quintilianus op. cit. lib. 9, cp. 3, vol. 2, pag. 116. 125. 58) 113, 3-6. 59) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt., Ps. 10,* (P. L. 70, 93); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 2, cp. 21, ibid. 82, 138; Iul. Rufinianus op. cit. pag. 31-32. 60) *In Verrem, Actio 1*, vol. 2, col. 80. 61) Cf. 4, 19. 62) Cf. Cicero *Ad Herennium*, lib. 4, vol. 1, col. 53; Gabr. Franc. Lejay *Bibliotheca Rhetorum*, lib. 3, art. 8, pag. 198. 63) *Philippica 2*, vol. 2, col. 844. 64) *De Lege Agraria contra Rullum 2*, ibid. col. 417. 65) *In Catilinam, Orat. 1*, ibid, col. 441. 66) Ms.: *Sanatus.* 67) Thr 1, 12. 68) Mc 15, 34. 69) 13, 10.

sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius! [70] Gaudii, ut: *O quam pulcra est casta generatio cum claritate!* [71]

deisis

D e i s i s, idest deprecatio vel obsecratio, schema est cum alicuius opem imploramus, vel cum obsecratione ad aliquid agendum quempiam inducimus [72], sicut apud C i c e r o n e m legimus *pro Deiotaro* [73]: « Quamobrem hoc nos primum metu, Cai Caesar, per fidem, et constantiam, et clementiam tuam libera, ne residere in te ullam partem iracundiae suspicemur ». Schema istud ubique in Sacra Scriptura respersum est et in *Psalmis* quam maxime, et A p o s t o l u s [74] saepe cum obsecratione bona operari monet: *Obsecro . . ., fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Ad Ephesios* [75] quoque obsecrantis personam induit: *Obsecro . . ., ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis in vocatione, in qua vocati estis.* – Huic et o p t a t i o n i s schema subnectitur, quae voti alicuius praebet significationem [76], ut C i c e r o [77]: « Utinam, Quirites, virorum fortium atque innocentium tantam copiam haberemus! » Et *pro Rabirio* [78]: « Utinam mihi facultatem causa concederet, ut possem hoc praedicare! » In Sacris Eloquiis saepe optantis personam sancti induunt: *Utinam dirigantur viae meae ad custodiendas iustificationes tuas!* [79] I s a i a s [80] quoque ait: *Utinam attendisses mandata mea! facta fuisset sicut flumen pax tua et iustitia tua sicut gurgites maris.* Et iterum: *Utinam disrumperes coelos et descenderes! a facie tua montes defluerent. Sicut exustio ignis tabescerent, aquae arderent igni, ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis* [81].

et illi similis optatio,

catara

C a t a r a, idest execratio sive detestatio, schema est quo dirum exitium cuipiam imprecatur [82], ut apud C i c e r o n e m *pro Deiotaro* [83]: « Dii te perdant, fugitive: ita non modo nequam et improbus, sed et fatuus et amens es ». Hoc schema usitatum valde in Sacra Scriptura est. Horribilem imprecationem apud I e r e m i a m legimus: [84]

70) Rom 11, 33. 71) Sap 4, 1. 72) Cf. Cicero *Ad Herennium*, lib. 3, vol. 1, col. 38; Iul. Rufinianus op. cit. pag. 33; Gabr. Franc. Lejay *Bibliotheca Rhetorum* lib. 3, art. 8, pag. 194. 73) Vol. 2, col. 814. 74) Rom 12, 1. 75) 4, 1. 76) Cf. Gabr. Franc. Lejay *Bibliotheca Rhetorum*, lib. 3, art. 8, pag. 196. 77) *Orat. pro Lege Manilia*, vol. 2, col. 241. 78) Ibid. col. 437. 79) Ps 118, 5. 80) 48, 18. 81) Ibid. 64, 1-2. 82) Cf. Gabr. Franc. Lejay *Bibliotheca Rhetorum*, lib. 3, art. 8, pag. 197. 83) Vol. 2, col. 817. 84) 18, 20-21. Vulg.: *In manus gladii.*

Nunquid redditur pro bono malum, quia foverunt foveam animae meae?... Propterea da filios eorum in famem et deduc eos in manum gladii, fiant uxores eorum absque liberis et viduae, et viri earum interficiantur morte, iuvenes eorum confodiantur gladio in proelio, etc. Detestationem quoque in Amos legimus [85] : *Iuravit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus exercituum : Detestor ego superbiam Iacob et domos eius odi et tradam civitatem cum habitatoribus suis.* – Huic schemati exprobratio subnectitur, veluti est illud Apostoli [86] : *O insensati Galatae, quis vos fascinavit non credere Evangelio ?* Sunt et illae exprobrationes, quas fecit Dominus civitatibus illis, in quibus factae erant plurimae virtutes [87]. – Increpationes quoque multae sunt in universa Sacra Scriptura : *Generatio prava atque perversa, haeccine reddis Domino, popule stulte et insipiens ? Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te et fecit et creavit te ?* [88] – Insultationes quoque in impios frequentes sunt, veluti : *Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam, de quorum victimis comedebant adipes et bibebant vinum libaminum ? Surgant et opitulentur vobis et in necessitate vos protegant* [89] ; et apud Isaiam [90] : *Ubi nunc sunt sapientes tui ? Annuncient et indicent tibi quid cogitaverit Dominus exercituum super Aegyptum.* – Comminationes quoque quamplurimae in Sacro Eloquio reperiuntur ad impios deterrendos et coercendos a via mala, ut haec : *Consolabor ego super hostibus meis et vindicabor de inimicis meis* [91]. Et apud eundem Isaiam [92] : *Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis* ! Perquam horribilis vero illa est Moysis in *Deuteronomio* [93] : *Generatio ... perversa est, et infideles filii ; ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus et irritaverunt in vanitatibus suis ; et ego provocabo eos in eo qui non est populus et in gente stulta irritabo illos ; ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima,* etc. Similiter et illa : *Si acuero ut fulgur, gladium meum, et arripuerit iudicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me retribuam; inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes : de cruore* [94] *occisorum* [95]. – Nonnunquam vero execrationis schemate Prophetae usi sunt, ostendentes Deum quippiam nolle,

et huic affinis exprobratio,

et eius formae;

85) 6, 8. 86) Gal 3, 1. 87) Cf. Mt 11, 21-24; Lc 10, 12-16. 88) Dt 32, 5-6. 89) Ibid. vrr. 37-38. 90) 19, 12. Vulg.: *Adnuntient tibi et indicent*, etc. 91) Ibid. 1, 24. 92) Ibid. vr. 4. 93) 32, 20-22. 94) Ms.: *De cruore* repetitur. 95) Dt 32, 41-42.

etiamsi bonum videatur, ceu est apud Isaiam[96]: *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus: Plenus sum; holocausta arietum et adipem pinguium et sanguinem vitulorum et agnorum et hircorum nolui... Non offeratis ultra sacrificium...: incensum abominatio est mihi; neomeniam et sabbatum et festivitates alias non feram.*

syncrisis.

Syncrisis schema est idem cum antithesi[97], ceu in *Psalmo* ait Propheta[98]: *Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam.* Nolens autem iustiorem causam suam ostendere, ait[99]: *In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus; ego autem in innocentia mea ingressus sum.*

DISSERTATIO QUARTA

DE MULTIPLICI SACRARUM SCRIPTURARUM SENSU

S. Scriptura ob suam profunditatem et immensitatem, veluti pelagus est interminabile et abyssus inexauribilis.

Sacra ac divinitus tradita sapientia, quam nobis Spiritus Sanctus, quo inspirante *locuti sunt sancti Dei homines*[1], impertiri dignatus est, tam divite vena exuberat tum arcanorum mysticorumque sensuum tum notiorum et manifestiorum opibus, ut tanquam immensum pelagus semper inexhausta et quasi interminabilis abyssus unquam terminari passa, sed semper amplissimum spatiandi locum tribuens, nedum hactenus clarissimorum virorum, qui non mediocrem in ea explicanda operam adhibuerunt, ingenia exercuerit, et recentiores etiam, qui hanc provinciam aggressi sunt explicare, pluribus, non infeliciter tamen, laboribus afficiat; sed et posteris non pauca elaboranda et eruenda reliquit. Quia enim divinitus inspirata est, tanto sublimius praeclara etiam solertium hominum ingenia superat, quanto ipsi homines Dei verbo, quod in excelsis huius est sapientiae fons et

Cum enim sit divinitus inspirata,

96) 1, 11-13. Vulg.: *Ne offeratis*, etc. 97) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt.*, *Ps. 19*, (P. L. 70, 146); *Ps. 25*, ibid. col. 186; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 3, pag. 366-368. 98) 25, 9. 99) Ibid. vrr. 10-11.

1) 2 Petr 1, 21.

perennis origo, inferiores sunt. Hinc est etiam quod Sacra Scriptura sub una simplicique littera plures ac multiplices tum manifestos tum reconditos et arcanos habet sensus; quoniam cum ipsius auctor sit Deus, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, sancti Dei homines quatenus de sacratissimo divini intellectus fonte Sacrorum Eloquiorum fluenta potaverunt, eatenus nobis ea profati sunt ac monumentis tradiderunt. Ad eos enim primo a divino intellectu et eius sapientia per species divinitus [2] impressas derivata est, quasi ab inexhausto et perenni fonte rivulus, eorum Deo sacratas et divino lumine illustratas mentes imbuens; per eos autem ad nos defluxit, qui ea ipsa, quae illi primo hauserunt, in Sacrae Scripturae libro nobis tradito legimus.

sub una littera multiplices arcanos sensus reconditos habet.

Nos ergo Sacrae Scripturae varios ac multiplices sensus diligenti indagine perscrutaturi, primo ceu fundamentum iacimus, duplicem esse Sacrarum Litterarum intelligentiam: alteram quidem litteralem ac manifestiorem; alteram vero spiritualem, mysticam et secretiorem. De quibus ita magnus Dionysius Areopagita ait [3] duplicem esse theologorum traditionem: arcanam alteram et mysticam, alteram vero manifestam atque notiorem; et alteram quidem significativam et perficientem, alteram vero sapientiae destudiosam ac demonstrativam. Iccirco Sacra Scriptura dicitur liber scriptus intus et foris, sicut apud Ezechielem legimus [4]: *Ecce manus missa ad me in qua erat involutus liber, et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris*; et in *Apocalypsi* [5]: *Vidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus et foris.* Scriptura exterior intellectus est litterae; interior vero, sensus est arcanus et mysticus.

Duplex sensus S. Scripturae: litteralis et spiritualis, ut D. Dionysius docuit.

Geminae autem huius intelligentiae ratio haec est. Nam Sacrae Scripturae non solum is tribuitur sensus, quem voces significant, quod scientiis quibuscumque commune est: sed res etiam per voces significatae aliud designant, quod Sacrarum Litterarum peculiare est. Deus enim, earum auctor, non solum voces ad significandum apprime coaptat, sed res quoque ipsas aliarum rerum efficit significativas. Illa ergo significatio, quae apprime vocum est, priorem intelligentiam parit; altera vero, quae rerum est, gignit posteriorem. Ordinatissima autem Dei dispositione rationeque congruentissima actum est, ut hoc

Deus enim sensum arcanum sub velamine litterae abdidit ne sacra sua mysteria paterent indignis

2) Ms.: *Divinus.* 3) Cf. Epist. 9, (P. G. 3, 1103). 4) 2, 9. 5) 5, 1. Vulg.: *Supra thronum*, etc.

duplici intellectu praeditae ac suffultae Sacrae Litterae in suorum mysteriorum arcanis, altitudine *divitiarum sapientiae et scientiae Dei* [6] locupletissimae et incomprehensibilitate iudiciorum Dei eiusque viarum investigabilitate semper abditissimae ac profundissimae traderentur, ne sacra mysteria paterent indignis. Nefas est enim, ut Sacra testantur Eloquia [7], spiritualium margaritarum inaestimabile pretium immensasque divitias in porcos proiicere eorum pedibus conculcandas. Deinde sic decet Sacram Scripturam loqui, ut litterae quidem humilitate modique dicendi affabilitate omnibus sit accessibilis, ut humili quidem eloquio parvulos nutriat, veritate magnos etiam pascat, altitudine vero superbos altaque apud homines sapientes irrideat, profunditate demum cunctos terreat attentosque iugiter teneat studiumque perpetuo exerceat [8]. Tanta est enim christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficeremus, si ab ineunte aetate eas solas usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conaremur addiscere. Tam multa enim tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca intelligenda proficientibus restant tum in verbis, quibus ista dicta sunt, cum in rebus, quae sunt intelligendae, in quibus altitudo sapientiae latet, ut annosissimis, acutissimis flagrantissimisque cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: *Cum consummaverit homo, tunc incipit* [9]. Dum enim Sacrae Historiae intellectum in quadam sensuum eius sublimitate consideramus, iidem sensus, dum subtilius considerari et proferri coeperint, alios se multipliciores et subtiliores gignunt; teguntur etiam in Sacris Litteris mysteriorum profunditates ne vilescant, sed iugiter quaerantur, ut exerceant, ac demum aperiantur, ut pascant. Verbi enim Dei altitudo ita studium exercet, ut intellectum non deneget. Neque enim omnia clausa sunt, ut nihil sit unde revelentur obscura, sed quibusdam Scripturarum locis exercemur, ut quaeramus, et rursus quibusdam manifestis illuminamur, ut videamus et invenire possimus obscura, quae quaerimus, ut inde suaviter pascamur.

et ut pias mentes veritate pascat, in studio perpetuo exerceat, et superbas sua altitudine irrideat.

Ideo summa diligentia in S. Scripturae studio adhibenda est, ut hi sensus enucleentur et eorum mysteria detegantur.

Origenes gemini huius intellectus aliam affert congruentiam, ita dicens [10]: « Sicut in novissimis diebus Dei verbum ex Mariae carne

6) Rom 11, 33. 7) Cf. Mt 7, 6. 8) Cf. S. Augustinus *De Genesi ad Litteram*, lib. 3, cp. 3, (P. L. 34, 323). 9) Eccli 18, 6. Vulg.: *Tunc incipiet*. Cf. S. Augustinus Epist. 137, cp. 1, (P. L. 33, 516). 10) *Hom 1. in Levit.*, (P. G. 12, 405).

vestitum processit in hunc mundum, et aliud quidem erat quod videbatur in eo, et aliud quod intelligebatur – carnis nanque respectus in eo patebat omnibus, paucis vero et electis dabatur divinitatis agnitio –; ita et quoniam per Prophetas vel Legislatorem verbum Dei profertur ad homines, non absque competentibus profertur indumentis. Nam sicut ibi carnis, ita hic litterae velamine tegitur: ut littera quidem aspiciatur tanquam caro, latens vero intrinsecus sensus tanquam divinitas sentiatur ».

Huius gemini sensus congruentiam perbelle Origenes quoque explicavit.

Posito autem hoc gemino Scripturae sensu, explicare nunc convenit quisnam sit litteralis sensus, quisve spiritualis et mysticus. Sensum itaque litteralem eum dicimus, quem Scripturae auctor per verba seu nomina, proprie vel metaphorice sumpta, primum voluit significare, aut rem gestam vel gerendam recitans, aut fidem indicans veritatemque demonstrans, aut iubens vel vetans moresque instruens, aut promissionibus alliciens vel comminationibus et terroribus hominum corda concutiens. Sensus vero mysticus, aut spiritualis est, quem Spiritus Sanctus in rebus gestis, aut gerendis voluit significare. Sed priusquam ad mystici sensus declarationem accedamus, litteralis sensus nobis elucidandus ac declarandus est.

Quid sit litteralis sensus quidve spiritualis, seu mysticus.

Dicimus ergo sensum litteralem non eum esse solum, qui verbis et nominibus proprie acceptis significatur, adeo ut qui verbis et nominibus designatur metaphorice acceptis, spiritualis ac mysticus censeatur; sed sensus litteralis is est qui verbis et nominibus, vel proprie vel metaphorice acceptis, primum a Spiritu Sancto asseritur; unde parabolicus sensus vel metaphoricus vel quisquis ironia, hyperbole, aenigmate vel quibuscumque aliis tropicis vel figuratis locutionibus, quae non per proprietatem accipiendae sunt, sed in eis est aliud ex alio intelligendum, tegitur, ad litteralem sensum pertinere censendus est; alioquin multi Sacrarum Scripturarum loci litterali sensu destituerentur, imo mendacia et indoctae fabulae esse dicerentur, ceu cum in libro *Iudicum*[11] legimus stetisse Ioathan super montem Garizim et dixisse[12]: *Ieverunt ligna ut ungerent super se regem; dixeruntque olivae: Impera nobis. Quae respondit: Nunquid possum deserere pin-*

Proprie sensus litteralis is est qui primo a Spiritu S. asseritur, licet sub figuratis verbis reperiatur;

cuius exemplum habetur in libro *Iudicum* et in aliis parabolis S. Scripturae.

11) Cf. 9, 7. 12) Ibid. vrr. 8-9. Vulg.: *Ierunt*, loco: *Iverunt*.

guedinem meam, qua et dii utuntur et homines, et venire ut inter ligna promovear? Et cetera, quae ibi dicuntur de ficu, vite et rhamno [13]. Quis non inanes ac ineptas fabulas haec iudicet si ad litteram, ut iacent, intelligantur? Sed ligna haec viri sunt Sichimitae, ut ipsemet exposuit [14]. Similiter in aliis parabolis et tropicis locutionibus et quamplurimis Sacrarum Scripturarum schematibus, quae ubique sparsa reperiuntur.

Ideo multiplex est sensus litteralis:

Sensus ergo litteralis est qui primo ab auctore intenditur, sive locutio simplex sit, sive tropica. Unde multiplex esse litteralis sensus dignoscitur; alius secundum historiam, alius secundum aetiologiam, alius secundum analogiam, alius demum secundum allegoriam, sive tropicam vel figuratam locutionem.

secundum historiam,

Secundum historiam, cum narratur quid gestum aut gerendum, vel non gestum aut non gerendum sit; secundum aetiologiam, cum ostenditur quid, qua de causa, vel gestum vel dictum sit; secundum analogiam, cum demonstratur non sibi adversari duo Testamenta Vetus et Novum; secundum allegoriam, cum docetur non ad litteram esse accipienda quaedam, quae scripta sunt, sed figurate intelligenda. His enim modis Dominus noster Iesus Christus et Apostoli eius ceterique Sancti, Sacrarum Paginarum scriptores, usi sunt. Nam de historia illud assumptum est, cum Christo obiectum esset quod eius discipuli in die sabbati spicas evulsissent: *Non legistis*, inquit, *quod fecit David cum esuriret?* etc. [15]

secundum aetiologiam,

– Ad aetiologiam vero illud pertinet, quod cum Christus prohibuisset uxorem, nonnisi ex fornicationis causa, alicui esse dimittendam obiectumque esset ab interrogantibus Moysen libello dato repudii licentiam permisisse: Hoc, inquit, *ad duritiam cordis vestri* fecit Moyses [16]. Hic enim causa reddita est cur illud a Moyse pro tempore bene permissum sit.

secundum analogiam et secundum allegoriam, seu parabolicus.

– Secundum analogiam vero, qua utriusque Testamenti congruentia perspicitur, in pluribus locis patet, cum ab Apostolis et Evangelistis ad probanda quaeque Novi Instrumenti mysteria, Veteris Testamenti testimonia adducuntur [17]. – Secundum allegoriam vero, in tota Sacra Scriptura sparsim

13) Cf. ibid. vrr. 10-15. 14) Cf. ibid. vrr. 16 sqq. 15) Mt 12, 3. Vulg.: *Quid fecerit ... quando esuriit*, etc. 16) Ibid. 19, 8. 17) Cf. Mt 1, 23; 2, 17-18. 23; 4, 4-10; 5, 21-44; 8, 17; 12, 17-21; 21, 42; 22, 43; 26, 31. 54-56; 27, 9-10. 35; Mc 1, 2-3; 11, 17; 12, 10. 35-36; Lc 4, 1-13; 16, 27; 24, 27; Io 2, 16; 3, 14; 19, 24. 36-37; Act 1, 20; 2, 17-35; 3, 18; 4, 25-26; 7, 1 sqq.; 13, 33-35; Rom 3, 4-18; 4, 7-8; 8, 36; 10, 13-21; 11, 9-10; 2 Cor 9, 9; Eph 4, 8; Hebr 1, 1-3, 1 sqq.; Iac 2, 8-11; 1 Petr 2, 7-9; 3, 10.

cernitur in parabolis, metaphoris, aenigmatibus ac ceteris schematibus et tropicis locutionibus.

At vero, quoniam parabolicus sensus praecipuus et frequentissimus est in Sacra Scriptura, de eo nonnulla in medium afferre operae pretium duximus. Est autem p a r a b o l a diversarum rerum collatio seu comparatio, ex quarum comparatione res, quae explicari intenditur, dilucidius ac gratius intelligatur ; παραβολή autem graece idem est quod s i m i l i t u d o latine[18]. In Scripturis autem Sacris est parabolarum usus, cum Scripturae auctor id, quod in rebus spiritualibus et divinis insinuare voluit, per symbolicas quasdam comparationes significavit, quas Spiritus Sanctus in Divinis Eloquiis composuit, ut per corporeas similitudines facilius coelestia capiamus. Impossibile enim nobis est, ut D. D i o n y s i u s A r e o p a g i t a testatur[19], aliter lucere « divinum radium nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum ». Sensus autem parabolicus est non quem verba parabolice sumpta exprimunt, sed qui ab afferente parabolam sub eius velamine ac symbolo exprimi intenditur, ceu cum dicitur: *Homo quidam fecit cenam magnam*[20], etc.; et : *Exiit qui seminat seminare*[21], etc. Sensus litteralis non est qui in illis veluti historiis narratur, sed quem Christus, parabolas edisserens, explicavit[22]. Sic omnis parabola tropico ac symbolico modo rei alicuius naturam manifestat.

Quid sit parabola.

Ea utitur S. Scriptura ut per materialem similitudinem facilius coelestia capiamus.

Nec tamen requiritur ut adamussim et per omnia rei illi, propter quam assumpta est, assimiletur; imo nonnunquam a dissimilibus omnino assumpta reperitur, uti est cum Christus docere nos vellet orandum esse continuo nec unquam ab oratione deficiendum, ad hostes revincendos iustamque ab inimicis vindictam expetendam, de vidua et iniquo iudice sumpsit parabolam, qui, etsi Deum non timeret nec homines revereretur, tamen importunitate quadam victus, viduae tandem assiduis interpellationibus cessit eamque de adversariis suis vindicavit[23]. Nunquid iniquo iudici Deus similis est ? Sed quod per parabolam istam innuitur est, quod supplicum preces Deus non spernit, ut tandem eas[23a] exaudiat et desiderata petentibus concedat. Non oportet ergo in parabolis partes singulas curiosius inquirere ac nimia in verbis sin-

Verus autem sensus parabolae non est quem littera exprimit, sed quem parabolam edisserens explicat, licet non per omnia similitudo assimilato respondeat.

18) Cf. S. Augustinus *Enarrat. in Ps. 68*, (P. L. 36, 852); S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 6, cp. 8, ibid. 82, 259; S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 186. 19) *De Coelesti Hierarchia*, (P. G. 3, 122). 20) Lc 14, 16. 21) Mt 13, 3. 22) Cf. ibid. vrr. 18 sqq. 23) Cf. Lc 18, 1-8. 23a) Ms.: *Non* adiungitur.

gulis cura angi; sed cognito quid per parabolam exprimi intendatur, partes, quae proposito utiles apparent, explicandae sunt. In ceteris vero nil est curiosius investigandum, sed omittendae sunt quasi nihil ad propositum conducentes, sed tantum parabolam contexentes. Non enim omnia quae narrantur, ex D. Augustini sententia [24], aliquid etiam significare putanda sunt; sed propter illa, quae aliquid significant, etiam illa, quae nihil significant, attexuntur; ad instar aratri, quo terra colitur; etsi enim solo vomere terra proscinditur, ut hoc tamen fieri possit etiam cetera aratri membra necessaria sunt; et soli nervi in citharis atque huiusmodi musicis instrumentis aptantur ad sonum, sed ut aptari possint, insunt et cetera in compaginibus organorum, quae non percutiuntur a canentibus, sed ea, quae percussa resonant, his connectuntur. Quemadmodum in imaginibus ac statuis similitudines non omni ex parte respondent iis, ad quae referuntur, tum in plano sine eminentiis, tum in statua cum eminentiis, sed non intrinsecus. Ita cum regnum coelorum simile dicitur rei cuipiam, simile dicitur non secundum omnia, quae adsunt illi, ad quod confertur similitudo, sed ad quaedam dumtaxat, quae conducunt ad assumptam rationem.

Nec requiritur ut singulae partes parabolae aliquid significent.

Sciendum est autem parabolas multipliciter proferri: aliquando quidem per vocem similitudinis aut comparationis, ut: *Simile est regnum coelorum* [25], etc., multis in locis; aliquando per adverbium similitudinis: *sicut, quemadmodum, ut, uti, ceu;* cuius generis sunt: *Fluat ut ros eloquium meum* [26]; *Sicut sagittae in manu potentis* [27]; *Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum* [28]; *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum* [29]; *Qui sunt isti, qui ut nubes volant et tanquam columbae ad fenestras suas?* [30] atque ita de similibus. Aliquando autem ita proferuntur, ut similitudo quidem non exprimatur, sed tantum parabola; cuiusmodi sunt: *Egredietur virga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet*, etc. [31]; *In diebus illis stillabunt montes dulcedinem et colles fluent lac et mel* [32]; *Suscipiant montes pacem populo et colles iustitiam* [33]. Huius generis frequentissimae sunt in parabolis

Variis modis parabola profertur, de quibus extant exempla in S. Scriptura frequentissima.

24) Cf. *Sermo 89*, (P. L. 38, 556-557). 25) Cf. Mt 13, 33. 44-46; 20, 1; 25, 1; Lc 13, 18. 20. 26) Dt 32, 2. 27) Ps 126, 4. 28) Ps 1, 3. 29) Ps 41, 2. 30) Is 60, 8. Vulg. *Quasi columbae*, etc. 31) Ibid. 11, 1. 32) Iocl 3, 18. Vulg.: *Et erit in die illa . . . fluent lacte*, etc. 33) Ps 71, 3.

Salomonis, et Christus in huiuscemodi parabolis saepe saepius loquebatur ad turbas, quas postmodum discipulis seorsum disserebat [34]. Huius generis est illud, quod in Evangelio dicitur: *Si oculus tuus... aut manus, aut pes scandalizat te* [35], etc.; figurata enim locutio est.

His de sensu litterali sic positis, ad spiritualem et mysticum transeamus. Intellectus ergo arcanus et mysticus Sacrarum Scripturarum, qui sensui litterali innititur, triplex est: tropologicus, allegoricus et anagogicus. Quatenus enim in Sacra Pagina hominum vel recte facta et sancta, vel iniqua opera et iniusta narrantur, proponitur nobis quasi in exemplari quid agere quidve evitare debeamus ad iuste sancteque vivendum, sensus tropologicus est; quatenus autem quae in Veteri Testamento gesta sunt typum et figuram exprimunt eorum, quae in Novo sunt Christi et Ecclesiae, siquidem *omnia in figura contingebant illis*, ut ait Apostolus [36], allegoricus sensus est; quatenus vero quae in praesenti quidem Ecclesia fiunt coelestium exemplaria sunt, anagogicus sensus est. De his sigillatim sunt nobis aliqua disserenda eo quo proposuimus ordine.

Sensus mysticus, seu spiritualis, triplex est:

Tropologicus igitur Sacrarum Litterarum sensus est cum ipsa Divina Eloquia ad hominum mores reformandos vel corrigendos et instruendos accommodamus, ceu cum dicitur: *Omni tempore vestimenta tua candida sint et oleum de capite tuo non deficiat* [37]; idest opera tua sint munda et caritas nunquam de mente tua excidat. Veluti etiam cum historiam Loth [38] ad detestandam ebrietatem et luxuriam convertimus; Petri vero amare flentis [39] ad poenitentium lacrimas commendandas, quod balneum sint quo animae peccatorum sordibus abluuntur, hic tropologicus sive moralis sensus, quod idem est, τρόπος [40] enim Graecis et schema et modum et vitam ac mores significat [41], litterali sensui proximus est. Plerumque enim ac saepe saepius in ipsa historia quae ad bonos mores conferant obiter indicantur; unde persaepe tropologiam secum historia defert, ad instar cuiusdam imaginis aut simulacri summa cura, arte et diligentia depicti, exculti aut fabrefacti, in quo simul ostenditur cum opus tum quid

tropologicus, cum ad mores reformandos accommodantur S. Scripturae verba;

veluti cum narratur historia Loth et poenitentia Petri

34) Cf. Mt 13, 1 sqq.; 15, 15; 21, 28-44; 22, 1. 35) Ibid. 18, 8-9. 36) 1 Cor 10, 11. 37) Eccle 9, 8. Vulg.: *Sint vestimenta tua*, etc. 38) Cf. Gn 19, 30 sqq. 39) Cf. Mt 26, 75; Lc 22, 62. 40) Ms.: *Tropos*. 41) Cf. S. Beda *De Schematis*, etc. (P. L. 90, 179).

insit egregium et admiratione ac imitatione dignum spectatoribus cunctis. Veluti cum narratur historia de Abraham tres viros hospitio suscipiente [42], hospitalitas nobis et in ministrando, tum fervens caritas tum humilitas commendatur; et cum, Deo praecipiente, unicum ac dilectissimum Filium in holocaustum offert [43], quod Deo sit in cunctis, tum etiam arduis et difficillimis, obediendum praeclare demonstratur.

et sacrificium Abrahae.

Praeterea tropologia sensum litteralem adeo sequitur, ut in quamplurimis Scripturae locis tropologicus ipsissimus sit litteralis sensus, uti est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde et tota anima tua* et tota mente tua *et ex omnibus viribus tuis... et proximum tuum sicut te ipsum* [44]; omnia praecepta Decalogi et pleraque Scripturae loca, in quibus mores instruuntur, praesertim in libris Sapientialibus, in Evangeliis et Apostolorum scriptis et in universa pene sacri Canonis serie, cum *finis... praecepti sit caritas* [45], quae ad praxim pertinet.

Plerumque vero ipse sensus tropologicus est sensus litteralis a Spiritu Sancto intentus.

Nunc de allegorico sensu. Est autem allegoria oratio, in qua verbis utimur a propria significatione conversis ad aliud significandum, aut certe per res ipsas proprie significatas aliud intelligimus [46]. Iccirco enim allegoria dicitur quod aliud verbis, aliud sensu ostendit; unde ἀλληγορία [47] graece, inversio latine interpretari potest. Sciendum est autem allegoriam primo non simplicem esse, sed duplicem: alteram, quae ad figuratam locutionem spectat estque tropi species, et haec proprie inversio dicitur; nam tropus, iuxta verborum sententiam, verbi est vel sermonis a propria significatione ad aliam cum virtute mutatio: haec autem allegoria ad litteralem pertinet intellectum et est quam nos supra posuimus [47a] ac in priori praepositae notificationis parte continetur. – Altera vero allegoria est quae ad sensum arcanum et secretiorem ac mysticum spectat, quae in altera descriptionis parte continetur estque cum in rebus primo intellectis in vocum significatione, qui intellectus est primo ab auctore intentus, Spiritus Sanctus vult nos in ipsis et [per] ipsas aliud intelligere. Mysticae huius intelligentiae hoc exemplum affert Apostolus, dicens [48]: *Scriptum est... quoniam Abraham duos filios habuit, unum*

Quid sit allegoria.

Duplex allegoria: una quae pertinet ad sensum litteralem,

altera quae spectat ad sensum mysticum,

42) Cf. Gn 18, 1 sqq. 43) Cf. ibid. 22, 1 sqq. 44) Lc 10, 27. 45) 1 Tim 1, 5. Vulg.: *Est caritas*, etc. 46) Cf. Cassiodorus *Exposit. in Psalt.*, *Ps. 17*, (P. L. 70, 128); S. Beda *De Schematis*, etc. ibid. 90, 184; Quintilianus op. cit. lib. 9, cp. 2, vol. 2, pag. 101; Charisius op. cit. lib. 4, cp. 2, pag. 363. 47) Ms.: *Allegoria*. 47a) Cf. *Dissert. 1*, pag. 15.
48) Gal 4, 22-24. Vulg.: *Sed*, loco: *Et*.

de ancilla et unum de libera ; et qui de ancilla secundum carnem natus est, qui autem de libera per repromissionem : quae sunt per allegoriam dicta. Refert enim haec Apostolus ad duo Testamenta. Cum ergo Sacra Scriptura narrat Abraham duos filios habuisse, tota illa contexta historia ad litteralem pertinet sensum, proprie acceptis vocabulis; si autem per ea, quae dicuntur, duo Testamenta intelligantur, mystica est allegoria. Idem dicendum de historia Abel et Cain [49]; de Noe, arca et diluvio [50]; Abel enim typum Christi gerit, arca vero Ecclesiae.

cuius plurima exempla extant in S. Scriptura.

In allegoriis autem id firmiter et omnino servandum semper est, ut veritas historiae semper firmiter et inconcusse teneatur; quare iaciendum primo est verissimum litterae fundamentum, ne falso fundamento littera innitatur. Corruet enim tota allegoriae structura nisi veritas historiae inconcussa teneatur, ut in historia paradisi terrestris [51], diluvii et arcae, Iosephi venditi a fratribus [52], Samsonis [53], Davidis et Goliath, [54] Ionae historia [55], etc. Super his multiplices ac pulcherrimae possunt allegoriae fundari, sed veritas historiae semper tenenda est. Licebit autem unicuique allegoriam supra litteram formare, modo pietati congruat et ab alio Scripturae loco non dissideat; optima autem erit si per alium locum Scripturae comprobari possit. Cavendum tamen est ne coacte et vi quadam litterae accommodatae videantur, sed quae maxime cum historia congruat; indecorum est enim coactam, violentam et detortam allegoriam proferre.

In allegoriis principaliter veritas historica tenenda est.

Nec tamen opus est omnia, quae in historia dicuntur, minutim ad allegoriam deducere, sed ea solum accipienda sunt, quae ad eum locum explicandae allegoriae sufficiant. Non enim, cum Apostolus duos Abrahae filios ad duo Testamenta referat, nos, quaecumque in historia illa dicuntur allegorice, ad hunc sensum minutim interpretari possumus; et cum de Adam et Eva disputans *ad Ephesios* dixerit [56]: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et... Ecclesia,* cogemur totum principium *Geneseos* et fabricam mundi et hominum conditionem ad Christum et Ecclesiam per allegoriam referre. Ita etiam cum ab eodem Apostolo di-

Non autem requiritur ut singulae partes historiae sensui allegorico respondeant

ut patet ex exemplis ab Apostolo allatis.

49) Cf. Gn 4, 1-16. 50) Cf. ibid. 6, 14-8, 1 sqq. 51) Cf. ibid. 2, 8-3, 1 sqq. 52) Cf. ibid. 37, 12-28. 53) Cf. Idc 13, 1-14, 1 sqq. 54) Cf. 1 Rg 17, 1-51. 55) Cf. Ion. 1, 1-2, 1 sqq. 56) 5, 31-32.

catur [57]: *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra ; petra autem erat Christus,* arctabimur omnem *Exodi* librum ad Christum referre ; sed unusquisque locus secundum diversam historiam diversam recipiet intelligentiam spiritualem. Sed iam ad sensum anagogicum ascendamus.

Sensus anagogicus fit cum ex dictis S. Scripturae veritates aeternam beatitudinem respicientes eruuntur,

Est autem anagogicus sensus ad superiora ducens ; dicitur enim anagogia ab ἀνα [58], quod est supra, et γωγή, quod est ducere. Fit autem cum Sacrae Scripturae loca ad secretiora et sacrariorum coelestium figurarum praecepta atque mysteria transferimus, animum ad coelestem beatitudinem evehentes [59]; veluti cum septimum ab Adam Enoch de mundo translatum legimus [60], sabbatum futurae beatitudinis [61], quae post opera bona saeculi huius, quae sex aetatibus peragitur, electis in finem servatum, eo praesignari intelligimus. Ita etiam per diei septimi sanctificationem et ab omni opere servili quietem [62], ad aeternae beatitudinis felicissimam et beatissimam in summo Deo quietem animum evehimus ; sic quoque in historia de terra promissionis, fluente lac et mel [63], in quam, post longam et laboriosam peregrinationem per torrida et inculta deserta, filii Israel ingressi sunt [64], terram viventium in coelo intelligimus, post praesentis vitae multiplices labores, passiones et certamina nobis repromissam. In historia etiam de paradiso terrestri aeternarum et immarcescibilium deliciarum ac voluptatum paradisum intelligimus. Ita anagogia ad coelestia et divina animum evehit.

ut ex historia Enoch, diei septimi sanctificationis, terrae promissionis et paradisi terrestris.

Plerumque vero sub una eademque voce hi quattuor sensus reperiuntur, uti apparet in voce: *aqua ;*

Hi quattuor Sacrarum Scripturarum sensus, litteralis, tropologicus, allegoricus et anagogicus, plerumque in una et eadem littera reperiuntur ; veluti cum *aquam* legimus, unum ex quattuor elementis secundum litteram intelligimus, ut : *Congregentur ... aquae in locum unum* [65]; tropologico autem sensu *aqua* tribulationes indicantur, ut Vates divino Spiritu afflatus expressit, dicens [66]: *Transivimus per ignem et aquam et eduxisti nos in refrigerium;* et : *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam* [67]; allegorice vero sanctissimum Baptismi sacramentum *aquae* vocabulo designatur,

57) 1 Cor 10, 4. 58) Ms.: *Ana-goge.* 59) Cf. Io. Menochius S. I. *Comment. S. Scripturae,* t. 1, cp. 20. 60) Cf. Gn 5, 22; Eccli 44, 16; 49, 16; Hebr 11, 5. 61) Cf. Hebr 4, 9-11. 62) Cf. Gn 2, 1-3. 63) Cf. Ex 3, 8. 17; 33, 3. 64) Cf. Ios 3, 1-4, 1 sqq. 65) Gn 1, 9. 66) Ps 65, 12. 67) Ps 68, 2.

sicut Propheta ille admirabilis mirabiliter verbis illis ostendit : *Effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris* [68]. Ita etiam allegorice gratiam et caritatem significat, ut : *Qui ... biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum; sed... fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam* [69]. Demum secundum anagogiam *aqua* aeternam beatitudinem exprimit, iuxta illud Ieremiae [70] : *Me dereliquerunt fontem aquae vivae et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae aquam continere non valent.* Ita etiam in anagogico sensu Spiritum Sanctum repraesentat, ut : *Qui credit in me ... flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum* [71].

sic et in verbo: *Ierusalem*

In voce similiter *Ierusalem* hos quattuor sensus invenimus; litteralem: et [est] si civitatem quandam Palaestinae significat, quae primo a Melchisedech fuit extructa [72], deinde a Salomone dilatata et fortalitiis mirum in modum munita [73]; iuxta tropologiam vero animam fidelem significat, in qua per gratiam est visio pacis, idest aeternorum contemplatio, de qua dicitur : *Lauda, Ierusalem, Dominum, lauda Deum tuum, Sion* [74]; et per Isaiam dicitur [75] : *Excutere de pulvere, consurge, sede, Ierusalem, solve vincula colli tui, captiva filia Sion, quia ... gratis venundati estis et sine argento redimemini;* allegorice vero Ecclesiam exprimit militantem, ut : *Vidi civitatem sanctam Ierusalem novam descendentem de coelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo* [76]; anagogico demum sensu, triumphantem Ecclesiam repraesentat, ut : *Illa autem, quae sursum est, Ierusalem libera est, quae est mater nostra* [77]. Ita quoque *templum* in Sacra Scriptura, secundum historiam, domus Dei est quam aedificavit Salomon [78]; tropologice vero quisque fidelium Dei *templum* dicitur, ut : *An nescitis quoniam corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est?* [79] per allegoriam vero Christi corpus repraesentat, de quo ait : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud,* hoc *autem dicebat de templo corporis sui* [80]; sive

itemque in verbo: *templum.*

68) Ez 36, 25. 69) Io 4, 13-14. 70) 2, 13. Vulg.: *Quae continere non valent aquas.* 71) Io 7, 38-39. Vulg.: *Dixit Spiritus*, etc. 72) Cf. S. Ambrosius *De Excidio Urbis Ierosolymitanae*, lib. 5, cp. 9, (P. L. 15, 2140); S. Isidorus Hisp. *De Ortu et Obitu Patrum*, cp. 5, ibid. 83, 132-133. 73) Cf. 3 Rg 3, 1; 9, 15; 11, 27-28. 74) Ps 147, 1. 75) 52, 2-3. 76) Apc 21, 2. Vulg.: *Vidi sanctam civitatem*, etc. 77) Gal 4, 26. 78) Cf. 3 Rg 2, 24; 3, 1; 5, 5; 6, 1 sqq.; 9, 1 sqq.; 12, 45-51. 79) 1 Cor 6, 19. 80) Io 2, 19-21.

4

Ecclesiam Dei, ut: *Templum... Dei sanctum est, quod estis vos*[81]; per anagogen vero superni gaudii mansionem exprimit, cui aspirabat qui ait: *Beati qui habitant in domo tua, Domine; in saecula saeculorum laudabunt te*[82]; ita dicitur: *Dominus in templo sancto suo, Dominus in coelo sedes eius*[83].

Hunc quadruplicem sensum Christus et Apostoli docuerunt.

Haec quadruplicia expositionum genera secundum quadruplicem intelligentiam, a Christo et Apostolis observata nobisque demonstrata, Scriptura testante, cognovimus; historicam, ut cum Dominus venisset Nazareth et intrasset secundum consuetudinem die sabbati in synagogam exposuissetque Isaiae prophetiam mirarenturque Nazaraei et dicerent: *Nonne hic est filius Ioseph?* respondit Dominus, dicens: *Utique dicetis mihi hanc similitudinem: medice, cura teipsum: quanta audivimus facta in Capharnaum fac et hic in patria tua. Ait autem: Amen dico vobis quia nemo propheta acceptus est in patria sua. In veritate, dico vobis, multae viduae erant in diebus Eliae in Israel, quando clausum est coelum annis tribus et mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra; et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidonis ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo propheta; et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus*[84]. Hoc totum a Domino de historia allatum est. Tropologicum sensum adhibuit idem Dominus cum, historiam Ninivitarum et adventum reginae Austri ad Salomonem narrans, perditissimos Iudaeorum mores redarguit: *Viri Ninivitae surgent in iudicio contra generationem hanc et condemnabunt eam, quia in praedicatione Ionae egerunt poenitentiam, et ecce plusquam Ionas hic. Regina Austri*[85] *surget in iudicio cum generatione hac et condemnabit eam, quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis, et ecce plusquam Salomon hic*[86]. Allegoricae expositionis exemplum dedit cum, Iudaeos alloquens, de Ioanne Baptista dixit: *Elias quidem venturus est et restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias iam venit et non cognoverunt eum, sed fecerunt ei quaecumque voluerunt*[87]; Elias enim ipse est Ioannes[88]. His verbis significare voluit Eliam in Veteri[89] Testamento typum gessisse Ioannis, qui

81) 1 Cor 3, 17. 82) Ps 83, 5. 83) Ps 10, 5. 84) Lc 4, 16-21. Vulg.: *Sidoniae.*
85) Ms.: *Austris.* 86) Mt 12, 41-42. Vulg.: *Ninivitae surgent... cum generatione ista... quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae... regina Austri surget... cum generatione ista.*
87) Ibid. 17, 11-12. Vulg.: *Fecerunt in eo,* etc. 88) Cf. ibid. 11, 14. 89) Ms.: *Veteris.*

venit *in spiritu et virtute Eliae*[90]. Anagogica expositione manifestissime usus est D. Paulus *ad Hebraeos,* cum terram illam Palaestinorum patribus repromissam accommodat ad promissionem divinae gloriae; sic enim ait[91]: *Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem, et exiit nesciens quo iret; fide demoratus est in terra promissionis tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac et Iacob heredibus repromissionis eiusdem; expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cuius artifex et conditor* est *Deus;* ubi demonstrat terram illam, tantopere a Patriarchis desideratam et tot peregrinationibus quaesitam, non esse praesentem illam visibilem et terrenam Chananaeorum regionem, sed futuram invisibilem atque coelestem patriam[92], meliora habentem fundamenta, *cuius artifex* est *Deus,* et *civitatem Dei viventis Ierusalem coelestem,* quae *libera est, quae est mater nostra*[93], quae multis est angelorum millibus ornata[94]; cognoscebant enim non habere hic civitatem permanentem, ideo futuram inquirebant[95].

Sic etiam ex uno eodemque sensu litterali plures mystici sensus efformari possunt;

Demum unum hic advertendum est super una eademque littera plures posse mysticos sensus formari; sicut historia de paradiso deliciarum: paradisus enim ille typus est tum militantis tum triumphantis Ecclesiae et ideo allegoricus et anagogicus sensus super eo fundantur. Sic manna typus est dominici corporis, sermonis evangelici, gratiae et caritatis; David vincens Goliath typus est Christi diabolum debellantis et hominis iusti carnis superbiam subigentis. Ita dicendum similiter de historiis Samsonis, terrae promissionis, civitatis Ierusalem, arcae et tabernaculi, templi Domini, etc.; unde diversae mysticae et arcanae intelligentiae desumuntur. Imo plerumque diversae et oppositae intelligentiae spirituales ab uno et eodem loco sumuntur. *Leo* enim et Christum significat, qui est *leo* vincens *de tribu Iuda*[96], et diabolum, qui *circuit quaerens quem devoret tanquam leo rugiens*[97]; et *ovis* aliquando innocentem et iustum hominem[98], aliquando Christum[99] et Sanctos atque Electos[100]; nonnunquam vero

90) Lc 1, 17. 91) 11, 8-10. Vulg. *In terra repromissionis..., coheredibus repromissionis,* etc. 92) Cf. ibid. 12, 22. 93) Gal 4, 26. 94) Cf. Heb 12, 22. 95) Cf. ibid. 13, 14. 96) Apc 5, 5. 97) 1 Petr 5, 8. Vulg.: *Tanquam leo rugiens,* etc. 98) Cf. Ps 43, 22; Mt 10, 16. 99) Cf. Is 53, 7; Ier 11, 19; Io 1, 29; Act 8, 32; 1 Petr 1, 19. 100) Cf. Ps 78, 13; 94, 7; 99, 3; Zach 13, 7; Mt 25, 33: Io 10, 1-4.

stultum et peccatorem, errantem *sicut ovis quae periit*[101]. Sic *serpens* nunc quidem prudentiam[102], nunc vero peccatum detestandum designat[103]; et serpens aeneus in deserto exaltatus, Christum praesignavit in cruce exaltandum[104]. Sic quoque *volucres coeli* nunc in bonam[105] nunc in malam[106] partem accipiuntur. Id autem accidit ex multiplicibus ac diversis proprietatibus, quae in una et eadem re inveniuntur, ex quibus mysticae intelligentiae desumuntur. Et haec de multiplici Sacrarum Litterarum sensu dicta sufficiant.

ad quos recte eruendos et rite intelligendos Spiritus Sancti auxilio opus est.

Hos autem sacros Divinarum Scripturarum sensus tractaturus, ab oratione expedit auspicari ut Spiritus Sanctus, quo illustrante *locuti sunt sancti Dei homines*, nobis adesse dignetur, quatenus, ipso ducente, eosdem sensus assequamur, quos in Scripturis ipse voluit comprehendi, ne capitis nostri somnia sequentes, a veritatis et sinceritatis scopo aberremus. Multa enim sunt in Sacra Scriptura quae tantum habent caliginis, ut nullo humano ingenio possint ad plenum liquido explicari; ut rotarum descriptiones apud Ezechielem[107], et etiam templi *Apocalypsis*[108] Divi Ioannis, ad quae plene intelligenda eodem opus est Spiritu, qui Prophetas illustravit ad ea describenda. Oratio ergo nobis necessaria est ad Sacram Scripturam intelligendam[109].

101) Ps 118, 176; Is 53, 6; 1 Petr 2, 25. 102) Cf. Mt 10, 16. 103) Cf. Eccli 21, 2. 104) Cf. Io 3, 14. 105) Cf. Ps 8, 9; 148, 10; Sap 17, 17; Is 31, 5; Dn 3, 80. 106) Cf. 3 Rg 14, 11; Is 34, 11; Ez 39, 17; Apc 18, 2; 19, 17. 107) Cf. 1, 15-21; 10, 2-19. 108) Cf. 15, 5 sqq. 109) Hic S. Auctor adiicit: *Finis*.

DISSERTATIO QUINTA

DE MUNDI CREATIONE IN TEMPORE [1]

In principio creavit Deus coelum et terram [2]. Divini Moysis theosophiae hoc primum est dogma, prima thesis, primum axioma: mundum non esse aeternum, sed aliquando Deo auctore et creatore coepisse creatumque ex nihilo esse. Quod quidem inter antiquos veteresque philosophos maxime controversum est summisque altercationibus mirandisque duellis conflictum et exagitatum, his quidem affirmantibus, illis vero negantibus.

Antiquorum philosophorum opiniones de mundi origine, qui omnes factum asserunt,

Et Aristoteles quidem, cum universo fere suo peripatu, aeternum putat [3] veteresque philosophos secus sentientes acerrime et mordacissime insectatur. Plato vero, qui merito divinus est appellatus, venerandae antiquitatis sententiam secutus, aeternitatem abnuit mundique genituram et saeculi initium, una cum veteribus omnibus, qui eum praecessere, philosophis firmissime statuit [4]. Inhaesit autem vel maxime Plato vetustissimorum Zoroastris [5] et Trismegisti [6] vestigiis; hi nanque omnium antiquissimi veterrimique habentur. Primus apud Persas multis ante Troianum bellum [annis] sapientia floruit [7]; alter vero apud Aegyptios [8]; quos postmodum universa Graecia admirata simul et venerata fuit, tanquam philosophiae et theologiae patres. Post eos vero Linus Chalci-

1) Haec Dissertatio a nobis inscripta fuit. 2) Gn 1, 1. 3) Cf. Aristoteles *Physic.*, lib. 8, cp. 1-3, t. 1, pag. 251-254; *De Coelo*, lib. 1, cp. 3. 9-10. 12, ibid. pag. 267-268. 274-277; lib. 2, cp. 1, pag. 279; *Metaphysic.*, lib. 11, cp. 6, t. 2, pag. 561. 4) Cf. Plato *Timaeus*, t. 3, pag. 4; Aristot. *Physic.*, lib. 8, cp. 1, t. 1, pag. 252; Io. Grammaticus *De Aeternitate Mundi*, pag. 14. 61. Conimbricenses *Physic.*, lib. 8, cp. 2, q. 3, a. 1; Marsilius Ficinus *Sententiae Pulcherrimae*, cp. 7, pag. 1440. 5) Cf. Stanleius *Historia Philosophiae*, pag. 1178-1191; Patricius *Nova De Universis Philosophia*, f. 8ᵃ-11ᵇ; Conimbricenses *Physic.*, lib. 8, cp. 2, q. 3, a. 1.
6) Cf. Lactantius *Divinae Institut.*, lib. 7, cp. 18, (P. L. 6, 795); S. Augustinus *De Civitate Dei*, lib. 18, cp. 39, ibid. 41, 599. 7) Cf. Alph. Niccolai *Dissertazioni e Lezioni di Scrittura Sacra*, dissert. proem. 3, t. 1, pag. 83-85. Gaetano Moroni *Dizionario*, vol. 52, pag. 121; *Nuovo Dizionario Storico*, t. 22, pag. 171-174. 8) Cf. Lactantius *Divinae Institut.*, lib. 1, cp. 6, (P. L. 6, 138-140); Diodorus Siculus *Rerum Antiquarum Historiae*, lib. 1, cp. 2, pag. 21-22; Iustinus *Historiarum Philippicarum*, cp. 1, pag. 6-7; Conimbricenses *De Coelo*, lib. 8, cp. 2, q. 3, a. 1; Cesare Cantù *Storia Universale*, vol. *Filosofia*, pag. 34.

des [9] et Orpheus Lebetrius [10] floruere, quos multis post annis secuti sunt Homerus [11] atque Hesiodus [12], qui omnes mundum esse genitum docuere. Post hos vero Thales Milesius [13], Heraclitus Ephesius [14], Xenophanes [15], Melissus [16], Parmenides [17], Anaxagoras [18], Leucippus et Democritus [19], Pythagoras [20] cum suis Empedocle [21], Archita [22], Timaeo [23], Philolao [24] et aliis [25]; et tandem Plato cum his omnibus docuit cosmopoeiam, mundi huius facturam.

dum solus Aristoteles contra omnes eius aeternitatem acerrime propugnat.

Solus Aristoteles ex philosophis, qui extant, id abnuit mundique aeternitatem omnibus, quibus potuit, rationum nervis, ne dicam sophismatum fallaciis statuere conatus est [26]; hic unus est veluti alter Ismael contra omnes et omnes contra eum [27]. Ipse enim contra omnes antiquos philosophos [28], nedum Graecos, verum etiam Chaldaeos, Phoenices, Persas, Aegyptios atque Hebraeos bellum movit, imo contra omnes penitus nationes; hoc enim omnibus confessum est

9) Cf. Io. Stobaeus *Eclochae Physicae*, lib. 1, cp. 13, pag. 25; L. G. Gyraldi *Historia Poetarum, Dialogus 2*, pag. 139-140; Conimbricenses *Physic.*, lib. 8, cp. 2, q. 3, a. 1; Fr. Mullachius *Fragmenta Philosophorum*, lib. 1, vol. 1, pag. 156-157. 10) Cf. S. Iustinus *Cohortatio ad Graecos*, (P. G. 6, 274); Clemens Alex. *Stromata*, lib. 5, cp. 14, ibid. 9, 187-190; Eusebius Caesar. *Praeparat. Evang.*, lib. 13, cp. 12, ibid. 21, 1068; S. Cyrillus Alex. *Contra Iulianum*, lib. 1, ibid. 76, 542. 551; Lactantius *Divinae Institut.*, lib. 1, cp. 5, (P. L. 6, 130); Suida *Lexicon Graece et Latine*, pag. 1175-1176; Io. Grammaticus *De Aeternitate Mundi*, pag. 96; Io. Stobaeus *Eclochae Physicae*, lib. 1, cp. 13, pag. 25; Mullachius *Fragmenta Philosoph.*, lib. 1, vol. 1, pag. 166 sqq. 11) *Ilias*, lib. 18, vrr. 484-486; Iac. Duportus *Homeri Gnomologia*, pag. 103. 12) *De Generatione Deorum*, vrr. 116 sqq. 13) Cf. Minucius Felix *Dialogus*, cp. 19, (P. L. 3, 293); Lactantius *Divinae Institut.*, lib. 1, cp. 5, ibid. 6, 133; Cicero *De Natura Deorum*, lib. 1, vol. 4, col. 10. 176; Caelius *Lectionum Antiquarum*, lib. 21, cp. 34, col. 1204. 14) Cf. Aristot. *De Coelo*, lib. 1, cp. 10, t. 1, pag. 276; Io. Grammaticus op. cit. pag. 96. 15) Cf. Aristot. *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 5, t. 2, pag. 488; Cicero *De Natura Deorum*, lib. 1, vol. 4, col. 177. 16) Cf. Aristot. *Physic.*, lib. 1, cp. 1-3, t. 1, pag. 197-198. 17) Cf. Aristot. *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 4, t. 2, pag. 487; Cicero *De Natura Deorum*, lib. 1, vol. 4, col. 177. 18) Cf. Aristot. *Physic.*, lib. 1, cp. 2, t. 1, pag. 197; *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 4, t. 2, pag. 487; Cicero *De Natura Deorum*, lib. 1, vol. 4, col. 176. 19) Cf. Cicero *De Natura Deorum*, lib. 1, vol. 4, col. 177; Alexander Aphrodisius apud Io. Grammaticum op. cit. pag. 96; Conimbricenses *Physic.*, lib. 8, cp. 2, q. 3, a. 1. 20) Cf. Lactantius *Divinae Institut.*, lib. 1, cp. 5, (P. L. 6, 134); Aristot. *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 5, t. 2, pag. 488. 21) Cf. Aristot. *De Coelo*, lib. 1, cp. 10, t. 1, pag. 276; *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 10, t. 2, pag. 487. 22) Cf. Mullachius op. cit. lib. 2, vol. 1, pag. 567-568. 23) Cf. Plato *Timaeus Locrus De Anima Mundi*, t. 3, pag. 94. 24) Cf. Philo Iudaeus *De Mundi Opificio*, t. 1, pag. 20; Conimbricenses *Physic.*, lib. 8, cp. 2, q. 3, a. 1; Mullachius op. cit. lib. 2, vol. 2, pag. 4-5. 25) Cf. Aristot. *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 5, t. 2, pag. 488. 26) Cf. Aristot. *Physic.*, lib. 8, cp. 1-3, t. 1, pag. 251-255; *De Coelo*, lib. 1, cp. 10-12, ibid. pag. 275-279; lib. 2, cp. 1, pag. 279. 27) Cf. Gn 16, 12. 28) Aristot. *De Coelo*, lib. 1, cp. 10, t. 1, pag. 276; *De Mundo*, cp. 6, ibid. pag. 375; Müller *Istoria della Litteratura Grega*, vol. 1, pag. 136; Alph. Niccolai op. cit. *Lez. 1 del Genesi*, t. 1, pag. 193 sqq.

mundum auctore Deo aliquando coepisse. Hinc enim omnis in Deum pietas sanctaque ac veneranda religio ortum habet; hoc dogma communisque omnium animi conceptio, basis ac fundamentum est divini cultus omniumque virtutum, probitatis universae. Quemadmodum enim eo sunt filii in parentes pii et obsequentes, quo se ab eis genitos educatosque cognoscunt, ita ut generatio radix sit pietatis filiorum in parentes: ita similiter ex creatione rerum omnium et providentia mundanaque gubernatione nata est in Deum Optimum Maximum pietas, religio, cultus. Nemo est enim, qui mundanam hanc machinam coeli terraeque constitutionem contemplatus, corporisque proprii fabricam et animi divinitatem inspiciens, Deoque auctore creata cognoscens, non admiretur creatoris potentiam, sapientiam, bonitatem, clementiam summamque benignitatem maiestatemque eius veneretur, adoret et colat; sublata autem creatione mundi, ruit omnis religio, probitas universa, ceu sublimis arbor radicibus convulsis, vel excelsa moles fundamentis sublatis. Neque enim quis parentibus suis, a quibus in lucem est editus, pium praestabit obsequium, nisi vere parentes suos esse cognoscat et credat; nec regem quis colet, nisi dominum regemque putet. Quapropter mundi aeternitas inexpiabilis quaedam impietas est, omnium virtutum interitus, religionis omnis ruina, mors pietatis universae scelerumque omnium ac flagitiorum caput, radix primigeniaque origo.

Sententia mundum Deo auctore aliquando coepisse, maxime religioni favet,

quia Dei potentiam et bonitatem demonstrat et ad eum adorandum et colendum provocat;

dum contraria ad impietatem impellit.

Aristoteles ergo, mundi aeternitatem statuens, pietatem omnem destruxit, impietatum omnium ova posuit fundamentaque iecit; quem tamen multi secuti sunt sophismatum eius fallaciis alucinati et rationum eius larvis decepti, qui Aristotelis, quem summum dicunt philosophum omniumque philosophorum principem, personam magis quam doctrinam philosophantes, eius et sequuntur et mordicus tenent et nervis omnibus defendunt errores. Eius autem rationum sophismata et paralogismos irrefragabiles firmissimos certissimosque supra quam mathematice arbitrantur. Sed age, quaeso, has videamus demonstrationes rationesque eius discutiamus, quibus firmissimis veluti pugionibus ancipitibusque et acutissimis gladiis existimant eius asseclae confossum transverberatumque esse Moysen omnesque antiquos philosophos, qui eius divina dogmata sunt secuti.

Sententia ergo Aristotelis aeternitatem mundi asserens impia est, licet plerique eam defendant.

Est igitur Aristotelis thesis mundum esse aeternum, quod quidem theorema a coeli aeternitate probare contendit, quam omnes antiquiores negavere. Probat autem hanc ipse technis quibusdam et

Quinque Aristotelis rationes pro mundi

aeternitate expenduntur et refutantur.

sophismatum monstris. Et primo quidem : a motus aeternitate [29]; secundo : a natura coeli contrarietatis et corruptionis omnis experte [30]; tertio : ab etymo aetheris, quod coelum aether sit dictum ab aeterno motu [31]; quarto : ab antiquorum sententia, qui in coelo divinum aeternumque collocarunt sitque aeternorum deorum perpetuum domicilium [32]; tandem : a maiorum memoria, quod non sit memoriae proditum divinum coeli corpus aliquando passum, mutatum labefactatumque esse [33]. Harum vero priores duas potentissimas autumat summique roboris universus peripatus et quae vere Thersites sunt, Achilles invincibiles [34] fascinatis iis et circaeo veneno [35] infectis visae sunt.

a) Nihil probat prima ratio Aristotelis a motoris aeternitate sumpta,

Sed, quaeso, num motus aeternitas manifesta est ? Hanc ipse multis artificiis machinisve construere nixus est, cum sui natura manifesta non esset, a motoris aeternitate [36], a coeli figura [37], a motus circumlatione [38], a temporis infinitate [39]. A motore quidem ; quia si motor, inquit, aeternus, et mobile ; ergo coelum aeternum et motus. Sed dico : unde constat motoris aeternitas ? Nos quidem aeternum dicimus Deum, ut omnes fatentur, non autem aeternum motorem. Probat autem ipse motoris aeternitatem ab aeternitate motus, quae manifesta circulatio est ineptaque probatio. – Deinde qua necessitate consequitur ut si motor aeternus est, mobile quoque aeternum sit ? Inquiunt sequaces, quia ab aeterno nonnisi aeternum provenire potest. Ego autem nescio an id verum sit, imo falsissimum puto. Diurnum enim lumen in nostro hoc hemisphaerio a sole aeterno est, non tamen aeternum, sed deficit adventante nocte. Hodierna circumlatio ab oriente in occidentem ab aeterno motore est, non tamen aeterna : cras enim alia circumlatio erit. Sole ab australibus signis ad aquilonaria accedente, multa ex incorruptibili aeternaque materia generantur : eo autem discedente intereunt. Ratio ergo haec arundineo baculo

quia non necessario consequitur quod si motor aeternus, motus quoque aeternus esse debeat.

29) Cf. *De Coelo*, lib. 2, cp. 1, t. 1, pag. 279. 30) Cf. ibid. cp. 3, pag. 281; *De Animalium Motione*, cp. 4, ibid. pag. 437. 31) Cf. *De Mundo*, cp. 2, ibid. pag. 370. 32) Cf. *De Coelo*, lib. 1, cp. 3, ibid. pag. 268; lib. 2, cp. 1, pag. 279; *De Mundo*, cp. 2, ibid. pag. 370. 33) Cf. *De Coelo*, lib. 1, cp. 3, ibid. pag. 268. 34) Cf. Homerus *Ilias*, lib. 2, vr. 212. 35) Cf. S. Greg. Nyssenus *De Vita Moysis*, (P. G. 44 472); Homerus, *Odyss.*, lib. 10, vrr. 383 sqq.; Virg. *Aeneid.*, lib. 7, vrr. 10 sqq.; Hyginus *Fabulae*, pag. 30; Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 6, cp. 6, pag. 480-481. 36) Cf. *De Animalium Motione*, cp. 4, t. 1, pag. 436; *Physic.*, lib. 8, cp. 6, ibid. pag. 259; *De Coelo*, lib. 2, cp. 6, pag. 283-284. 37) Cf. *De Coelo*, lib. 2, cp. 3, ibid. pag. 281. 38) Cf. ibid. lib. 1, cp. 3, pag. 268. 39) Cf. ibid. cp. 12, pag. 277.

confracto nihilo validior est. Mundi ergo aeternitas tam debili fundamento basique innixa et fulta necessario corruet; neque enim ratio illa, qua motoris aeternitatem ex motu venatur, momenti cuiuspiam est; coelum enim non ab aliquo, sed suapte natura a propriaque forma moveri, ut gravia deorsum et levia sursum, non ab extrinseco movente putamus. Propositionem autem illam: omne quod movetur ab alio movetur[40], falsam esse, ex levium et gravium motu luce clarius constat; huic autem ingenuus ille discursus veluti fundamento innixus est.

Nec valet alia ratio a coeli figura circulari sumpta,

Argumentum autem a coeli figura validissimum autumat peripatus, quod in circulo non sit dare actu principium, medium aut finem; quare nec circularis motus, quod in circulo fiat: quod autem principium finemque non habet, aeternum est. Sed, quaeso, num coelum, sol, luna, astra, terra omniaque sphaericae et circularis figurae corpora infinita sunt, quia actu principium, medium aut finem non habent? Quis sanae mentis hoc dicat? Plane si circulum circino describam, circulatione peracta, orbicularis lineae extremis punctis colligatis non erit assignare actu principium aut finem. Ergo non habuit? Figuli item rota circumlatione movetur. Motus ergo ille principium finemque non habet? perpetuus aeternusque habendus est, quia sit corporis sphaericae vel circularis figurae?

quia si hoc verum esset, omni corpori eiusdem figurae motus aeternus competeret.

At dicet quis artificiale hoc esse, coelum autem naturale corpus. Sed profecto principium actu finemque non habere, non huius aut illius naturalis vel artificialis circuli ratio est, sed circuli in universum, sicut habere tres angulos non huius aut illius trianguli propria ratio est, sed in universum trianguli. Motus autem hic vel competit coelo quia coelum est, vel quia circulare est. Si quia coelum: ergo cuiusvis alius figurae sit competet; si vero quia circulare[41]: omni plane corpori ea figura donato ut competat necessum est; quapropter terra etiam, huius figurae cum sit, perpetuo motu cietur. Potest etiam circulare corpus circulariter nequaquam moveri; pila enim sursum deorsumque proiecta, quamvis figurae sit sphaericae, non[42] in gyrum, sed recto motu agitur ac si alterius cuiusvis esset figurae. Nihil ergo Aristoteli prodest circularis figura ad motus aeternitatem astruendam.

40) Cf. *Physic.*, lib. 7, cp. 1, ibid. pag. 246-247. 41) Ms.: *Circulari.* 42) Ms.: *In repetitur.*

Quod si sphaericum corpus aptum natum dicat perpetuo moveri, quia extrema non habet unde motus incipiat et ubi desinat, quemadmodum quae recto moventur, centrum et circumferentiam, sursum et deorsum habent, in aeternis autem idem sit esse et posse : donamus haec quidem, sed coelum aeternum negamus ; damus et aptitudinem hanc sphaerico corpori, sed etiam terreum globum orbicularem sphaericumque constat esse, qui, cum moveri possit, nunquam tamen movetur in sphaeram.

Sic nec ratio a motu circulationis aeternitatem motus probat.

Minus etiam proficit dum motus aeternitatem a motu circumlationis probare contendit. Hunc enim vult continuum nulloque tempore deficientem esse, quia in continua magnitudine fiat, idest quae actu principium finemque non habet, ut linea recta : hoc enim discriminis inter rectam et circularem est; quia etiam non fit a contrario in contrarium ut motus recti ; sed plane haec etiam de motu rotae figuli, rotarum molarium et globorum circulorumque coelestium in astrolabio, de motu etiam rotarum cuiusvis horologii dici possent. Motus enim horologii continuus est : in magnitudine enim loco et tempore continuo fit ; contrarium non habet, quia non sursum et deorsum, sed circulo fit. Quod si artificialem hunc dicat motum, coeli autem naturalem esse et propterea perpetuum, dicam : vel motus hic perpetuus est quia naturalis, vel quia in orbem ; si quia naturalis : omnis ergo naturalis erit perpetuus, quare et rectus etiam elementorum ; si quia in orbem : omnis ergo orbicularis erit perpetuus, quare cuiusvis etiam globi.

Nec necessario consequitur quod corpus sphaericum et orbiculariter mobile motum perpetuum habere debeat.

Si quis autem simul dicat quia corporis natura sphaerici et orbiculariter mobilis motumque perpetuum esse, sicut et corporis natura, probandum tunc erit naturam esse perpetuam et nunquam incepisse. Quod si per motum id probet, manifesta circulatio est. Sed inquit : necesse est quae sunt, vel aeterna esse, vel genita, cum non essent. Genita utique, Deo auctore, una cum Moyse et veteribus omnibus dicimus. Sed inquit : motus est actus mobilis quatenus mobile. Si motus aliquando incepit, praeexistebat mobile quiescens ; sed quies est motus privatio : ergo semper ante motum motus. Sed, quaeso, quid est : ante motum praeexistit mobile ? Quomodo praeexistit ? Natura an tempore ? Si mobile praeexistit tempore ante motum : quomodo ergo motus aeternus ? Si natura, uti substantia prius natura est accidente, utique mobile praeexistit ; sed quid inde ? Ergo ante

motum quies ? Quomodo sequitur ? Num quia substantia suapte [natura] prior est accidentibus, aliquando sine accidentibus naturalibus est ? Coelum ergo aliquando non fuit corpus, quia magnitudo accidens est, id autem substantia posterius ; posse autem simul et semel mobile motumque esse sensu ipso percipimus, oculis luce clarius videmus in flamma ignis, quae simul generatur et sursum fertur, et in quibuscumque rebus, quae suapte natura et forma mobilia sunt.

Imo Aristoteles volens probare aeternitatem motus ex praeexistentia mobilis, sibi ipsi non constat.

Illud vero quod ex hac thesi, mobile praecedit motum, deduxit : ante primum motum erat mobile quiescens : quies autem est privatio motus : ergo ante primum motum motus ; videamus an vere subsequens sit. Quies est privatio motus : ergo antea erat motus ? Quaenam haec illatio ? Plane sensus ipse demonstrat non omnem privationem consequi praecedentem habitum, uti est mors, infirmitas, caecitas, sed dari etiam privationem praecedentem habitum, quam ipse inter naturalium rerum principia adnumeravit. Ipsemet ergo posuit privationem naturales omnes generabiles formas praecedentem, uti cum ex non homine fit homo, fit nanque ex semine, in quo non est forma hominis ; num haec privatio praecedentis est formae ? Nonne subsequentis ? Quae ergo vis est illationis istius : quies est privatio motus : ergo praecessit motus ? Dicam et ego : Terra quiescit suapte natura : ergo aliquando suapte natura movebatur. Materia terrae privata est forma coeli et solis : ergo aliquando terra coelum fuit et sol. Haec ridicula sunt. Ridiculo igitur argumento probat Aristoteles motum esse ingenitum, nunquam incepisse.

Item aliud argumentum, quia cessante motu remanet mobile, quod iterum moveri potest, nihil valet ad probandam aeternitatem motus.

Sed nihilo melius est id quo probat [motum] incorruptibilem esse et nunquam desiturum, quia cessante motu remanet mobile, quod moveri iterum potest ; ne sit autem haec potentia frustra movebitur iterum aliquando : ergo posterior motus post ultimum. Sed qua necessitate consequitur ut, cessante motu, remaneat mobile ipsum ? Forte quia non possunt entia abire in nihilum, sicut nec ex nihilo fieri ? Sed plane substantiales formae lapidum, plantarum, animalium omniumque generabilium et corruptibilium, iis corruptis, in nihilum abeunt; sed remanet materia moveri possibilis. Cur potentia haec necessario in actum reducenda est ? Ne sit aliqua naturalis potentia frustra. Quodnam hoc impossibile ? Potest universa terra in aurum, et mare in argentum converti : id quando fiet ? Potest universus aer in ignem transmutari et ignis in aquam : quando haec erunt ? Potest terra uni-

quia non necessario potentia in actum reducenda est.

versa secundum locum moveri, nunquam tamen movebitur : non ergo omnis potentia reducenda in actum necessario est. Nulla est ergo illatio : post ultimum dabitur motus posterior. Quomodo item sequitur : si desinet motus, post ultimum erit motus ? Desinere potest motus, quin tamen sit ultimus. Scribo nunc ego, post horam scribere desinam : ergo ultima scriptio ? Si alia non sequatur, erit utique ultima : si sequatur alia, non erit ultima posterior, quia prior non ultima ; desinet hodiernus dies, non tamen ultimus dies, sequente crastino : si is non sequatur, ultimus erit. Potest ergo desinere motus quin tamen sit ultimus motus.

Alia ratio qua Aristoteles aeternitatem motus a temporum infinitate probare contendit,

Tandem Aristoteles motus aeternitatem a temporum infinitate perpetuitateque probavit[43], quia si infinitum tempus est, motus erit aeternus, non enim sine tempore motus. Sed dico : Num manifeste tempus infinitum est ? Quod nunquam incepit ? Probat ipse tanquam non manifestum tempus infinitum esse, quia semper est motus. Sed quaenam circulatio haec : motus est aeternus, quia tempus est infinitum ; tempus est infinitum, quia motus est semper ? Idem probatur per idem. Quae philosophia est ista ? – Astruit et alia ratione : quod tempus semper sit in principio futuri : nunquam ergo ad finem deveniet : ergo sempiternum et infinitum[44]. Sed quomodo semper in principio futuri ? Quia instans est veluti punctum in circulo, finis praeteriti temporis et futuri principium. Sed si non amplius futurum tempus est, cuiusnam futuri temporis instans erit principium? Id quod probandum erat, tempus semper futurum, tanquam datum assumit. Nisi igitur probet tempus semper in posterum perpetuo fore, inanis est ratio, vanissima infinitatis temporis demonstratio. Cum ergo motus aeternitas nihilo probata ab Aristotele sit, minime hinc probari poterit coeli mundique aeternitas.

est vitiosa petitio principii et inani fundamento innititur.

b) Item nil probat ad aeternitatem mundi statuendam secunda ratio

Missa ergo motus aeternitate, videamus si quas habet vires alter Achilles a natura coeli contrarietatis[45] experte assumptus. Coelum, inquit, ingenerabile est et incorruptibile est, quia non habet contrarium : omne autem quod generatur a contrario generatur aut corrumpitur. Non habere autem contrarium a motu probat, quia circulari

43) Cf. *Physic.*, lib. 4, cp. 11, t. 1, pag. 227; lib. 8, cp. 1, pag. 252; *De Coelo*, lib. 1, cp. 12, ibid. pag. 277. 44) Cf. *Physic.*, lib. 4, cp. 10-11, ibid. pag. 226-227. 45) Ms.: *Contrarietis.*

motui non est contrarius motus [46]. Perpendamus hanc rationem, ne dicam putidum sophisma, contemplemur Thersitem hunc, qui peripatui universo fortissimus videtur Achilles.

Aristotelis sumpta a natura coeli.

Sed plane ut absurdissimus hic paralogismus inspiciatur, animadversione dignum est quod A r i s t o t e l e s de mundi generatione atque factura locutus est, ac si de cuiuscumque alterius rei naturalis vel etiam artificialis generatione facturaque esset locutus. Fiunt enim omnia, quaecunque natura vel arte fiunt, ex praeiacente materia, et artificialia quidem, sive homogenea sint sive heterogenea, ex praeiacente materia, uti statua ex aere, numisma ex argento, vas ex auro, domus ex lapidibus, caemento et lignis immanentibus; naturalia vero ex desinente materia, ut vapor ex aqua, ignis ex ligno, arbor ex nucleo, avis ex ovo, animal ex semine; ea enim, unde haec fiunt, non manent. Horum igitur entium ritu et generationis modo, A r i s t o t e l e s mundi generationem crasso plane obtusoque intellectu consideravit. Inquiritur enim an mundus universus, qui, praeter Deum, omne penitus complectitur ens omnemque naturam, ingenitus sit, an aliquo in tempore factus. Cum igitur universitas generatim ex omnibus entibus constet, plane ante ipsam nihil esse potuit quod in eius generationem insumeretur. Si enim universitas est omne ens praeter Deum, extra universitatem nil entium reperiri potest: perperam igitur A r i s t o t e l e s ritu aliorum entium generabilium et corruptibilium de mundi generatione locutus est, ac si universitas unum aliquod particularium entium esset. Universitas enim materiam et causas omnes naturalium generationum includit, alioquin non esset universitas: quapropter nonnisi ex nihilo fieri a Deo Optimo Maximo universitas potuit. Non valet ergo illatio: mundus non est ad instar horum natura generabilium et corruptibilium entium: genitus ergo non est, factus unquam: ergo aeternus. De ratione enim uniuscuiusque horum est ut ex subiecto fiat; de ratione vero universitatis, quae omne includit ens, ut ex nihilo fiat, idest nullo ex subiecto: nam et subiectum istud factum esse oportet; quare vel ibitur in infinitum, si et subiectum istud ex alio factum asseratur, vel dicendum universitatem ex nihilo factam. A r i s t o t e l e s ergo, inquirens an mundus universus aliquando sit factus,

Principium Aristotelis: quodcumque fit, ex praeiacente materia fit, ideo mundus aeternus est, quia praeiacentem materiam non habet, nihil probat,

quia genitura mundi comparari nequit cum entium particularium generatione.

46) Cf. *Physic.*, lib. 6, cp. 8, t. 1, pag. 261; *De Coelo*, lib. 1, cp. 4, ibid. pag. 268.

gratis sumere videtur subiectum cum ceteris naturalium generationum causis non factum, quod plane erat probandum. Quod si eadem ratione id quoque probatum velit, ut subiectum ex subiecto fiat : erit ergo in infinitum processus.

Insuper Aristoteli probandum erit coelum non habere contrarium.

Post haec vero, quî scit Aristoteles coelum non habere contrarium ? Sensu an ratione ? Si ratione : plane, ut ipse ait, nil est in intellectu quin prius fuerit in sensu [47] ; deficiente enim aliquo sensu necesse est aliquam scientiam deficere ; non enim caecus iudicat de coloribus, nec surdus de sonis : quo igitur sensu fulcitur ratio Aristotelis, cui experientiae sensus innititur ? Tactu ? Fuit ne veluti alter Prometheus in coelum evectus [48], ut tactus experientia corpus illud agnosceret ? Plane materiales hi sensus, tactus, gustus, olfactus, necnon et spiritualior auditus, tam alte non attingunt ; attingit autem visus ; visus autem lumina in coelo videt et aliquando obscuritatem, eclipsata luna, perspicuitatem translucentiamque sphaerarum et stellarum opacitatem, quae non sunt visui perviae, intuetur. Haec autem contraria sunt. Quod activam passivamque contrarietatem, veluti est inter calidum et frigidum, humidum et siccum, intelligere voluit, quî scit hanc in coelo non esse ? Plane universa antiquitas uno ore confessa est solem et stellas omnes ignea natura gaudere, igneo calore praedita esse, et sensus ipse demonstrat, quem derelinquere et rationem sequi mentis insania et dementia est. Solus Aristoteles, sensu relicto, rationem secutus est solem dicens non calidum [49], quia coloris est albi. At quis non videt puram ignis flammam albam candentemque esse ? Lux item solis per vitreum vas aqua plenum pertransiens candidissima fit, ut oculos repercutiat tanquam sol : calidissima item ut, fomite admoto, ignem accendat. Est ergo in coelo calor, si fides adhibenda sensibus est ; sol enim nostrati huius igni similis omnino videtur, ut ignis igni similis est et similes easdemque efficit operationes. Coelum ergo, cum calidum sit, utique contrarium habet ; si enim unum contrariorum est in natura, et reliquum : quod si genitum unumquodque

Imo sensus ipsi et tota antiquitas contrarium in coelo haberi demonstrant.

47) Cf. *Posteriorum*, lib. 2, cp. 18, ibid. pag. 110; *De Anima*, lib. 3, cp. 7, ibid. pag. 304; S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 84, a. 6, c; a. 7, c.

48) Cf. Horat. *Carminum*, lib. 1, *Od. 3*, vrr. 27-30; Hesiodus *Opera et Dies*, vrr. 47-53; Hyginus op. cit. pag. 35; *De Signorum Coelestium Historiis*, pag. 70; Phurnutus *De Natura Deorum*, pag. 159; Natalis Comes, op. cit. lib. 4, cp. 6, pag. 266-267.

49) Cf. *De Coelo*, lib. 2, cp. 7, t. 1, pag. 284; *De Mundo*, cp. 2, ibid. pag. 370.

dicere voluit ex contrariis constare, tunc plane ignis, cuius manifestissima generatio est, calidus simul frigidusque erit elementorunque unumquodque contrariis virtutibus qualitatibusque constabit. At quomodo potest quippiam ex contrariis constare, cum haec minime possint sese in uno eodemque subiecto compati? Agunt enim in seinvicem seseque corrumpunt: calor frigus frigusque calorem suapte natura impugnat et destruit. Habet ergo coeli natura contrarium, nempe frigus, cum calida sit, non tamen duo simul contraria; neque enim ignis natura simul calida frigidaque est.

Nec Aristoteles probare potest in coelo nullam fieri novam generationem.

Coeli ergo, uti ignis, natura generabilis et corruptibilis est? Cur non secundum partes? Quî scit Aristoteles nullam in coelo de novo fieri generationem, uti in aere nova secundum partes ipsius aeris generatio multarumque impressionum meteorearum? Calor enim minime otiosus est, iugiter operatur, maxime vero ubi praesens vigensque est in materiam proximam; si enim in remotam, multo magis in proximam. Habent ergo coeli contrarium potestque in eis nova generatio fieri sicuti et in ceteris elementis, quid enim id vetat? Quod si non eam visu discernamus, plane nec diu stellas conspicimus: est tamen universum coelum diu etiam stellis repletum, quae e profundissimis terrae foveis visu conspiciuntur.

nec ex eo quod non habeat contrarium motum, nullam aliam contrarietatem habere.

Illud vero quale est argumentum, quo Aristoteles probat coelum non habere contrarium? Quia, inquit, motui coeli non est contrarius motus [50]. Quodnam argumentum est istud? Quae ratio? Licet ne a particulari universalem inferre? Coelum non habet contrarietatem motus: ergo nullam contrarietatem. Quaenam illatio haec? Num contrarietas motus est omnis contrarietas?

Imo patet ex motu planetarum coelum habere contrarios motus.

Deinde: ad activam passivamque qualitatem, quid motus contrarietas attinet? Terra quidem perpetuo quiescit, nullo contrario motu, ut sursum aut deorsum, movetur [51]: ergo nullum habet contrarium? Si moveri posse recto motu ad centrum quis dicat secundum partes, plane etiam si coeli sistatur portio in terra, sursum tanquam ignis ad suum advolabit locum, non immobilis manebit. Quod si universo peripatui coelum ad primi mobilis motum ab oriente movetur ad occidentem, secundum motum vero planetarum e contra ab occidente

50) Cf. *De Coelo*, lib. 1, cp. 4, ibid. pag. 268-269. 51) Ms.: *Movetur*.

ad orientem [52], cur motus hi non sunt dicendi contrarii ? Cur magis contrarii sunt recti in sursum et deorsum, quam circulares a dextro ad sinistrum et a sinistro ad dextrum ? Coelum ergo motus habet contrarios. – Item : superiora elementa circulo moventur, ut cometarum motus demonstrat : ergo non habent contrarium ? Quod si motus ille violentus et praeter naturam dicatur, quomodo perpetuus est ? Violentum ergo aliquod perpetuum ? Et si universo peripatui quae sursum deorsumque moventur contrariis utique motibus, eatenus sic moventur quatenus praedita sunt contrariis qualitatibus, gravitate et levitate, plane istiusmodi qualitates non sunt contrariae secundum actionem et passionem, sicut calor et frigus : cur ergo ex hac contrarietate intulit contrarietatem actionis et passionis secundum quam fit generatio atque corruptio ? Putidum ergo sophisma, absurdissimus paralogismus est huiuscemodi ratio.

Ruit ergo etiam secundum Aristotelis argumentum ad probandam mundi aeternitatem.

Tres vero aliae rationes vanissimae sunt nulliusque momenti. Ab etymo aetheris, quod sic vocatum antiquis coelum est ; quod deorum perpetuum sit domicilium, et quod memoriae traditum non sit factam esse aliquam mutationem in coelo [53]. Sed haec, inquam, vanissima sunt. Coelum enim antiquis dictum est aether non solum a motus perpetuitate, sed a nitore, claritate, lumine et calore ; igneum enim existimavit antiquitas. – Deinde quî sequitur : coelum perpetuo movetur : ergo nunquam est genitum ? Non id ullus ante A r i s t o t e l e m existimavit ; universa nanque antiquitas mirabili consensu coeli mundique universi initium generationemque posuit. Et tandem, nomina ad placitum profecto hominum posita sunt ad res exprimendas, non ad earum declarandas intimeque demonstrandas naturas. – Quod vero a maioribus coelum ingenitis immortalibusque diis aeternis tanquam aeternum, ingenitum et immortale donatum sit domicilium, poeticis utique fabulis simillimum est. Num incorporeus Deus corporeo loco ad inhabitandum eget ? – Quod vero non sit memoriae traditum antiquis factam aliquando esse mutationem quampiam in coelo, falsissimum est. In historiis enim Hebraeorum traditum est solem in coelo et lunam per integri diei spatium immota quievisse [54] ; quod si id falsum dicat, sufficit quod memoriae id proditum est. Memoriae item

Nec magis valent tres ceterae rationes ductae,

c) ab etymo aetheris; quia sic dictum fuit non a perpetuitate, sed a claritate coeli;

d) a sententia antiquorum, quod coelum sit perpetuum Dei domicilium; quia Deus incorporeus est et loco non indiget;

52) Cf. Aristot. *De Coelo*, lib. 2, cp. 2, t. 1, pag. 280-281. 53) Cf. pag. 56 huius *Dissert.*
54) Cf. Ios 10, 12-14.

e) ab eo quod nunquam traditum sit aliquam mutationem in coelo evenisse; nam traditio contra asserit.

a poetis tradita Phaethontis combustio [55]; unde pythagoreorum quidam galaxiam dicebant [56] viam extitisse stellarum, quae in corruptione illa ceciderunt; alii vero solis ipsius viam, qui circulo hoc aliquando sit latus [57]. Iacent igitur omnes aristotelei Achilles; ostensum est omnes rationes eius de mundi aeternitate putida esse sophismata absurdosque paralogismos.

Adduntur et refutantur aliorum post Aristotelem argumenta pro aeternitate mundi.

Post Aristotelem vero non defuere perperam de mundi aeternitate philosophantes [58], qui vel in Aristotelis gratiam, vel ob intellectus caecitatem mentisque vertiginem, ponentes lucem in tenebras et tenebras in lucem [59], rationibus aliis inventis novam mundi aeternitatem astruxerint. Nihilo tamen felicius. Cur, inquiunt, sempiterna magis privatio quam positio universi tenenda est? Cur Deus infinitis saeculis otiosus mansit nihil operatus? Non potuit, nescivit, an noluit mundum ab aeterno producere? Cur tandem post sempiterna retro saecula, quasi de somno evigilans, mundanae opificium machinae aggressus est, nec ante creavit? Si Deus prima aeternaque est causa, cur non et effectus aeternus? Quomodo mutatus est ut fieret de non agente agens? Si tempus nunquam incepit, quomodo incepit mundus, cum non sit absque motu tempus? Quod si tempus incepit, dabitur temporis tempus, nam aliquando incepisse putandum est: aliquo ergo in tempore tempus incepit. Quod si non ab aeterno factus est mundus, opifex igitur aliquando fuit potestate operans, non actu; id autem imperfectio est.

Puerile est quaerere cur Deus non ab aeterno mundum creaverit.

Sed plane haec praestigiosa sunt argumenta puerilesque technae et argumentationes vanissimae. Quaeram enim et ego: cur Deus, cum infinitae sit potestatis, mundum hunc magnitudine finitum, non autem infinitum creavit? Cur unum tantum, non plures, non innumeros? Cur solem moveri voluit ab oriente in occidentem, et non e contra, vel ab aquilone ad austrum, vel e converso? Cur solem ceteris astris splendidiorem [creavit], non autem autem stellas eo lucidiores? Cur lunam sub sole, non supra solem constituit? Cur non plures aut pauciores, maiores vel minores, superiores vel inferiores coeli stellas effecit?

55) Cf. Ovid. *Metamorph.*, lib. 2, vrr. 304-333; Horat. *Carminum*, lib. 4, *Od. 11*, vr. 25.
56) Cf. Aristot. *Meteorol.*, lib. 1, cp. 8, t. 1, pag. 331. 57) Cf. ibid. pag. 332; *De Mundo*, cp. 2, ibid. pag. 370. 58) Cf. S. Bonaventura *Sentent.*, lib. 2, dist. 1, q. 2 et not. 6; Themistius *Physic.*, lib. 8, pag. 127; Alexander Aphrodisius apud Io. Grammaticum *De Aeternitate Mundi*, pag. 90. 59) Cf. Is 5, 20.

Deus enim liber agens est et creavit mundum quando voluit

Profecto Deus mundi opifex, liberum agens est, intellectu et voluntate operatur ut libet et expedit; mundum quando voluit, uti libuit, sicut decuit, sua potestate creavit.

et quomodo ipsi libuit.

Non decet regem servos sibi facere potestate et dignitate coaequales: noluit Deus mundum sibi facere coaeternum. Quid tunc? Melior, inquiunt, est positio privatione: melius ergo mundum ab aeterno fuisse, quam non fuisse. Dicam ego: cur ergo Deus mundum optimum non effecit absque ulla penitus privatione, si haec mala est? Cur non perpetuum diem absque nocte? Lucem absque tenebris? Vitam absque morte? Simili profecto ratione probaretur non debere genita interitui esse obnoxia, quia generatio melior corruptione est vitaque morte. Cur igitur non omnia, plantae, animalia, homines et cetera quoque quae annuatim generantur, non sunt ab initio genita et incorrupta servata, si adeo est rerum positio melior privatione? Ratio igitur haec praestigiosum est argumentum putidumque sophisma.

Nec putandus est Deus tanto tempore otiosus; quia ab aeterno operatur quidquid operatur in tempore.

Quod autem dicunt infinitis saeculis otiosum Deum extitisse, si mundus non est aeternus, figmentum vanissimum est. Imaginantur enim hi infinita temporum spatia ante genitum mundum, sicuti extra coelum immensa locorum interstitia. At vero sicut extra hunc mundum locus non est, ita nec ante [hunc mundum] tempus; postea vero quî sequitur: non erat mundanum opificium: ergo Deus otiosus? Plane intellectus praestantissima perfectissimaque actio contemplatio est; Deus vero intellectus altissimus est; profecto etiam si nihil extrinsecus operetur homo, otiosus tamen non erit, si intus contemplationem operatur. Deus vero seipsum rerumque omnium in semetipso aeternas ideas perpetuo contemplatur: in extimam vero praxim ab aeterno quidem potuit, scivit, sed noluit mundum creans exire, quia noluit mundum sibi aeternitate [60] coaequalem efficere. Vel forte etiam minime potuit, quemadmodum nec substantia nec magnitudine; impossibile enim est infinitum [creatum]: impossibilia vero fieri minime possunt. Fecit ergo mundum quando et quomodo libuit, et quando quoque fieri oportuit et decens fuit. Potest rex quispiam civitatem, vel templum, aut palatium quoddam extruere, hoc aedificii universi exemplar: non vult tamen usque ad tale tempus; num propterea invidus aut voluntate mutatus quia non prius, cum posset, efficere voluit?

Imo noluit ab aeterno creare ne creatura sibi in aeternitate coaequalis esset, neve putaretur necessario creasse,

60) Ms.: *Mundum* repetitur.

Noluit vero ab aeterno producere, ne sibi creatura in aeternitate coaequalis esset, ne putaremus eum non libere, sed necessario universum creasse mundoque hoc egere, tanquam rex domicilio regnoque : ut clarius universi auctor agnosceretur splendidiusque infinita eius potentia, qua cuncta ex nihilo creavit, cunctis claresceret sicque maiestatem eius universae gentes universe venerarentur summaque religione ac pietate colerent et adorarent. Basis est enim divini cultus universaeque pietatis ac religionis universi creatio et providentia.

sed magis agnosceretur infinita eius bonitas et potentia.

Illa postmodum ratio : si causa aeterna, et effectus : qua necessitate consequitur ? Dico ego : cur sequitur haec illatio : Deus est aeternus : ergo et mundus est aeternus ; non autem haec : Deus est infinitus: ergo et mundus est infinitus ? Nam et aeternitas infinitudo quaedam est. – Quae item necessitas ut causae perpetuitatem effectus quoque suapte natura perpetuitas consequatur ? Plane in universo multae sunt causae perpetuae, uti sol, astra, coelum, quorum tamen effectus corruptibiles et temporarii, non perpetui sunt ; quaecumque enim generantur suapte natura corruptibilia sunt. Lumen item a perpetuo sole genitum in mundo hoc nostro perpetuum non est.

Nec consequitur quod si Deus aeternus est, ergo et mundus aeternus esse debet;

Nec minus sequitur quod, si non ab aeterno creatus est mundus, mutatus sit opifex, factus de non agente agens. Siquidem in natura cernimus multas effectuum mutationes absque mutatione causarum ; sol enim de non illuminante hanc domum ianuis clausis, fit illuminans ianuis reseratis, nulla tamen facta mutatione in sole ; ignis item fit de non calefaciente calefaciens nihili mutatus ; imo omne agens quatenus agens immotum est, cum actio in passo sit, non in agente. Sol illuminat : illuminatio non in sole est, sed in aere ; ignis calefacit : calefactio non in igne, sed in aqua [61]. Sic Deus, universo etiam peripatui, movet coelum manens semper immotus, cum sit primum movens [62] ; ita pariter absque ulla sui mutatione mundum creavit cum libuit.

sicut nec si mundus in tempore factus, mutatus est ergo opifex;

Quod si potestate operans, non actu, dicatur, quidnam absurdi hinc evenit ? Num omnis potestas imperfectio censenda est ? Est utique potestas materiei imperfectio per formae adventum perfectione donanda ; at potestas agentium perfectio est, non imperfectio ; perfectus

Deus enim, dum agit, non scipsum perficit, sed opera quae facit.

61) Ms.: *Aquas*. 62) Cf. Aristot. *Physic.*, lib. 8, cp. 6, t. 1, pag. 258-259.

enim artifex, dum agit quae sui sunt muneris, non utique seipsum perficit, sed opificia; similiter sol illuminans et calefaciens ignis.

Nec concludi potest aeternitas mundi a ratione temporis, quod initium habere nequeat;

Quae autem a tempore sumitur ratio [63], quod si tempus aliquando incepit tempus incepisset in tempore, figmentum vanissimum est. Dicam ego: extra supremam extimamque superficiem coeli non est locus. Num falsum id censendum est eo quod extra locum dicat locique differentia sit? Non utique, sed plane extra coelum etiam spatium quoddam inane imaginamur; ita et ante mundi creationem spatia quaedam temporum cogitamus et fingimus. Dicimus ergo tempus aliquando coepisse et aliquando etiam desiturum, idest quod non semper fuit, nec erit semper. Quid? Destruetur hic mundus? Utique: qui enim creavit potest et destruere, destruet etiam et nova faciet omnia [64]. Inexpiabile igitur facinus committet Deus perfectum hunc destruens mundum? Pravum est enim perfecta optimaque destruere; sed quid? Non destruit corruptione natura quaecumque generatione produxit? Non moriuntur plantae, animalia, homines? Id ergo inexpiabile facinus? Bona sunt tamen perfectaque universa, quae operatur natura, exceptis monstris, quae praeter eius intentionem fiunt.

tempus enim et initium habuit et finem habebit; ita et mundus.

Item non valet illatio: exemplar mundi aeternus est: ergo et mundus; quae enim relative dicuntur, simul necesse non est esse.

Arguunt alii ratione ab exemplari ideisque desumpta [65]; quod exemplar quidem mundi aeternum est: ergo et mundus. Relative enim dicitur; quae autem relative dicuntur, simul necesse est esse. Pater ergo non est genito filio prior, ad hunc enim relatione naturali refertur; quaenam insania haec? Plane et scibilia quaeque ad scientias quasque referuntur: priora sunt tamen; multa sunt enim scibilia adhuc minime scita; et quilibet architectus, ante constructionem aedificii, ipsius exemplar efformat ideamque ipsius mente figurat. Est ergo exemplar suapte natura aedificio prius.

Contra haec deliramenta omnesque ethnicos philosophos Moyses, summus theologus et philosophus,

Missis ergo inanis philosophiae his nugamentis vanisque ambagibus ethnicorumque philosophorum praestigiosis argumentis, ne dicam deliramentis et imposturis – levitate enim, ineptiis, inscitia et amentia plena sunt omnia, – ad M o y s e n, verae divinaeque philosophiae parentem, deveniamus. Vertex est enim omnium philosophorum, alpha sapientium omnium, culmen universae philosophiae omnisque sacra-

63) Cf. not. 39 huius *Dissert.* 64) Cf. Is 43, 19; 2 Cor 5, 17; Apc 21, 15. 65) Cf. Io. Grammaticus *De Aeternitate Mundi*, pag. 11-18, qui hoc Procli argumentum confutat; Alexander Halensis *S. Theolog.*, *Inquisit.* 1, tract. 2, q. 2, tit. 4, cp. 1.

tioris theologiae columen; vir omni sapientia humana divinaque omnique pietate plenus, omnisque sapientiae et pietatis in Deum magister et doctor, qui inter sapientes omnes, quos antiquitas coluit summeque admirata est, veluti sol inter astra fulget; qui sicut omnium penitus philosophorum, quorum monumenta extant, antiquissimus est primumque locum tenet, ita etiam omnes doctrina et sapientia longissime superat. Hic autem non mundi aeternitatem praestigiosis argumentis docet, sed rerum universitatem a Deo emanasse firmissime asserit.

statuit mundi creationem a Deo factam,

In principio creavit Deus coelum et terram, idest rerum universitatem; brevissima periodus paucissima verba complectens, sensus vero quamplurimos, et illos quidem altissimos, verissimos maximosque. Asserit enim his verbis Divinus Moyses Deum Optimum Maximum esse ens primum, independens, aeternum, universorum entium causam primam, perfectam, unicam, liberam et voluntariam. Si enim entium universitatem praecessit, omnium profecto natura et aetate primum necesse est dicere; si universa ab eo dependent, ipsum necesse est independentem fateri, non enim prius, a tanquam principio et causa dependeat, habere potest. Si entium universitas aliquando incepit, ipsum necesse est aeternitate gaudere. Si enim et ipse aliquando incepit, aliquo auctore incepisse dicendum est; quod enim penitus nihil est, penitus nihil operari potest. Posita igitur entium universitate, necesse omnino est universitatis auctorem aeternum esse: alioquin ex penitus nihilo nihil penitus fieri unquam potuisset. Si item universitas entium ab eo, tanquam principio et causa, dependet, ipse prima est causa: eo nanque nihil est prius; perfecta vero, quia ex nihilo, nullo ex ente, nulla ex praeiacenti materia, totum perfectumque mundum universum effecit; libera tandem, quia si non ab aeterno, sed aliquando creavit, non ergo ex necessitate naturae, sed ex liberi arbitrii voluntate creavit, cum libuit sibique complacuit. Haec igitur omnia Divinus Moyses simplici hac thesi et assertione docet.

et Deum esse causam primam, aeternam, independentem, perfectam et liberam.

Videndum nobis an rationi consentanea sit prima haec Moysis assertio; inani enim philosophiae absonum rationi videtur ut quippiam ex nihilo factum asseratur. Hinc enim philosophorum multi, elato arrogantiae supercilio, qua se veritatis et sapientiae deos profitentur, palmo coelum metiri, imo comprehendere volentes, omnino impossibile dicunt ex nihilo aliquid fieri. Deum enim putant ad instar

Nec valet quod aliqui dicunt ex nihilo nihil fieri;

artificum esse, qui nihil penitus ex nihilo facere possunt, sed semper ex apta dispositaque materia opificia sua perficiunt. Sed quanam, quaeso, illatione consequitur ut, quod uni possibile non est, impossibile penitus asseratur ? Non potest luna clarum splendidumque diem suo fulgore efficere : ergo non poterit sol ? Non potest ars aut natura ex nihilo aliquid facere : ergo nec Deus ? Nos [66] ergo inanem philosophiam cum suis praestigiosis argumentis a tergo relinquentes, cum omnibus theologis dicimus Divini Moysis thesim divinamque assertionem non modo non absonam, sed consonam summeque consentaneam rationi esse.

Dei enim omnipotentia non indiget praeiacente materia.

Mundum enim hunc vel factum vel non factum necesse est esse. Et quidem si ineffectus omnino est, utique erit, fueritque undequaque aeternus, cum nunquam inceperit esse. Nec aeternus modo, verum et ab omni penitus causa independens ; quod enim omnino ineffectum est, nullam penitus causam, nullum principium habet ; quod enim causam habet, subit rationem effectus. Rerum igitur universitas, si ineffecta omnino est, per sese dicenda est esse proprioque esse ab aeterno consistens, nullam penitus causam nullumve principium habens. At plane non omnia entia possunt huiuscemodi esse ; quae enim suapte natura generabilia et corruptibilia sunt, causas et principia habent, effecta sunt, non infecta. Non igitur rerum universitas ineffecta penitus est.

Thesis Moysis maxime consona est rationi;

cum enim mundus sit corruptibilis, principium habere debuit.

Dicet quis : coelum, terra [67] et corpora intermedia ingenita ineffectaque sunt : quare et aeterna. Ego autem simul independentia ab omni causa fatebor : nullum igitur horum ab alio pendet, vel alio posterius est ; nulla enim prior est causa : per sese igitur ab aeterno consistentia sunt : per sese igitur etiam operantur ; operatio enim cuiuscumque rei a proprio illius esse naturaque procedit : per sese igitur sunt et operantur. Sed dico : frustra ne haec et temere, an alicuius gratia operantur ? Si frustra, inutilis plane totus hic mundus erit ; si vero alicuius gratia, cuiusnam ut naturalia, plantae, animalia, homines generentur ? Sed plane nullum horum corporum per sese haec generare possunt, vel terra sine aqua et coelo, vel sine his coelum. In operari igitur minime independentia sunt, sed utique a

Omnia naturalia in operari a se invicem dependent,

66) Ms.: *Non.* 67) Ms.: *Terram.*

se invicem dependent, ne frustra temereque operentur. Sed dico: coelum et elementa sensu ne et ratione praedita sunt, ut id, cuius gratia operantur, agnoscant? Si enim id non agnoscunt nulloque agente reguntur, quomodo inerranter operantur? Dicere vero terram sensu et ratione praeditam stolidissimum est. Quod si animam quis mundi ponat [68], quae mundum regat, veluti a spiritu nostrum regitur corpus: ab aliqua igitur insensibili et invisibili causa mundus iste dependet; anima autem haec mundi, si Deus non est, quidnam entium erit?

et cum inerranter operentur, ab aliquo agente reguntur, qui est Deus.

Praeter haec vero, si mundana haec corpora ineffecta omnino sunt penitusque a quavis causa et principio independentia: erunt igitur natura et operatione usquequaque diversa nihilque commune habentia: mundus ergo non unus? Quî enim fieri potest ut suapte natura omnino diversa adversaque entia, unum per se constituant? Neque enim ordo esse profecto potest inter omnino diversa, ubi nec prius nec posterius est; quid igitur? Nullo est mundus hic ordine, situ et dispositione compositus? Aliqua igitur invisibilis est causa entium universitatem componens et ordinans. Non itaque mundus independens omnino, nec ineffectus; quod si corpora haec independentia ineffectaque sunt, cur non et infinita? Nullam enim habent determinantem limitantemque causam. Mundus ergo infinitus? Terra infinitum corpus? Sensus ipse reclamat. Si igitur mundus hic unus est finitus et ordinatus, ineffectus omnino esse non potest.

Si corpora ingenita et independentia essent, unitas et ordo in mundo non existerent.

Sed ineffectum ex parte quis asserat, materiam nempe infectam, veluti si quispiam artifex ex materia quavis opificium quodvis efficiat, materiam quidem illius non faciet, sed accipiet efformabitque forma quam intendebat figuraque donatam: materia igitur mundi ineffecta erit: independens ergo, quare et infinita. Num igitur materia suapte natura infinita magnitudine est? Mundus ergo infinitus magnitudine erit; quod enim independens omnino est, infinitum necesse est esse; nullam enim habet limitantem causam esseque illius defi-

Nec admitti potest materia infecta et mundus finitus.

68) *Stanleius*: « Anima fontana agitari mundum Chaldaei putarunt ». *Historia Philosophiae*, sect. 2, cp. 2, pag. 1123; cp. 7, pag. 1126. *Genuensis*: « Φυχήν mundi memorat passim Plato in Epistolis et in Timaeo, ubi idcirco mundum esse μέγα Ζῷον, magnum animal, docet... Certum est spiritum hunc universalem et mundi animam placuisse kabalistis, de quibus conferri potest Ioannes Franciscus Buddeus in introductione ad Historiam Philosophiae Hebraeorum... Qua de re consuli potest dissertatio de *Anima Mundi* Adami Rechembergii Theologi Lipsiensis ». *Elementa Metaphysicae*, Pars Prior, cp. 10, *De primis corporum substantiis*, pag. 187-188.

quia contradictionem implicat.

nientem ac circumscribentem. Non igitur independens coaeternaque Deo ponenda materies est; coaequalis enim etiam suapte natura Deo esset, uti infinita, mundusque simpliciter infinitus esset.

Mundus ergo secundum suam universitatem a Deo ex nihilo factus est.

Mundum ergo universum factum necesse est dicere. Factum autem a seipso mundum insanum est et dicere; nihil enim seipsum generare potest. Quod enim gignitur et fit, minime est; quod autem nihil est, quomodo operari potest? Esse autem et non esse simul quippiam minime potest. Si mundus igitur ipse seipsum fecit, erat simul et non erat. Quod si facta rerum universitas est: ergo ex nihilo, cum nulla potuerit materia praeexistere ex qua entia fierent, quin et materia illa sit facta. Vel igitur ex alia, vel ex nulla: si ex alia, processus in infinitum dabitur, et tandem cum et ipsa in entium universitate comprehendatur, non enim nihil est, sed aliquod ens, ipsam necesse est factam asserere; implicat enim entium universitas facta et horum aliquid non factum.

Id statuit Moyses in prima sua thesi, dicens: *In principio creavit Deus coelum et terram.*

Hinc summa ratione Moyses rerum universitatem ex nihilo factam in prima sua thesi asseruit, dicens: *In principio creavit Deus coelum et terram. Creavit,* idest ex nihilo et simpliciter fecit. Aliud est enim fieri quale aut quantum, album sive magnum; aliud fieri substantiam, et aliud fieri natura hanc substantiam; aliud fieri omnem substantiam. Album enim fit ex non albo, et magnum ex parvo, idest subiectum, quod prius erat non album et parvum, fit album et magnum; prius tamen, absque his supervenientibus accidentibus, substantia erat. Cum item fit planta aut animal, fit hoc ex illo; materia enim erat prius sub alia forma; at si omnem dico substantiam fieri, dico simpliciter fieri. Si enim omne ens factum est, antequam fieret entium universitas nihil erat; fit enim quod non est; fit album quod non est album: ens quod non est ens: ergo nihil. Quod enim fit ex non ente actu ens actu, non simpliciter fit, sed tantum fit hoc ex illo.

Si autem mundus factus est, aeternus esse non potest.

Si igitur universitas rerum simpliciter facta est, ex nullo penitus ente factam necesse est esse; quod si factus est mundus, aeternus profecto esse non potest. Id enim fit quod non est; semper autem esse et aliquando non esse manifesta est contradictio: non enim dicimus nunc coelum et terram fieri, quia sunt. Si ergo semper, uti nunc sunt, fuere, nunquam igitur facta sunt, quia nunquam minus fuere quam nunc sunt. Nullo itaque modo potest esse aeternum quod factum est.

Necesse est autem ut causa suapte natura prior sit suo effectu; ut enim efficiens cum suo effectu simul in eodem instanti primo inceperit, impossibile est. Effectus enim in uno eodemque instanti simul esset et non esset; quod enim fit, non est. Si ergo in instanti primo erat, non fiebat; quod si fiebat et erat, simul erat atque non erat. Necesse est ergo ut saltem per instans efficiens mundi causa praecesserit eum. Si per instans: post istud igitur mundus incepit; quod si praecessit Deus mundum, nonnisi propria duratione praecessit: propria autem duratio eius aeternitas est. Aeternitate ergo causa aeterna mundum praecessit.

Cum autem Deus sit causa mundi, necessario effectum praecessit aeternitate, quia duratio eius aeternitas est.

Sed age, dicamus posse quippiam ab aeterno fieri; sit factus ab aeterno mundus; factum ab aeternitate coelum; num corpus istud, quod perpetuo circulo ferri videmus, factum cum motu et tempore est, an sine his? Si sine his dicatur: coelum suapte natura, an vi fertur hoc motu? Si suapte natura: quomodo ergo contra naturam suam perpetuis saeculis in aeternitate mansit immotum, et ex tempore postea coepit moveri? Si vi movetur: cur motum perpetuum habet? Nullum plane violentum perpetuum. Quod si cum his factum est, tempus et motus non possunt esse aeterna, non enim infinita; aeternitas vero infinitudo quaedam est. Patet vero non posse aeternum esse tempus; quod enim finitis partibus constat, infinitum esse non potest. Momenta vero horae diesque finita cum sint, tempus nequaquam infinitum possunt efficere. Quod si infinita sunt momenta, infinitae horae, dies, menses et anni: saecula etiam erunt infinita. Si enim haec finita sunt, tempus item finitum erit; si vero infinita et haec, non plura pertransiere saecula quam dies, quam horae, quam momenta. Pars ergo et totum aequalia erunt, hora diei, mensi, anno saeculoque aequalis. Infinito autem infinitius dari minime potest, nec quippiam maius, alioquin minime infinitum.

Nec tempus aeternum esse potest, quia finitis partibus constat: ergo nec motus.

Adhuc: si tempus infinitum est, hodierna profecto dies ab aliquo tempore infinite distabit. Sed distat ne infinite ab omnibus diebus praeteritis? Plane et ab hesterna die infinite distabit. Sed forte ab aliquibus pluribus, an una? Si pluribus: num illae simul fuerunt, an una post aliam, uti nunc? Si una post aliam: num inter eas quoque infinita distantia est? Una est dare, a qua ceterae infinite distent; plures enim dies simul esse non possunt. Illa vero una infinitum ne tempus est, an finitum? Si finitum, incepit; si vero infinitum, quo-

Insuper ex aeternitate temporis plures difficultates exurgerent.

modo dies una? Quievit ne infinito tempore coelum contra naturam? Quod si ab una tantum hodierna dies infinite distat, plane infinitum finitum terminis erit, hodierna nempe die et illa, a qua infinite distat.

Quod de tempore dictum est, idem dicendum est de motu,

De motu vero eaedem sunt rationes. Constat enim ex finitis partibus; quomodo ergo infinitus? Diurnae enim circulationes finitae sunt; item lunares atque solares; quod item coelum. Plures circulationes peregit primum mobile lunae, an solis? Si aequales: motus diei aequalis erit motui mensis et anni; si hoc plures, illud vero pauciores: dabitur infinito maius. Hodierna item circulatio ab alia antecedente infinite distabit; si enim a nulla, non est infinitus motus; si ab aliqua, infinitum clausum est terminis. Quod si aeternum tempus est, infinita processit multitudo dierum, circulationum, generationum, lapidum, plantarum, animalium, hominum et aliorum quorumcumque natura constantium. Multitudo vero infinita esse non potest; omnis enim numerabilis est: numerus vero omnis finitus est, habet enim principium; fine etiam non caret, omnis enim adiectione unitatis fit maior; nec dari numerus potest qui adiectione unitatis non crescat: infinitum vero nec crescere nec minui suapte natura potest. Numerus item omnis partium ordinem et mensuram dicit. Quod si infinita rerum multitudo processit, quomodo fit infinitum maius? Plures enim homines, animalia, plantae, folia, flores, fructus, semina nunc genita sunt, quam mille abhinc retro annis; pauciores vero [69] horum generationes nunc sunt, quam sint futurae in posterum. Infinitum ergo minus maiusve esse potest et pertransitum iam erit: quod plane infinito repugnat. Quod si futurum infinitum tempus pertransiri non potest, uti nec numerus, quomodo futuro [70] huic aequale praeteritum est?

quia etiam motus partibus constat.

Admissa aeternitate motus et temporis infinitate, plurima sequerentur incommoda, quae ratio explicare non posset.

Sed age, pertransitum sit infinitum tempus, factum sit ab aeterno coelum; cum factum est coelum, sol in quanam coeli parte factus est? Nunc quidem vel in oriente [est], vel in meridie, vel in occidente, vel in opposito hemisphaerio; sol, inquam, iste in quanam parte factus est? In omnibus simul, in nulla, an in una tantum? Si nullibi: quomodo factus? Si ubique: quomodo corpus, unum suapte natura, in locis pluribus simul? In una igitur solum: in hac vero quomodo factus est? Cum motu, uti nunc, an cum quiete, ut postmodum coeperit motu cieri? Si cum quiete: mansit ergo immotus tempore infinito in

69) Ms.: *Quam sint* repetitur. 70) Ms.: *Pertransito*.

aeternitate cuius non est invenire principium, nec primum instans. Sed nullum violentum perpetuum. Si naturalis illi motus, vi mansit tempore infinito immotus; si vero quies illi naturalis, vi nunc perpetuo movetur. Quod si cum motu, uti et nunc, factus est, ab ea, inquam, parte in qua factus est, usque ad oppositam eius, puta ab oriente ad occidentem[70a] vel e contra, quantum absumpsit temporis? Finitum, ut nunc, an infinitum? Si finitum: non est tempus aeternum; duodecim enim horarum spatio semicirculus iste perficitur; si vero infinitum: cur nunc finito peragit? Non ergo naturaliter, ut nunc, movebatur: infinito igitur tempore vi fuit detentus, ne suapte natura, uti nunc, moveretur. – Mobili item aeterno dato, motus infinitus aeternusque esse non potest. Demus aeternum ignem aeternumque combustibile; combustio non potest esse aeterna; calefactio enim praecedit, nec fit in instanti combustio. Item, in aeternitatis primo instanti, ante quod imaginatione et intellectu non sit sumere prius, sit motor et mobile: motus esse non potest; non enim fit in instanti motus. Aeternus igitur esse minime potest, sed naturaliter mobile aeternitate quievisse dicendum erit.

Insuper si mundus infinitus esset duratione, infinitus etiam esset magnitudine,

Praeter haec vero, cum mundus factus est in nostro hoc hemisphaerio, vel nullum erat tempus, non dies neque nox, ver aut aestas, autumnus vel hiems: vel omnia simul, vel plura, vel unum tantum. Si nullum: non est tempus aeternum; si omnia: erant contraria simul aestas et hiems, dies et nox in hemisphaerio uno, non plura; non enim potest simul sol adesse et abesse, accedere et recedere. Unum ergo; sed quid? Fuit ne infinita dies aut nox? Infinitum ver aut aestas, autumnus aut hiems? Mundus ergo sicut magnitudine finitus est, ita et tempore, et sicut non potuit infinitus coaequalis consubstantialisque Deo fieri, ita nec coaeternus. Quod si innumeris saeculis ante creatus fuisset, fieri tamen non potest quin ante creari potuerit; quod si coaeternus sit Deo, ante nequaquam creari potuerit; neque enim ante aeternitatem spatii quicquam est sumere, nec instans quidem. Necessario igitur productus erit; nam si libere, potuit non produci. Coaeternus autem non potuit; non enim ante, quia aeternitate nihil est prius aut anterius; non postea, quia quod semel factum est, necessario factum est, nec possunt quae facta sunt infecta fieri, ingenitaque quae genita

et non libere, sed necessario productus;

70a) Ms.: *Occidens*, et infra: *Oriens*; hae voces in quarto casu semper ponuntur genere neutro.

sunt; nec in eodem aeternitatis instanti; quod enim est, necesse est esse, non enim potest quippiam simul esse et non esse. Deus autem non necessitate naturae, uti sol illuminat et ignis calefacit, operatur; sed cum intellectu sit praeditus, ex liberi arbitrii voluntate.

si autem necessario productus, non daretur diversitas entium, quia causa simplex, una et necessario operans, nonnisi unum ens homogeneum producere potest.

Quod si ex necessitate operatur, unde entium tam multiplicium diversitas? Omnis enim causa simplex et una unum tantummodo operatur: ignis calefacit, sol illuminat, coelum movetur. Deus ergo, cum una simplexque et incomposita omnino natura [71] sit, si ex necessitate naturae operaretur, nonnisi unum produxisset ens homogeneum, unius eiusdemque rationis; mundus vero heterogeneum quoddam totum universumque est; non enim ignis eiusdem naturae cum aqua, nec terra cum coelo. Vel ergo dicendum erit entium universitatis causam esse multiplicem pluresque primas causas effingere, vel primam causam Deum non necessitate naturae, sed intellectu et liberi arbitrii voluntate operari: mundum ergo non producere, ut suapte natura liber. At si ab aeterno produxisset, non produxisse minime potuisset producendique libertate caruisset.

At sicut Deus non potest mundum creare sibi coaequalem, sic nec sibi coaeternum.

Quod si quis dicat ab aeterno Deum eiusdem potestatis, sapientiae bonitatisque fuisse ac cum mundum creavit: cur ergo ex tunc non potuit? Dicam: si nunc etiam ac tunc eadem potestate gaudet, cur modo aeternum facere non potest? Cur non infinitum sibique coaequalem et consubstantialem? Quia id quidem minime possibile est. Sic de aeternitate dico.

Ideo ut doceret mundum a Deo libere et in tempore creatum, Moyses ait: *In principio creavit Deus coelum et terram.*

Monstratum igitur est mundum non esse independentem et ineffectum, vel totum vel ex parte; non factum a semetipso et aeternum; factum autem aliquando. Factum vero necesse est ab aliquo: omne enim quod gignitur, ab aliquo gigni necesse est; a seipso enim [non] potest, simul nanque esset et non esset, quod impossibile est. Necesse igitur est entium universitati efficientem causam tribuere et illam quidem independentem atque aeternam. Si enim nihil ab aeterno fuit, a quonam factum universum erit? Si enim aliquando nihil prorsus nullumque penitus ens fuisset, impossibile profecto esset ens aliquod reperire, et nunc quoque nihil esset. Hinc Divinus Moyses sapientissime quidem et solertissime mundi universi facturam Deo Optimo Maximo tribuit, dicens: *In principio creavit Deus coelum et terram.*

71) Ms.: *Cum* repetitur.

Divina plane sententia, quae in paucissimis verbis altissimos sensus, abditos quidem, sed verissimos continet. Non enim Moyses similis esse voluit verbosis humanae sapientiae professoribus, quibus lingua tantum sapit, mens vero desipit; qui arboribus similes sunt infecundis, steriles tantum flores producentes, fructus autem vel nullos. Moyses vero, divinus Vates, ad instar ligni est, *quod plantatum... secus decursus aquarum* [72], uberrimos fructus veritatis, doctrinae et sapientiae affert, foliaque eius non defluunt: verba enim eius non inania sunt, sed divinae sapientiae plena. Haec autem mosaica thesis ad instar vitalis ligni illius est, quod affert in paradiso secus flumen fructus duodecim [73]. Thesis enim haec oculatius inspecta diligentique intellectu conspecta duodecim divinae philosophiae propositiones affert.

Ex hac autem thesi fundamentali duodecim aliae sequuntur theses,

Prima: mundum non esse independentem et ineffectum; secunda: non esse factum casu vel a seipso; tertia: factum esse a Deo; quarta: factum ex nihilo nulla praeexistente materia; quinta: factum absque ullo motu aut mutatione, uti quae natura generantur, et absque temporis mora, sed in instanti; sexta: factum non ab aeterno, sed aliquando habuisse initium; septima: Deum esse naturam primam ante omnia; octava: esse Dei naturam independentem nulliusque egentem; nona: esse aeternam, ante omne tempus; decima: esse primam causam principiumque unde coelum et natura secundum esse simpliciterque dependent, quae dederit esse his quidem clarius, illis vero obscurius; undecima: causam esse per seipsam perfectam optimamque, quae nullius secundae causae eguerit, vel materialis, vel instrumentalis, ministerialis, vel extrinseci exemplaris, motus aut temporis, uti mundani artifices; duodecima tandem: causam esse non necessariam, sed liberam, quae mundum quando et quomodo magis libuit voluitque crearit.

quae demonstrant mundum a summa intelligentia factum ab eaque dependentem,

Sequuntur vero omnes divinae philosophiae hae theses axiomataque ex illa, et necessario quidem si quis advertat, rationi vero admodum consentaneae. Prima quidem: non esse mundum hunc independentem omninoque ineffectum. Quis enim permagnum aedificium videns, a nullo existimet domificatore factum? Horologium a nullo artifice? Hominem a nullo homine natum? Si enim omnino ineffectus esset, utique, uti diximus [74], infinitus esset, nullam habens determinantem

72) Ps 1, 3. 73) Cf. Apc 22, 2. 74) Cf. pag. 71 huius *Dissert.*

causam ; terminari vero a seipso non potest, quia idem non est suiipsius causa. Quod item independens, unum necesse est esse et simplex primumque; mundus vero non unum ens, sed multa; non simplex, sed compositum; nec primum, quia componentia principia formam materiamque habet. Rationi item consentaneum est mundum non a seipso, vel casu factum ; idem enim non potest esse causa [75] suiipsius : esset enim et non esset ; quod autem casu fit, ordine et ratione caret : mundus vero summo ordine, dispositione et ratione gaudet. Desiperet vero si quis opificium quodpiam summa arte et ratione compositum, a seipso, cum non esset, vel casu et nulla ratione factum, vel hominem casu, vel a seipso natum opinaretur. Ordo igitur dispositioque elementarium et coelestium corporum, astrorum, planetarum, motuum, temporum et actionum naturae semper inerrantis, mundi facturam ostendit a causa longe potentissima longeque sapientissima, a qua omnis penitus entium universitas pendeat, administretur serveturque ne pereat.

non a seipso, vel casu;

ordo enim, qui in universitate conspicitur, potentiam et sapientiam infinitam clare ostendit.

DISSERTATIO SEXTA

DE PRINCIPIIS RERUM

In principio, sive *principium, creavit Deus coelum et terram. Terra autem erat inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi . . . Et dixit Deus : Fiat lux* [1], etc.

De naturalium rerum principiis satis superque controversum digladiatumque est antiquis physiologis, his quidem unum tantum, aliis vero multa ponentibus : his plura, aliis pauciora : his finita, aliis infinita. Parmenides enim unum principium finitum et immobile posuit [2]; Melissus vero unum immobile, sed infinitum [3];

Antiquorum philosophorum opiniones circa naturalium rerum principia.

75) Ms.: *Natura.*

1) Gn 1, 1-3. Vulg.: *Dixitque Deus,* etc. 2) Cf. S. Clemens Rom. *Recognitiones.* lib. 8, (P. G. 1, 1378); Eusebius Caesar. *Praeparat. Evang.*, lib. 1, cp. 8, ibid. 21, 58; Aristot. *Physic.*, lib. 1, cp. 2, t. 1, pag. 197-198; *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 5, t. 2, pag. 487-488; Diog. Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 9, pag. 370; Conimbricenses *Physic.*, lib. 1, cp. 7, q. unica a. 1-3. 3) Cf. Aristot. *Physic.*, lib. 1, cp. 2-3, t. 1, pag. 197-198; *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 5, t. 2, pag. 487-488; Diog. Laertius op. cit. lib. 9, pag. 371.

Thales, quem sex alii Graeciae sapientes secuti sunt, aquam dixit principium esse naturalium rerum[4], humido maxime videns viventia quaeque consistere; Diogenes[5] et Anaximenes[6] aerem posuerunt; Heraclitus ignem[7]; Hesiodus terram[8]. Alii posuere vaporem mediam inter aquam aeremque substantiam[9]; Anaxagoras posuit[10] chaos atomorum dissimilarium specie differentium contrariisque qualitatibus dissidentium, ex quibus divisis et condistinctis divina mens mundum hunc composuit. Anaximander et ipse atomos posuit[11] ex chao factas; item et Democritus[12], sed omnes eiusdem rationis figura tantum et situ differentes. Empedocles[13] et Hippocrates[14] elementa quattuor posuere; alii tria, excepta terra; alii duo extrema: ignem

4) Cf. S. Clemens *Recognitiones*, lib. 8, (P. G. 1, 1378); Eusebius Caesar. *Praeparat. Evang.*, lib. 1, cp. 8, ibid. 21, 55; lib. 14, cp. 14, ibid. col. 1250; Tertullianus *Adversus Marcionem*, lib. 1, cp. 13, (P. L. 2, 260); *De Anima*, cp. 5, ibid. col. 653; Lactantius *Divinae Institut.*, lib. 2, cp. 10, ibid. 6, 309; S. Augustinus *De Civitate Dei*, lib. 8, cp. 3. 5, ibid. 41, 226. 230; Aristot. *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 3, t. 2, pag. 486; An. Seneca *Naturalium Quaestionum*, lib. 3, cp. 13, pag. 869. 5) Cf. S. Clemens *Recognitiones*, lib. 8, (P. G. 1, 1378); Eusebius Caesar. *Praeparat. Evang.*, lib. 1, cp. 8, ibid. 21, 62; S. Augustinus *De Civitate Dei*, lib. 8, cp. 2, (P. L. 41, 226); Aristot. *De Anima*, lib. 1, cp. 2, t. 1, pag. 381; *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 3, t. 2, pag. 486; Diog. Laertius op. cit. lib. 9, pag. 383. 6) Cf. Eusebius Caesar. *Praeparat. Evang.*, lib. 1, cp. 8, (P. G. 21, 58); lib. 14, cp. 14, ibid. col. 1251; Tertullianus *Adversus Marcionem*, lib. 1, cp. 13, (P. L. 2, 260); *De Anima*, cp. 9, ibid. col. 660; Lactantius *Divinae Institut.*, lib. 1, cp. 5, ibid. 6, 134; S. Augustinus Epist. 118, cp. 4, ibid. 33, 442-443; *De Civitate Dei*, lib. 8, cp. 5, ibid. 41, 230; Aristot. *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 3, t. 2, pag. 486; Diog. Laertius op. cit. lib. 2, pag. 60-61. 7) Cf. S. Clemens *Recognitiones*, lib. 8, (P. G. 1, 1378); Eusebius Caesar. *Praeparat. Evang.*, lib. 14, cp. 14, ibid. 21, 1251; Tertullianus *Adversus Marcionem*, lib. 1, cp. 13, (P. L. 2, 260); *De Anima*, cp. 5, ibid. col. 653; Lactantius *Divinae Institut.*, lib. 2, cp. 10, ibid. 6, 309; S. Augustinus *De Civitate Dei*, lib. 6, cp. 5, ibid. 41, 181; Aristot. *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 3, t. 2, pag. 486; Diog. Laertius op. cit. lib. 9, pag. 364.

8) Cf. *De Generatione Deorum*, vr. 116. 9) Cf. Aristot. *Physic.*, lib. 3, cp. 4, t. 1, pag. 213. Forsitan ii sunt qui posuerunt quiddam mixti ex aqua et igne ut *Reginus Hippus*, vel inter aerem et aquam, ut *Anaximander Milesius*, mutata de atomis sententia. Cf. Conimbricenses *Physic.*, lib. 1, cp. 7, q. 1, a. 2. 10) Cf. S. Clemens *Recognitiones*, lib. 8, (P. G. 1, 1378); S. Augustinus *De Civitate Dei*, lib. 8, cp. 2, (P. L. 41, 226); Aristot. *Physic.*, lib. 1, cp. 4, t. 1, pag. 199; *De Coelo*, lib. 3, cp. 3-4, ibid. pag. 194-195; Diog. Laertius op. cit. lib. 2, pag. 62-65. 11) Cf. S. Clemens *Recognitiones*, lib. 8, (P. G. 1, 1378); Eusebius Caesar. *Praeparat. Evang.*, lib. 1, cp. 8, ibid. 21, 55; Tertullianus *Adversus Marcionem*, lib. 1, cp. 13, (P. L. 2, 260); S. Augustinus *De Civitate Dei*, lib. 8, cp. 2, ibid. 41, 226; Aristot. *Physic.*, lib. 1, cp. 4, t. 1, pag. 199.

12) Cf. Eusebius Caesar. *Praeparat. Evang.*, lib. 14, cp. 14, (P. G. 21, 1231); Aristot. *De Coelo*, lib. 3, cp. 4, t. 1, pag. 213; *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 4, t. 2, pag. 487; Hesychius Milesius *De Iis Qui Eruditionis Fama Claruere*, pag. 25-26; Diog. Laertius op. cit. lib. 9, pag. 378-379. 13) Cf. S. Clemens *Recognitiones*, lib. 8, (P. G. 1, 1378); Eusebius Caesar. *Praeparat. Evang.*, lib. 1, cp. 8, ibid. 21, 59; lib. 14, cp. 14, ibid. col. 1231; Aristot. *De Coelo*, lib. 3, cp. 3, t. 1, pag. 294; *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 4, t. 2, pag. 487; Diog. Laertius op. cit. lib. 8, pag. 355;

14) Cf. Galenus *In Libros Hippocratis Commentarii*, *De Elementis*, lib. 1, cp. 1, t. 1, f. 2-5.

et terram[15]. Pythagoras numeros posuit[16]: parem et imparem; Plato vero, si Aristoteli credendum est, tria posuit[17]: parvum, magnum et νοῦν[18] sive ideam. Aristoteles tandem in principiorum tractatu laborem et operam maximam consumpsit.

Contra hos Aristoteles posuit tria principia rerum: *materiam, formam* et *privationem;*

Docuit enim naturalium rerum non unicum esse principium vel finitum vel infinitum, contra Parmenidem et Melissum[19]; nec esse infinita principia, contra Anaximandrum et alios[20]; non chaos et ὁμοιομεράς[21], contra Anaxagoram; non atomos, contra Democritum et Leucippum[22]; non elementa haec sensibilia, contra Empedoclem[23]; non numeros atque figuras, contra Pythagoram[24]; nec tandem magnum, parvum et ideas, contra Platonem[25]; sed oportere principia esse finita, permanentia, ingenita et ab aliis et a seinvicem, ut ex iis omnia generentur, esse contraria; et tandem nec plura nec pauciora quam tria, nempe: materiam, formam et huic oppositam privationem[26]; praeter haec vero dari efficiens et finale principium omnium natura constantium. Quindecim has theses de naturalium rerum principiis opere verbosissimo Aristoteles docuit[27]. Aristoteles ergo contra

15) Cf. Aristot. *Physic.*, lib. 1, cp. 4, t. 1, pag. 199-200; lib. 3, cp. 4, pag. 213; *De Coelo*, lib. 3, cp. 3-5. ibid. pag. 294-296; *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 3. 5, t. 2, pag. 485-486. 488. 16) Cf. S. Clemens *Recognitiones*, lib. 8, (P G. 1, 1378); S. Augustinus *De Civitate Dei*, lib. 6, cp. 5, (P. L. 41, 181); Aristot. *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 5-6, t. 2, pag. 488-489; lib. 12, cp. 6-8, pag. 569-573; lib. 13, cp. 3, pag. 577-578; Diog. Laertius op. cit. lib. 8, pag. 336. 17) Cf. *Physic.*, lib. 1, cp. 4, t. 1, pag. 199; *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 6, t. 2, pag. 489. 18) Ms.: *Unum.* 19) Cf. *Physic.*, lib. 3, cp. 3, t. 1, pag. 198-199; *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 7, t. 2, pag. 490-493. 20) Cf. *Physic.*, lib. 3, cp. 4, t. 1, pag. 199; *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 7, t. 2, pag. 490- 493. 21) Ms.: *Homoeomerias* et infra; cf. not. 10 huius *Dissert.* 22) Cf. *De Coelo*, lib. 3, cp. 3-5, t. 1, pag. 294-296; *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 4. 7, t. 2, pag. 487. 490-493. 23) Cf. *Physic.*, lib. 1, cp. 4, t. 1, pag. 199-200; *De Coelo*, lib. 3, cp. 3-5, ibid. pag. 294-296; *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 7, t. 2, pag. 490-493. 24) Cf. *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 7, t. 2, pag. 491-492; lib. 13, cp. 3, pag. 577-578. 25) Cf. *Physic.*, lib. 1, cp. 4, t. 1, pag. 199-200; *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 7, t. 2, pag. 490-493. 26) Ms.: *Materia, forma et huic opposita privatio.* 27) Cf. *Physic.*, lib. 1, cp. 5-7, t. 1, pag. 200-202; *Metaphysic.*, lib. 7, cp. 7-8, t. 2, pag. 526-528; lib. 12, cp. 3, pag. 559-560. In his locis Aristoteles statuit tria esse principia rerum materialium, quae ἀρχάς nominat: *materiam, formam* et *privationem;* elementa vero quattuor, στοιχεῖα appellata: *ignem, aquam, terram,* et *aerem.* Elementum autem ab eodem dicitur « id ex quo componitur, primo inexistente indivisibili specie in aliam speciem » (*Metaphysic.*, lib. 5, cp. 3, t. 2, pag. 510), seu, ut *Conimbricenses* explicant: « Elementum est id ex quo aliquid ita constat, ut nihil prius in eius compositione, quodque ita se habet ut in aliam rem specie distinctam secari nequeat ». *De Generat. et Corrupt.*, lib. 2, cp. 3, q. 1, a. 1. Ad haec quattuor elementa, ut ipsemet *Aristoteles* docet, pertinent etiam quattuor copulae, idest *calidum et siccum, calidum et humidum, frigidum et siccum, frigidum et humidum.* Cf. *De Coelo*, lib. 4, cp. 5, t. 1, pag. 303; *De Generat. et Corrupt.*, lib. 2, cp. 3, ibid. pag. 318. Non abs re tamen erit adducere hic, illustrationis causa, quae cl. *H. Schaaf* scripsit circa hanc opinionem Aristotelis de principiis rerum. « Proprius auctor systematis de materia et forma est, uti vidimus, *Aristoteles* (appellatur haec doctrina systema Aristotelis, vel systema peripate-

omnes antiquiores philosophos, tria naturalium rerum principia ponit: materiam, formam et privationem.

Moyses vero duo ponit: coelum, tanquam principium activum, et terram, tanquam principium passivum.

M o y s e s vero, theosophiae parens philosophorumque omnium alpha, duo tantum principia ponit, coelum et terram, dicens: בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ׃ [28]: *In principium creavit Deus coelum et terram. In principium*, inquam, naturalium omnium rerum, de quibus postmodum disserit, de plantarum, animalium et hominum productione verba faciens [29], coelum statuit tanquam activum principium patremque naturae, terram vero tanquam passivum et matrem. Nunc, quaeso, videamus utra sint veriora principia, Moysis an Aristotelis.

Et haec principia finita sunt, permanentia, ingenita, simplicia, contraria, ex quibus omnia, quae in

Et quidem si verae sunt aristotelicae theses, vera necesse est esse Moysis principia. Non enim unum tantum, cum Parmenide, Moyses principium posuit, nec infinita, cum aliis; non chaos et ὁμοιομεράς, cum Anaxagora; non atomos, cum Democrito et Leucippo; non elementa, cum Empedocle; non mathemata, numeros aut figuras, cum Pythagora;

ticum, vel systema scholasticum, vel Hylemorphismus). Retinebatur haec doctrina in *schola peripatetica* ab Aristotele fundata, quae remansit usque ad annum 200 p. Chr., licet variis modis modificata. Praeclara commentaria in Aristotelis opera etiam postea adhuc scripserunt *Alexander de Aphrodisia* (c. 200 p. Chr.), *Themistius* (saec. 4), *Philoponus* et *Simplicius* (saec. 6). Ex *Patribus Ecclesiae*, qui generatim operam non dederunt istis studiis cum revelatione parum connexis, Aristotelis sententia fere solum a *S. Ambrosio* et *S. Augustino* commemoratur. *S. Ambrosius* notat: «Ponebant alii quoque, ut Aristoteles cum suis disputandum putavit, duo principia, materiam et speciem et tertium cum iis, quod operatorium dicitur, cui competeret competenter efficere» (P. L. 14, 123. B: Ecce iam non amplius scitur, principium agendi cum forma coincidere). *S. Augustinus*, praesertim in Confess. (XII, c. 6 et 7), proprium conceptum materiae primae praeclare evolvit. Plures Patres de materia *informi* et *inordinata* loquentes intelligunt solum chaos, quod erat initio post creationem. Ex *Pseudo-Dionysio Areopagita* et *Boethio* primi scholastici (ante saec. XII) vagam quamdam istius doctrinae notitiam acceperunt. *Philosophi Arabici* (*Avicenna* + 1037 et *Averroes* + 1198) commentaria in Aristotelem scripserunt et generatim eius doctrinam de materia et forma acceptarunt, tamen non sine magnis mutationibus. Saeculo demum XIII opera Aristotelis per Arabes «ope virorum doctorum in Hispania» in occidenti nota facta sunt (Universitas Parisiensis erat tunc centrum scientiarum) et doctrina de materia et forma, saltem quoad principia fundamentalia, ab omnibus scholasticis (*Alex. Halensi*, *Alberto M.*, *S. Thoma*, *S. Bonaventura*, *Scoto* ...) semper defendebatur. Tempore vero reformationis deseri et impugnari coepit. Initio vero saec. XVII per physicos (*Galilaei*, *Baconem*) et philosophos (*Cartesium*, etc.) plane reprimebatur et ad finem saec. XVIII et prima parte saec. XIX oblivioni erat tradita. Medio vero saec. praeterlapso iterum revixit (*Sanseverino*, *Zigliara*, *Liberatore*, *Kleutgen*...), hodie *generatim in scholis catholicis propugnatur*, quin tamen ullo modo consensus inter ipsos catholicos hac in quaestione adsit. Plures doctrinam scholasticam reiiciunt (uti *Hagemann*, *Hertling*, *Bäumker*, recentius (1903) *Schmoeller: Doctrina scholastica de materia et forma*, et (1904) *J. Laminne: Les quatre élements. Histoire d' une Hypothèse*). Alii eam plus minusve modificandam censent» *Institutiones Cosmologiae*, Part. 2, a. 2, n. 359, nota 2, pag. 288-289.

28) Ms.: *Berescit bara Elohim eth hascamain veeth haares.*

29) Cf. Gn 1, 1-2, 1 sqq.

natura sunt, generantur;

nec magnum, parvum et ideas, cum Platone. Sed finita principia posuit duo, nempe: coelum et terram; permanentia: permanent enim semper haec; non ex aliis generata: neque enim haec, uti mixta, ex aliis elementis constant, cum sint simplicia corpora; neque ex seinvicem: non enim coelum ex terra aut ex coelo terra constat; ex his omnia fiunt, ut sensus ipse demonstrat, et si qua est in substantia contrarietas, haec maxime contraria sunt; illud enim semper mobile, haec perpetuo stabilis; illud translucidissimum, haec opacissima; illud diei parens, haec noctis mater; illud lucis domicilium, haec tenebrarum nidus; illud caloris fons et origo, haec frigoris radix et causa. Ex ipsismet ergo aristotelicis thesibus verissima sunt quae Moyses rerum principia posuit.

ut etiam sensus ipse demonstrat;

Sensus etiam ipse manifeste demonstrat ex primis hisce corporibus universa oriri; nihil enim terra nisi coeli influxibus fecundata producit, quemadmodum nec femina parere, nisi concepto virili semine potest. Sicut ergo geniti animalis uterque parens est auctor, ita coelum et terra principium sunt rerum natura constantium. Quae autem Aristoteles principia posuit: materiam, formam atque privationem, inspecta principii ratione, nec nomine quidem hoc digna mihi videntur, eo absum ut principia rerum vere adiudicem; nec absque ratione quidem, praecipuis iis thesibus oculate inspectis, quas ipse de principiis tradidit.

dum e contra ea, quae Aristoteles posuit, principii rationem non habent.

Sunt autem praecipuae tres; prima quidem: oportere principia esse contraria; altera: oportere principia esse ingenita et ab aliis et a seinvicem; tertia: ut ex his generentur et fiant quaecumque natura fiunt. At quî fieri potest ut, quaecumque fiunt entia, ex contrariis fiant? Quaecumque enim generantur entia, substantia sunt: substantiae autem, ut docuit ipse [30], nihil est contrarium; prima autem contrarietas in qualitate sita est. Cum item substantiarum principia oporteat esse substantiam, quomodo erunt contraria? Quae enim, secundum ipsius doctrinam, contraria sunt, accidentia sunt; ut autem substantiae principia accidentia sint, minime convenit [31]. Magis ergo similia dicenda sunt naturalium rerum principia, quam contraria;

30) Cf. *Physic.*, lib. 1, cp. 6, t. 1, pag. 201; *Metaphysic.*, lib. 14, cp. 1, t. 2, pag. 575.
31) Cf. *Categoriae, De Substantia*, t. 1, pag. 9-11; S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 115, a. 1, c.; *Contra Gent.*, lib. 3, cp. 69; Conimbricenses *Physic.*, lib. 2, cp. 7, q. 18, a. 3.

ex similibus enim similia procreantur, calidum ex calido, homo ex homine, substantia ex substantia.

Sed inquiunt [32] reperiri in substantia corporeum et incorporeum, animatum et inanime, sensibile et insensibile, rationale et irrationale. Utique; sed corporea substantia non ex incorporea fit, nec rationale ex irrationali, homo ex bruto. Dicit autem Aristoteles contraria principia privationem et formam [33]. Sed si privatio nihil est, cur censeri debet naturalium rerum principium, non ens entis principium? Num mors est principium vitae, caecitas visus, nox diei, quies motus? Ante motum ergo fuit aliquando quies: quomodo ergo motum dixit aeternum? Sed ne ludere cum Aristotele videamur, agamus rationibus. Privatio profecto nihil est, suapte natura, non ens est; omne enim ens vel substantia, vel accidens est: accidens autem substantiae principium esse non potest: quare privatio haec, quae principium ponitur, accidens non erit. Substantia autem omnis, secundum ipsum, vel materia est, vel forma, vel ex his constans: privatio autem nullum horum.

Magis probatur falsam esse Aristotelis sententiam, qui privationem ponit inter principia rerum.

Aiunt autem eius sectatores [34] privationem principium esse non genitae rei, sed generationis; nec puram negationem dicere, sed formae privationem cum aptitudine et dispositione ad eam. Sed si non naturalium rerum, sed generationis principia Aristoteles ponit, ponenda inter principia erant locus, tempus, motus et qualitates primariae; absque his enim non fit naturalis generatio. Cur ergo privationem posuit, quae nihilo necessaria est, non autem haec, quae vel maxime generationi necessaria sunt? Et si privatio aptitudinem dicit dispositionemque, quidnam materiae ipsius, quam dicunt, potentia erit? Privatio ergo nec aptitudo, nec dispositio subiecti est: haec enim materiei potentia est, quare privatio nihil est suapte natura, nisi non ens. Nihil aliud ergo est dicere privationem principium esse naturalium entium, quam mortem esse vitae principium, caecitatem visus, obscuritatem lucis, frigus caloris, non ens entis.

Privatio enim nihil est nec rationem entis habet;

Quod si quis dicat necesse esse hanc ponere privationem tanquam terminum, a quo incipit generatio, quia omne, quod fit, non

atqui ex nihilo nihil fit:

32) Cf. Aristot. *Categoriae, De Substantia*, t. 1, pag. 9-10. 33) Cf. *Physic.*, lib. 1, cp. 6-7, ibid. pag. 201-202. 34) Cf. S. Thomas *Opusc. De principiis naturae; QQ. DD. De Potentia*, q. 4.

est, si enim esset non fieret, quod fit album non est album et quod construitur non est constructum, aiam et ego : sed quid tum ? Ergo privatio est principium entium naturalium ? Quomodo sequitur ? Quid est principium ? Plane etiam sine loco, motu, tempore, virtutibus et qualitatibus, imo etiam substantiis elementorum, impossibile est aliquid fieri : cur ergo et haec non ponuntur principia ? Haec enim entia vere sunt, illa vero non ens et suapte natura nihil. Quod si una eademque forma sui absentia vel praesentia sufficiens est facere mutationem, ut quid multiplicantur principia et non ens ponitur entis naturalis principium, cum profecto ex nihilo nihil naturaliter fiat ? Quod si ideo principium statuenda privatio est, quia formae absentia necessaria est ut generatio fiat, tunc plane poterit ex quolibet quodlibet fieri, ex petra homo, ex trunco vitulus, ex ove leo nascetur. Cur enim magis homo ex hac, quam ex illa privatione ? Si ratione dispositionis quis dicat : haec ergo magis quam privatio in triumviratu principiorum statuenda erat ; haec enim necessario requiritur, illa vero minime, cum forma sui praesentia et absentia possit facere mutationem. Sed ut hydrigena haec Noctis et Acherontis filia[35] e principatus solio deiiciatur in tartara acheruntigenisque dedicetur, ut talpa tenebrarum amica, principii, quaeso, rationem inspiciamus dicamusque quidnam suopte iure suapteque natura principium esse censendum sit.

ergo privatio principium rerum non est.

Et quidem Aristoteles, cum in principiorum tractatu, in *Physicis* et *Metaphysicis*, multos integros etiam occupaverit libros[36], principii tamen rationem minime docuit, nisi quod dixit principia oportere esse contraria, permanentia, ingenita, et ut ex his fiant, quae natura fiunt. Quid vero principium sit minime tradidit, sed nominis tantum significata visus est tradidisse, quod principium sit primum unde aliquid vel est, vel fit, vel cognoscitur, horum vero alia inexistere et alia extra esse, et ideo natura principium dici et elementum et ratiocinium et electio et essentia, et id cuius gratia. Causas igitur physicas omnes : materiam, formam, agentem, finem ; et metaphysicas : essentias, genera, species, differentias, accidentia propria et tandem artes omnes principii nomine et significato complexus est[37], defini-

Aristoteles multa scripsit de principiis rerum, sed nunquam veram rationem principii tradidit.

35) Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 3, cp. 12, pag. 195-198. 36) Cf. *Physic.*, lib. 1, cp. 1 sqq. t. 1, pag. 196 sqq.; *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 1 sqq., t. 2, pag. 483-493; lib. 5, cp. 1 sqq. pag. 509 sqq. 37) Cf. *Physic.*, lib. 1, cp. 5, t. 1, pag. 200-202; *De Generat. et Corrupt.*,

tionem vero nequaquam dedit. Rationem ergo principii nobis indagandam reliquit.

Nobis itaque principium ens aliquod omnino esse necessario asserendum videtur ; quod enim nihil est nulli potest esse causa essendi, ex nihilo enim nihil penitus suapte natura generatur. Principium ergo quod ceteris est causa essendi, et ipsum aliquid esse necesse est, nec tamen in accidentium serie computandum. Quod enim suapte natura posterius est, priori non potest esse causa essendi ; quae autem generantur entia et natura fiunt, substantia sunt : mineralia, plantae, animalia, homines. Horum ergo principia unde fiunt, substantia necesse est esse, non accidens ; alioquin ex accidenti substantia fieret essetque posterius essendi causa priori ; accidens enim substantia quid posterius est, illi enim tanquam basi et fundamento innititur, absque cuius ope neutiquam consistere suapte natura potest. Principium ergo naturalium entium substantia est. Substantia autem omnis vel corporea, vel incorporea est : corpoream autem substantiam ex incorporeo spiritu generari non contingit : similia enim ex similibus generantur, homo ex homine, animal ex animali. Inquirimus autem materialia intraneaque principia, non autem extrinseca. Domus autem corporea non ex architecti cogitationibus, aut ex aere, sed ex corporea utique materia, lapidibus lignisque construitur. Corporeorum igitur entium, quae natura fiunt, corporea oportet esse principia.

Ad rationem principii requiritur ut sit aliquod ens, et quidem non accidens, sed substantia corporea

Principium corporea substantia est, sed non ex aliis genita ; si enim ex aliis facta genitaque essent principia, non utique haec, sed ea, ex quibus confecta essent, dicenda forent principia. Naturalium itaque entium principia naturali generatione minime facta necesse est esse : alioquin principiorum essent principia essetque in infinitum abire. Permanentia item incorruptibiliaque oportet esse rerum principia ; his enim destructis, deficeret omnis natura rerum : semper itaque manere oportet principia. Aliis autem, quae natura constant factaque sunt, esse opus est causa essendi, alioquin principia minime essent. Ut ergo principia sint his, quorum sunt principia, necesse est ut illud dent esse, quo suapte natura constant. Naturalia vero omnia materia formaque constant ; hoc enim est naturalium esse materia

et naturaliter ingenita,

permanens et incorruptibilis, et causa essendi rerum naturalium.

lib. 2, cp. 2-5, ibid. pag. 317-320; *Metaphysic.*, lib. 5, cp. 1-4, t. 2, pag. 509-511; lib. 7, cp. 7-8, pag. 526-528; lib. 12, cp. 3, pag. 559-560.

formaque constare; hinc naturalia per haec definiuntur. Haec ergo non principia sunt naturalium entium, si natura principii ratioque inspiciatur, sed ex principiis ortum emanationemque habere necesse est. Sapientissime ergo solertissimeque Moyses, philosophiae parens, coelum et terram naturalium entium principia posuit. Haec enim entia sunt, substantia sunt et substantia quidem corporea, naturaliter ingenita; genitis vero, quae natura fiunt, causa essendi, ut sensus ipse luce clarius splendidiusque demonstrat.

Haec requisita conveniunt coelo et terrae a Moyse statutis ut principia rerum,

Ex his vero liquet non posse privationem naturalium entium inter principia statui; non enim est privatio ens, substantia corporea, ingenita et dans genitis esse, cum nihil sit. Liquet item nec reliqua duo Aristotelis principia posita digna hoc nomine esse; non enim haec substantiae corporeae, ingenitae permanentesque sunt: corpora enim una cum animabus plantarum et animalium, quis non videat generari atque corrumpi, nec semper eadem permanere?

non autem privationi ab Aristotele positae.

Sed Aristoteles materiam primam ponit et formam principia rerum, non secundam materiam. Sed probemus haec ad ignem incudemque veritatis videamusque an aurum argentumve sint, an aurichalcum et plumbum. Formam dicit alterum esse naturalium rerum principium. Dico: quam formam? metaphysicam, ad instar idearum Platonis, mathematicam, uti figurae numerique Pythagorae, an physicam? Physica plane physicarum rerum. Sed physicarum rerum non una est forma; alia enim accidentalis est, alia substantialis. Substantiales item formae multae; quaedam enim simplex est simplicium corporum elementorum et coeli: alia mineralium est, lapidum ceterorumque inanimorum: alia plantarum viventium: alia animalium: alia tandem hominum intellectu praedita. Quae harum erit principium naturalium entium? Si accidentalis: ex forma igitur et subiecto non fit unumquodque secundum substantiam. Si substantialis: quaenam? prima elementorum? ultima hominis? an aliqua mediarum? Si extrema aut mediae: non omnia fiunt ex his; non enim omnia naturalia entia sunt vel homines vel animalia, plantae vel lapides.

Neque forma physica, sive accidentalis sive substantialis, habet rationem principii,

Sunt postmodum hae omnes genitae in subiectis: principia vero oportet esse ingenita. Si vero prima simplex, quaero: coeli, an elementorum? aut cuius elementi? Non enim una eademque est elementorum omnium forma: eadem enim omnium esset natura, nec

quia nec ingenita est, nec anterior omnibus mundi elementis.

sibi essent contraria. Quod si elementorum formae omnium, quae natura gignuntur, substantiales sunt formae, eo quod ex elementis his fiant quaecumque fiunt, satius erat elementa ponere rerum principia, non autem materiam et formam, elementa vero et ipsa ex his constant. Anterior ergo danda est forma, quae prima sit, ingenita, ex qua prima et ingenita cum prima ingenitaque materia fiant quaecumque fiunt; anterior vero forma minime datur. Quaenam haec igitur erit rerum principium?

Dato quod una eademque forma esset omnium rerum principium, inter rerum naturas substantialis differentia non existeret.

Dein vero quaecumque unam eandemque formam substantialem habent, non differunt secundum substantiam; si enim differrent, non unam eandemque naturam haberent. At si elementorum substantiales formae omnium natura constantium, quae gignuntur, rerum substantiales sunt formae, quaecumque natura constant, neque ab elementis neque a seinvicem differrent, non lapides a metallis, non haec a plantis, vel haec ab animalibus substantia differrent. Quod si vel sensibus manifestissima horum differentia discrimenque percipimus: non ergo ex horum formis et subiecto fiunt secundum substantiam quaecumque fiunt.

Item nec forma metaphysica, sive specifica sive generica, potest habere rationem principii,

Sed inquit peripatus [38] formam in genere principium esse rerum. Sed dico: quidnam beata haec forma in genere est? Aliqua ne ex ideis Platonis in aere, vel coelo ficta? Sed forte erit aliqua universalium metaphysicarumque formarum, quae primarum substantiarum dicuntur formae totius. Sed quaenam erit? Specifica hominis, leonis, bovis? an generica animalis? an universalior animati? an superior corporis? an tandem universalissima generalissimaque substantia? Forte haec erit; haec enim prima est et ingenita. Sed profecto haec metaphysica est, non physica forma: insensibilis, non sensibilis: universalis, non particularis. Sensibilium autem et particularium rerum sensibiles particularesque [39] necessum est formas esse; naturalia vero entia, sensibilia utique et particularia, sunt ortui interituique obnoxia.

primo, quia sensibilium et particularium rerum necesse est formas esse sensibiles et particulares;

Quod si una universalis omnium substantialis est forma, quomodo differrent? Si nullo modo: omnia ergo unum ens, non multa; si aliquo: non ergo ex forma hac et subiecto omnia secundum substantiam fiunt. Quod si eatenus forma in principiorum triumviratu ponatur quatenus

secundo, quia si ponatur quaedam forma generica, non haberetur

38) Cf. S. Thomas *Metaph.*, lib. 7, lect. 7; *QQ. DD. De Potentia*, q. 3, a. 8; *De Anima*, a. 6; *Opusc. De principiis naturae.* 39) Ms.: *Particulasqne.*

Inter res differentia; si autem specifica, non esset ingenita, incorruptibilis et permanens.

omne ens naturale ex materia aliqua formaque constat, plane omnes hae formae genitae sunt, uti sigilli impressio in cera, forma vasis in auro, figura Caesaris in aere aut marmore, forma ignis in ligno. Principia prima oportet esse et ingenita semperque permanentia; formae vero hae generantur et corrumpuntur.

Insuper nec ipsemet Aristoteles clare explicat quid sit haec forma.

Deinde forma haec naturalium rerum principium quidnam est entium? Substantia? accidens? an quippiam artificiale? Cum de forma Aristoteles locutus est exempla quidem nonnisi de artificialibus, amusici et musici, figurati et infigurati; vel accidentalibus attulit formis, non albi et albi, sanitatis et aegritudinis, caloris et frigoris, humidi et sicci [40]. Statuit tamen ipse formam esse substantiam una cum materia atque composito, magisque substantiam esse, quam haec. Eam item definit naturam esse cum materia eamque magis naturam esse, quae actu dat esse rei; naturam vero esse principium motus et quietis, motus autem non activi, quo possit movere, sed passivi, quo moveri naturalia possunt [41]. Sed probemus haec ad ignem veritatis videamusque an aurum vel plumbum sint quae de forma principio naturali traduntur. Forma est substantia. Quid est substantia? Quod per se subsistit ens. Sed naturales formae non possunt per se subsistere absque materia: forma igitur non est substantia, sed magis accidens; possunt enim adesse et abesse, praeter subiecti, nempe materiae primae corruptionem; materia enim ingenerabilis et incorruptibilis est. Vel igitur forma substantia non est, vel substantiae et accidentis alia assignanda est ratio. Formae enim competit non substantiae ratio, sed accidentis; aliam vero nullibi assignavit. Quod si per rationem substantiae forma non est substantia, sed magis accidens: quomodo magis substantia est, quam materia et compositum? Quod non est calidum est igne calidius? Quod non est substantia est magis substantia eo quod vere substantia est? Sed age, sit forma substantia: quomodo magis substantia, quam materia? Materia plane causa est ut sit forma, sine ea enim esse non potest genita naturaliter forma; materia vero suapte natura potest, nec causa est materiae forma; prior enim natura est: prius autem a posteriori non pendet.

Imo cum forma haec non possit existere sine materia, videtur esse potius accidens quam substantia,

et non materia a forma, sed forma a materia pendere.

Deinde substantia magis et minus non suscipit: quomodo ergo

40) Cf. *Physic.*, lib. 1, cp. 7, t. 1, pag. 201-202. 41) Cf. ibid. et lib. 2, cp. 2, pag. 204-205.

forma magis substantia? Quod si magis illud perfectionem significat, perfectionem hanc forma unde habet? A seipsa, a composito, an a materia? Si a materia: illa ergo perfectior forma, tanquam causa perfectionem communicans; si a composito: istud forma erit perfectius effectusque causae tribuet perfectionem; forma enim causa compositi est; a seipsa vero habere non potest, quia non a seipsa habet esse, sed a materia et in materia. Quod si magis ens dicatur, quia materiae perfectio quaedam et pulcritudo est, non est comparanda materiae; non enim calor dicitur calidior calido, nec perfectio perfecto perfectior. Si igitur forma materiei perfectio et pulcritudo est, non utique ea perfectior pulcriorque dicenda venit, ut ratione hac magis ens substantiaque dicatur. Quod si natura recte definita est principium motus et quietis, motus, inquam, passivi quatenus actus est mobilis, forma profecto natura minime erit; multa enim oculis suapte natura moveri videmus, gravia elementa deorsum, levia sursum, animalia haec quidem progredi, illa volare, alia in aquis natare. Haec, inquam, moventur: sed quodnam est principium movens? Extrinsecus plane nullum videmus: ergo intrinsecum, materia vel forma. Sed materia movetur, non movet; principium est non movens, sed mobile: forma igitur est principium movens: forma ergo non est natura, si recte definita natura est, principium motus quatenus actus est mobilis, principium, inquam, moveri, quo naturalia moveri possunt; forma autem principium est actionis non passionis: non ergo natura sic definita. Quomodo ergo magis natura quam materia, quae vere, iuxta datam rationem, natura est?

Nec natura dici potest haec forma, quia natura principium est motus passivi, forma haec autem principium est motus activi.

Restat igitur ut dicamus nos vere nescire quidnam sit beata ista forma, beatum istud principium, si quod sit ens vel nullum, substantia vel accidens, corpus vel spiritus. Si enim ens aliquod est, vel substantia erit vel accidens; istud vero non potest substantiae principium statui, posterius enim est; substantia vero omnis vel corporea vel incorporea est: si incorporeus spiritus forma est, quomodo dat esse corporeum? Frigida quae sunt, calefacere minime possunt, vel nigra ac tenebrosa dealbare clarumque reddere. Si vero corporea, omne corpus compositum est ex materia et forma: dabitur ergo processus in infinitum. Quod si eam divisionem perfectarum substantiarum esse quis dicat, materiam vero et formam imperfectas esse substantias: cur ergo forma ponitur composito magis substantia, et pars suo integro suapte natura

Quidquid ergo dicatur ad explicandum naturam huius formae, nunquam cognosci poterit quid sit.

perfectior? Si composito perfectior substantia est, cadere necesse est sub alterutra divisionis substantiae parte.

quinimo semper multis absurdis occurrendum erit.

Quod si quis dicat incorpoream esse suapte natura et incompositam, alioquin principiorum essent principia, corpoream vero ratione materiae: profecto etiam materia corpus non est, alioquin et ipsa esset composita idemque sequeretur absurdum. Quod si utraque, tum forma tum materia, suapte natura incorporea sunt: corpus ergo ex incorporeis constat. Unde ergo oritur corporeitas ipsius compositi, si utrumque principium incorporeum est? Forte ab efficiente. Sed dico: corporeitatem hanc, qua a spiritibus corpora substantialiter differunt, efficiens unde educit? Ex nihilo, an ex aliquo? Si ex nihilo: quomodo fit substantia ex nihilo? Si ex aliquo: quidnam illud? Potentia materiae. Sed haec [42], dico, quid est? Aliquid, an nihil? Si nihil actu, sed potentia: aliquid potentiae igitur erit potentia, et ibitur in infinitum; vel tandem substantia naturaliter ex nihilo fiet. Si aliquid actu, quid illud? Substantia an accidens? Si accidens: quomodo ex accidente substantia? Si vero substantia actu, quaeram: an corporea, vel incorporea? Si corpus compositum, quid erit? Si non corpus, tunc corpora incorporea spiritualique materia constabunt eruntque non corpora.

Item nec materia adnumerari potest inter principia rerum naturalium.

Hinc etiam tertii principii aristotelici vanitas elucet, nempe ipsius materiae. Quidnam enim entium beata haec simplex incorporeaque materia est, ex qua omnia fiunt? Astruit peripatus materiam duplicem: primam et secundam. Prima est quam primo vestiunt substantiales elementorum formae; secunda vero ex qua multiplici mixta generantur, massa videlicet elementorum, terrae, aquae, aeris et ignis [43]. Prima autem quidnam sit vix mente percipitur; A r i s t o t e l e s enim, eam definiens, esse dixit « nec quid, nec quale, nec quantum, nec quippiam eorum quae sunt » [44], sed esse puram potentiam et subiectum primum, ex quo omnia fiunt et in quod ultimo resolvuntur [45]. Incognitam vero hanc imperceptibilemque materiam exemplo tantummodo artis, non naturae, probavit; non enim ars nisi circa subiectum aliquod operatur et ex subiecto aliquo fieri necesse est quaecumque arte fiunt;

42) Ms.: *Hanc*. 43) Cf. Aristot. *Physic.*, lib. 1, cp. 7, t. 1, pag. 201-203; *Metaphysic.*, lib. 7, cp. 7, t. 2, pag. 526-527; lib. 8, cp. 4, pag. 536-537. 44) *Metaphysic.*, lib. 7, cp. 3, t. 2, pag. 524. 45) Cf. *Physic.*, lib. 1, cp. 9, t. 1, pag. 204.

ita et in natura. At quî sequitur : in arte subiecto opus est : ergo et in natura ? Quaenam haec demonstratio ?

Non materia prima, quae purum figmentum est ab Aristotele inventum.

Peripatus vero materiam hanc primam dari multis rationibus astruit. Et primo quidem ex elementorum transmutatione, uti cum aqua[46] in aerem aut ignem convertitur. Cum enim transmutatio omnis a contrario in contrarium fiat, subiecto opus est medio, ab utraque et corrupta et genita forma distincto, cum prius fuerit sine posteriori hac, nunc autem sine illa priori ; tum quia omne ens naturale et agit et patitur : impossibile vero est ut idem secundum idem agat et patiatur : agat ergo necesse est secundum formam, patiatur vero secundum materiam. In generatione etiam et corruptione aliquid semper esse necesse est ex quo naturalia generantur, cum non fiant ex nihilo, et in quo corrupta resolvuntur, cum non in nihilum abeant entia ; et tandem quia naturalia subsistentiam habent : non autem a formis, quae subiecto, cui insint, opus habent : ergo a materia[47]. Nos vero haec omnia dabimus ; quid inde ? Datur ergo materia prima ? Quomodo sequitur ? Sufficit elementalis massa ; dantur enim et crassiora et spiritualiora : haec quidem activa, illa vero passiva magis. Quod si ad rerum generationem haec sufficit, quid illa opus est ? Et quidem universus peripatus concedit fieri naturalium quorumcumque generationem ex elementorum mixtione.

et omnino superflua ad rerum generationem,

et ad elementorum alterationem et transmutationem.

Sed materia, inquiunt, prima necessaria est ob elementorum alterationem et transmutationem ; generantur enim et corrumpuntur ad invicem : fit ex aqua aer, ex aere ignis et e contra, ex igne aer, ex aere aqua. Sed age, probemus haec ad veritatis incudem. Dantur in peripatu elementa symbola, uti aqua et aer, aer et ignis ; dantur et dissymbola, uti aqua et ignis. Si ob elementorum mutuam generationem ponenda est prima haec incorporeaque materia, ut in eam elementorum resolutio fiat, ponenda ne est ob omnium elementorum generationem symbolorum et dissymbolorum, an aliquorum tantum ? Si aliquorum : symbolorum ne an dissymbolorum? Mihi quidem non omnium videtur. Si enim humida aqua in humidum convertitur ignem, non necesse est humiditatem eius corrumpi, sed in materia augeri et perfici. Similiter, cum aer in ignem transmutatur, non necesse est in materiam priorem

46) Ms.: *Aquam.* 47) Cf. Aristot. *Physic.*, lib. 1, cp. 5-9, t. 1, pag. 200-204; *De Generat. et Corrupt.*, lib. 1, cp. 3, ibid. pag. 307-309; cp. 7, pag. 312-313.

calorem desinere, sicuti nec cum frigidum corpus calescit, dum calor intenditur, a superveniente augetur, non destruitur. Non ergo cum aer ex aqua fit, aut ignis ex aere, sola materia remanet; sed cum humiditate atque calore; quod si in horum generatione symbolae etiam qualitates corrumpantur, quomodo corrumpuntur si non habent qualitates contrarias, sed conformes et similes? Omne enim quod corrumpitur, a suo plane contrario corrumpi necesse est, non a suo simili: frigus a calore, non a frigore: calor similiter a frigore, non a calore destruitur. Quod si ad formae substantialis defectum haec abeant, profecto accidentia haec materiae magis insunt, quam formae, veluti calor in aqua ferventi. Si enim aqua suapte natura et forma frigidissima est, hic calor nonnisi materiei potest inesse. Cum ergo proprium subiectum remaneat contrariumque, a quo expellatur, non adsit, quomodo desinit esse? In symbolis ergo elementis non fit resolutio haec usque ad primam nudam materiam; remanent enim symbolae qualitates.

Magis demonstratur vanitas materiae primae.

Sed plane, ratione corporeae magnitudinis elementa omnia symbola sunt. Omnia enim corpora, quamvis istud crassius, illud subtilius, omnia tamen corpora sunt, nec unum magis aut minus corpus, quam alterum; neque enim quantitas suscipit magis et minus, nec contrarium habet, a quo destruatur. Materia ergo elementorum nunquam est nuda, nunquam desinit esse corpus; sed tunc quidem crassius, nunc vero subtilius: veluti cum aquam fieri aerem cernimus, non desinit corpus esse, sed subtilius corpus fit aliisque ab agente qualitatibus indutum. Cum ergo elementa a seinvicem generantur, vel sensibus id solum conspicimus fieri, non ex non corpore corpus, sed ex crassiore subtilius, vel ex subtiliori crassius, a suis agentibus aliis aliisque virtutibus qualitatibusque donatum. Nunquam igitur materia haec nuda, nunquam incorporea, nunquam in quavis generatione ad nudam hanc incorporeamque resolutio fit.

Imo absurditas eius positionis.

Quod si suapte natura incorporea esse quis astruat, semper tamen corporea magnitudine indutam, hoc pulcherrimum erit philosophiae dogma, ut quod suapte natura tale est, nunquam suo iure fruatur: veluti ignis, suapte natura calidus, nunquam caleat: sol lucidus, nunquam luceat: coelum mobile, nunquam moveatur: terra quiescens, semper moveatur: aqua et aer semper humidi, siccitate vero semper oppressi? Quid ergo est hoc dogma: materia suapte natura incorporea est, semper vero corporeitate formata, nunquam nuda?

Alia absurda quae exurgunt a positione materiae primae.

Deinde age, accipiamus dissymbola elementa: generantur haec a seinvicem et corrumpuntur; fiat resolutio ad primam hanc materiam: dissymbola haec elementa generantur immediate, ignis ex aqua, vel aqua ex igne, an mediante aere? Si mediate, non dissymbolum ex dissymbolo, sed symbolum ex symbolo immediate generatur; quapropter nunquam fit resolutio ad nudam materiam, remanet enim symbola qualitas. Si vero immediate forma ignis sequatur formam aquae, nullis vel qualitatibus disponentibus mediis: vel ergo materia per aliquod tempus nuda et absque omni penitus forma remanebit, vel in eodem instanti simul in eodem subiecto erunt contrariae formae ignis et aquae in materia. Generatio enim non fit in instanti; nullus enim in instanti fit motus, sed omnis in tempore.

ex quibus magis patet materiam hanc aristotelicam purum figmentum esse.

Cum item ex elemento contrario contrarium et dissymbolum generatur, prior forma, vel ante posterioris formae adventum corrumpitur, vel post, vel simul in uno eodemque instanti. Si ante: profecto mansit per tempus materia absque omni forma; si post: idem igitur subiectum simul actu erat aqua et ignis; si simul: ergo in instanti, facta simul generatio et corruptio est simulque esset aqua et non aqua, ignis et non ignis, novaque forma adveniret absque ullis dispositionibus praeparationibusque materiei. Nam si inter has contrarias formas intercessere qualitates praeparantes disponentesque materiam ad novam formam, non utique in hac generatione facta resolutio est usque ad primam materiam; antequam enim contraria haec forma materiam actuaret, iam aderant disponentes qualitates. Materia igitur aristotelica haec veluti figmentum quoddam poeticum est, tanquam alter Protheus, qui semper diversas formas figurasque assumebat [48], vel tanquam Amelitae aqua, quae nunquam in quovis vase contineri poterat [49].

Insuper prorsus ignorat peripatus cuiusnam naturae sit haec materia.

Quidnam enim sit beata haec materia, vel in qua collocanda sit categoria, mente vix percipi potest. Non enim est quid, nec quale, nec quantum, nec quippiam aliud eorum, quae sunt [50]. Substantiam tamen peripatus universus dicit. At quaenam substantia, si, suapte

48) Vates fuit praestantissimus, qui ad vitanda responsa se in variis formis vertebat modo animalium, modo arborum, etc., prout opportunius sibi videbatur. Cf. Virg. *Georg.*, lib. 4, vrr. 406-447; Ovid. *Metamorph.*, lib. 8, vrr. 730-737. 49) Cf. Pausanias *Veteris Graeciae Descriptio*, lib. 8, pag. 483-484; Natalis Comes op. cit. lib. 3, cp. 2, pag. 166. 50) Cf. not. 44 huius *Dissert.*

natura, neque corporea neque incorporea est? Si enim corpus est, quid compositum ex alio est; si vero incorporeum ens: corpora igitur incorporea materia constant; unde ergo corporeitas? A potentia materiae. Sed quidnam ista potentia? Ipsamet materia, aliquid ipsius, an nihil? Si ipsa materia: ergo et ipsa incorporea est; si aliquid ipsius: ergo composita materia est; si nihil: ex nihilo ergo fit aliquid. Nam si potentia haec est aliquod ens, vel accidens vel substantia [erit]; et si substantia: vel corporea vel incorporea; eademque absurda sequuntur.

Dici nequit materiam esse puram potentiam ad omnes formas, quia forma est magis in potentia, cum nihil sit antequam generetur.

Sed inquiunt qui peripatui sunt addicti et aristotelicissimi volunt haberi [51], materiam esse puram potentiam ad omnes formas ac ob id sui natura nullam habere formam. Sed dico: quid est materiam primam esse puram potentiam ad omnes formas? Cur sic potentia dicitur? Quia potest ab agentibus omnes recipere formas, an quia ipsa suapte natura omnes producere potest tanquam arbor fructus e sua radice? Si quia fieri agique in omnes formas suapte natura ab agentibus potest: tunc plane forma magis dicetur in potentia esse; antequam generetur enim non est, sed potest esse, quia ab agente aliquo potest produci; haec enim, antequam generetur, nonnisi in potentia est, actu enim nihil; materia vero semper aliquid actu nonnihil est.

Nec explicari potest quomodo sit in potentia ad quaslibet formas;

Deinde: prima haec materia aeque ne sui natura parata ad omnes formas est, sicut cera ad impressionem sigilli, an ad hanc quidem magis, ad illam vero minus? Si aeque: cur in hac parte recipit formam elementi huius, non illius, aut mixti huius, lapidis, metalli, plantae, animalis, et non illius? Si suapte natura maiorem dispositionem ad hanc, quam ad illam habet, et non aeque ad omnes parata est, et ob id haec pars induit formam terrae, illa vero aquae, alia aeris, aut ignis: suapte natura ergo non simplex, sed composita cum dispositionibus est, primas elementorum formas praecedentibus ad easque suscipiendas eam praeparantibus.

et quocumque modo quaeratur explicare, plurimis diffi-

Quod si diversitatis formarum ratio ad agentes causas adferatur: agentia haec, cum ex una eademque materia ad omnes suscipiendas formas aeque disposita, cum varias elementorum aut mixtorum formas in eam inducunt, nudam materiam, an aliquibus formis indutam acci-

51) Cf. Aristot. *Physic.*, lib. 1, cp. 9, t. 1, pag. 204; *De Generat. et Corrupt.*, lib. 1, cp. 5, pag. 311; S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 7, a. 6, c; q. 66, a. 1-2, c.

piunt ? Si nudam : aliquando ergo actu materia est sine omni forma ; si vero indutam variis contrariisque formis : diversas has contrariasque formas immediate ne et in instanti, an mediantibus dispositionibus et tempore inducunt ? Si in instanti et immediate : motus generatioque fit in instanti et in instanti uno materia eadem est sub contrariis substantialibus formis eritque simul aqua et ignis ; si vero mediantibus dispositionibus et tempore – alioquin immediate et in instanti ex materia fieret animal, generaretur homo – : igitur nunquam est materia incomposita etiam ante primas elementorum formas. Si vero potentia dicatur effectiva, quod possit ex seipsa omnes formas producere, erit plane non passivum, sed activum principium. Sed omne agens agit per formam : et ipsa ergo suapte natura propriam formam habebit. At oculi sensu percipimus formas omnes ab agentibus produci, uti sigilli in cera impressio, vel regis effigies in numismate, et forma ignis in ligno.

cultatibus occurrendum erit.

Tandem : cur necessarium est informem omnino esse materiam, ut omnes suscipiat formas ? Cur, inquam, si materia propriam formam haberet, posteriores supervenientes minime posset suscipere ? Num est necessum elementa item esse informia, ut possint mixtorum omnium formas suscipere ? Sed dicet quis : non manent elementa in mixto nisi potentia, idest manet eorum materia, non forma. At dicam : demonstratum ne id est non manere elementa in mixto, sicut unitates in numero, litterae et syllabae in dictione, lapides et ligna in domo ? Quanam demonstratione scitur non manere ? Quod si formae non manent, quomodo manent qualitates passionesque elementorum, caliditas, frigiditas, humiditas siccitasque in mixto ? Sensus enim has manere demonstrat ; experimur enim in mixtis tangibiles elementorum qualitates. Si igitur qualitates incorruptae manent in mixto, cur non et formae ? Et si formae non manent, undenam qualitates istae in mixto? A quo producuntur ? Non a seipsis : nihil enim generat seipsum ; non autem a materia : haec enim patitur, non agit. Si igitur nec a formis, a quo producentur ? Quomodo etiam mixta motu praedominantis elementi feruntur, uti lapides, metalla et alia id genus, si elementa non manent ? Quomodo item mixta dissoluta tandem in elementa resolvuntur ? Num in resolutione mixtorum elementa de novo generantur ? Sed a quonam generantur ? Si igitur elementa manent in mixto, ut

Insuper demonstrari nequit requiri materiam omnino informem, ut omnes recipiat formas.

Sicut enim elementa, licet non omnino informia, non impediunt formas mixtorum,

multis etiam de senatu peripatetico placet [52], nec ob id oportet esse omnino informia penitusque corporeae formae expertia : cur talem oportet esse materiam ? Si formae elementorum non impediunt mixtorum formas, cur impediet materia forma multo exilior multoque simplicior ? Nam formae quidem elementorum, praeter magnitudinem molemque corpoream, habent agentes vel patientes qualitates. Materiei vero si forma tantum corporeitatis tribuatur, multo exilior multoque tenuior erit. Cur igitur haec advenientes formas impediat, si formae elementorum nequaquam impediunt ? Plane et albus vitri color in ocularibus ob nimiam tenuitatem, et color item aquae et aeris minime visum impediunt, quin possit colores omnes percipere ; nec hominem sensu tactus maxime praeditum oportet tangibilium omnium qualitatum expertem esse, omnique calore et frigore nudatum, ut omnes has tactu percipere vereque ac inerranter de eis iudicare possit ; haec enim in homine, exiles tenuesque cum sint, sensum ab harum exacta perceptione nequaquam impediunt.

sic nec materia impediet advenientes formas, quamvis non omnino informis.

Futilis igitur, levis vanaque ea est ratio, ut ob id materiam omnino oporteat informem esse penitusque omni corporea magnitudine denudatam, quatenus in suo sinu omnes possit formas suscipere omniumque simplex subiectum ac perenne sit receptaculum. Simplex enim, tenuisque ac summe exilis forma corporeitatis id minime impedit sitque ab ea indivisibilis, nec unquam, sicut nec materia ipsa, vel generetur vel corrumpatur, sed perpetuo maneat ; facta tamen nunc quidem crassior nunc vero subtilior, modo expansior modo contractior, aliis aliisque ab agentibus induta qualitatibus, formis et figuris, veluti cera variis impressa sigillis, vel aurum in varia ab artifice efformatum vasa, eademque argilla a figulo aliis aliisque formis, figuris coloribusque induta.

Reiicienda ergo est sententia Aristotelis ponentis tria rerum naturalium principia,

Cum igitur naturalium entium vera principia ex quibus constant oporteat vere entia esse, non accidens, sed substantiam : non incorpoream, sed corpoream : non transeuntem, sed permanentem : non naturaliter genitam, sed ingenitam, entibus vero natura genitis vere causam [52a] essendi ; manifestum est aristotelica haec principia de tribunali principiorum deiicienda esse. Non enim privatio quippiam est de numero

52) De hac quaestione cf. S. Thomas *De Generatione*, lib. 1, lect. 25; lib. 2, lect. 8; *Opusc. De natura generis*, cp. 16. 52a) Ms.; *Substantia... incorporea... corporea... transiens... permanens... genita... ingenita... causa.*

entium, sed non ens ac nihil; forma autem vel substantia non est, vel si est, non tamen corporea, permanens, ingenita, uti ipsemet sensus liquido manifestat; materia vero, cum nullum ens actu statuatur, nec quid, nec quale, nec quantum, sed pura quaedam potentia, prope nihil, nunquam vel sensu cognita, vel intellectu aut imaginatione percepta. Indigne plane principatus tribunal occupat sceptrumque et coronam habet, nisi corporea substantia statuatur.

Idest *materiam, formam et privationem.*

Quapropter sapientissime Divinus Moyses, naturalium rerum duo tantum principia ponens, entia posuit per se existentia, corporea, permanentia, naturaliter ingenita et his, quae natura gignuntur entibus causa essendi, quae totum tribuant esse, dicens: *In principium creavit Deus coelum et terram.* Cui alludens ac veluti mentem eius declarans sapientissimus Salomon aiebat [53]: *Generatio praeterit, et generatio advenit; terra autem in aeternum stat. Oritur sol et occidit et ad locum suum revertitur; ibique renascens gyrat per meridiem et flectitur ad aquilonem. Lustrans universa in circuitu pergit spiritus et in circulos suos revertitur.* Rerum generationes medias statuit inter terram solemque ac coelum; ex terra enim, perpetuo immobili manente, sol coelumque universum perpetuo motum generat universa.

Sapientissime autem Moyses duo posuit principia omnium rerum naturalium,

scilicet ex *terra* immobili perpetuo manente, *coelum* perpetuo motum generat universa.

Quoniam vero terra suapte natura nihil aliud est quam arida pulvis, ex qua nil penitus eorum, quae natura gignuntur, fieri quoquo pacto potest nisi admixtione humoris: quemadmodum nec simplici ex farina, absque admixtione aquae, fiet unquam panis: nec figulus ex sicca nihilique madefacta argilla poterit unquam vas quodpiam efformare; hinc Moyses terrae, suapte natura aridissimae, aquae humorem adiungit, dicens: *Terra autem erat inanis et vacua et tenebrae erant super faciem abyssi. Abyssi* autem nomine aquarum multitudo intelligitur [54]; hinc enim sequitur: *Et spiritus Domini ferebatur super aquas* [55]. Hinc ipse Moyses ea, quae natura gignuntur, fructus coeli, terrae et abyssi appellat in benedictione Ioseph, dicens [56]: *De benedictione Domini terra eius, de pomis coeli rore atque abysso subiacente, de pomis fructuum solis ac lunae, de vertice antiquorum montium,*

Cum vero terra sit naturaliter arida, ad generationem requiritur humor aqueus.

Ideo omnia, quae natura gignuntur, ab

53) Eccle 1, 4-6. 54) Cf. S. Basilius *Hom. 2 in Hexaem.*, (P. G. 29, 38); S. Io. Chrysostomus *Hom. 3 in Gen.*, ibid. 53, 33; Severianus *De Mundi Creatione, Orat. 1*, ibid. 56, 434; S. Ambrosius *Hexaem.*, lib. 1, cp. 8, (P. L. 14, 141) 55) Gn 1, 2. Vulg.: *Et spiritus Dei*, etc.
56) Ibid. 49, 25-26. Ex hebraico.

his duobus principiis ortum habent et esse, et a Moyse dicta sunt *fructus coeli et terrae.*

de pomis collium aeternorum et de frugibus terrae, et de plenitudine eius. Fructus coeli et terrae quae natura gignuntur a Moyse dicta sunt, quia ab hisce principiis ortum habent et esse. At vero, quia terra nil penitus nisi aqueo humore disposita potest suapte natura producere, hinc etiam roris et abyssi mentionem fecit.

Aqueus autem humor non principium, sed sola dispositio est ad generationem.

Sed cuipiam forte videbitur, si aqua ad rerum generationem opus est, tria esse principia: coelum, terra et aqua: cur ergo Moyses duo tantum posuit: coelum et terram? Sed plane quae natura fiunt, non utique ex aqua generantur, sed ex terrae visceribus ortum habent. Aqueus autem humor tanquam dispositio quaedam requiritur, quemadmodum non ex aqua fieri panem dicimus, sed ex farinae aqueo humore composita dispositaque: ita vasa a figulo non ex aqua fiunt sed ex argilla aquis attemperata.

Nam aqua principium esse nequit, cum non sit ingenita, sed educta ex visceribus terrae et ex terra genita,

Terra itaque principium est ex quo entia fiunt, quae natura constant: aqua vero ad eius dispositionem requiritur. Iure ergo Moyses coelum et terram tantummodo in principia statuit; haec enim uti extrema, ita etiam simpliciter prima sunt mundi huiusce corpora. Aqua enim non primum, sed factum ex his genitumque natura est corpus, sicut et aer; horum enim manifestissima generatio est: aqua enim calore soluta in aeris tenuitatem efficitur, aer vero frigore constipatus in aquae crassitiem transit. Aqua item frigore nimio compresso in glaciem vertitur, glacies in lapidem, lapis in pulverem terramque resolvitur; unumquodque vero in id, ex quo primum genitum factumque est, suapte natura resolvitur.

in quam rursus resolvitur;

Fecit ergo Deus primo quidem duo haec corpora, coelum et terram, postea vero statim e terrae visceribus aquas eduxit. Hinc ipsemet Deus ad D. Iob ait [57]: *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens, cum ponerem nubem vestimentum eius, et caligine illud, quasi pannis infantiae, obvolverem?* Erupit ergo universum aquarum barathrum e terrae visceribus ab initio, quasi infans e matris vulva procedens, velufi nunc etiam fontes et flumina ex ipsismet terrae anfractibus oriri iugiter cernimus.

Terram vero solis calore posse in aquam liquari, quemadmodum liquantur vitra atque metalla ad ignem, quae etiam, uti plumbum et

57) 38, 8-9.

alia, in fumum aereamque tenuitatem ignis calore acta resolvuntur, quamvis hisce oculis minime intueamur, ratio tamen manifestat. Siquidem multis in terris, longe etiam a mari amotis admodumque editis, a sole fieri salem manifestum est. Neque enim alia est causa a qua id fiat, praeter terram et calorem solis; sal vero omne in aquas liquari potest. Quapropter sicut aqua calore tenuior facta transit in aerem, ita et terra in aquam, sicut et aqua ipsa frigore congelata crassaque densitate donata, rursus in terrenam substantiam vertitur.

sicut videri potest in aqua, quae actione solis educitur e terra, et postea crassa densitate donata, rursus in terrenam substantiam convertitur;

Ignis etiam is noster, sicut aquam in tenuissimos vapores convertit, ita et alia quaevis corpora, terrea quavis crassitie donata, in fluores resolvit, qui nimio frigore compressi facillime in aquam efficiuntur. Merito igitur Divinus Moyses aqueum corpus inter principia minime statuit; non enim primum est ingenitumque corpus, sed ex primis, coelo terraque, effectum, terra subministrante substantiam, coelo vero naturam et qualitates.

quod etiam videtur in actione ignis.

At vero sicut terrae aqueum humorem adiunxit e latere, ita coelo motum lucemque tribuit, quibus in terram agens entia generat: *Spiritus Domini ferebatur super aquas et dixit Deus: Fiat lux et facta est lux. Spiritus* autem nomine, ut fusius in tractatu de motu dicemus, coelum intelligit, quod statim creatum coepit suapte natura moveri; motui vero lucem statim adiunxit. Hac enim maxime, ut sensu percipimus, summopere maximeque coelum in terram agit entiaque omnia gignit. Hinc enim ait: *Et vidit Deus lucem quod esset bona* [58]. *Bona* quippe est lux ad rerum omnium, quae natura constant, generationem conservationemque; e coelo autem omnem oriri lucem hisce oculis cernimus. Lux autem haec, uti nunc, ita et tunc coeli motu circumlata diem noctemque efficiebat; ait enim: *Factum... est vespere et mane, dies unus* [59]. Ex his vero, coelo, inquam, luce motuque praedito, terra vero aqueo humore disposita, fieri omnia, quae natura constant, luce clarius cernimus vel hisce oculis testibus.

***Coeli* vero nomine intelligitur coelum perpetuo motu et luce donatum.**

Verum enimvero non sicut aqueus humor aliud quoddam ens a terrae natura distinctum est, ita lux alia est a coeli substantia, sed coelum suapte natura lucidum censendum est esse. Quod si Divinus Moyses inquit [60] quod Deus lucem appellavit diem et tenebras

58) Gn 1, 4. 59) Ibid. vr. 5. 60) Cf. ibid.

Deus creavit coelum suapte natura lucidum, quod lucidissima sua substantia diem facit,

noctem, plane nonnisi causaliter intelligendus nobis hic sermo est; non enim lux dies est, sed lucis praesentia causa diei; nec tenebrae nox, sed tenebrarum obscuritas umbraque terrae noctem efficiunt: diem vero a sola lucidissima coeli substantia fieri nulli dubium est. Apparuit ergo tunc Dei iussu lucida coeli substantia motuque coeli acta primos illos tres dies peregit.

sicut eruitur ex ipsis verbis Moysis;

Quod, etsi difficile admodum videtur id ex M o y s i verbis astruere, cum dicere videatur prius creatum fuisse coelum et postea lucem coelumque non lucidum suapte natura esse, sed translucidum atque perspicuum, ad instar aerei corporis; tamen si oculate verborum M o y s i s contextus inspiciatur, illico divina eius mens intentioque clarescent.

et creavit terram invisibilem et incompositam, opacam et tenebricosam, antequam e coelo lux illi splendesceret.

Statim enim prima illa thesi proposita: *In principio creavit Deus coelum et terram,* subintulit D i v i n u s V a t e s dixitque quod *terra . . . erat inanis et vacua,* idest, iuxta S e p t u a g i n t a I n t e r p r e t e s, *invisibilis et incomposita; et tenebrae erant super faciem abyssi.* Declarat Deus ipse ad B. I o b quaenam tenebrae istae sint, dicens: *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens, cum ponerem nubem vestimentum eius, et caligine illud, quasi pannis infantiae, obvolverem? Erant* ergo *tenebrae super faciem abyssi,* scilicet super terram et aquas ex ea factas, quia atrae nubes densaeque caligines faciem eius universam operiebant. Cum enim terra suapte natura opaca, obscura tenebricosaque sit, umbrarum tenebrarumque omnium et noctis mater, atro teterrimoque semper tenebrarum velo induta opertaque manet, nisi e coelo illi lux aliqua splendeat; tunc vero, cum ob atras nubes densasque caligines splendere ab aetheris nulla lux posset, operiebant tenebrae faciem abyssi. Sic enim tenebrae factae sunt super Aegyptum [61], non quod lux nulla esset in coelo, sed quia atrae nubes tetraeque caligines terram operiebant; sic item mortis Christi tempore *factae sunt tenebrae super universam terram* [62]; sic etiam usu evenit cum, crassis terrae vaporibus obnubilato coelo densisque nubibus atrisque obducto terraque operta caligine, obscuritas nimia nostro in hoc mundo et tenebrae fiant; postmodum vero nebulis rarefactis, vel vento dispersis, aut pluvia evacuatis, e coelo lux iterum clara fulgidaque resplendet.

Dicitur quod tenebrae operiebant terram, quia densae caligines impediebant ne lux e coelo illi splenderet,

sicut factum est super Aegyptum et tempore mortis Christi.

61) Cf. Ex 10, 21-23. 62) Mt 27, 45. Vulg.: *Tenebrae factae,* etc.

Hoc igitur dicto: *Tenebrae erant super faciem abyssi,* M o y s e s[62a] non universo mundo omnem penitus denegavit lucem, sed terrae tantummodo, quia lux coeli super eam ob nimias caligines minime splendebat. Hinc non simpliciter dixit quod tenebrae universi faciem operiebant, sed tantum quod *tenebrae erant super faciem abyssi.* Quapropter, cum postea subiunxit dixisse Deum ut fieret lux, huius lucis nomine nihil aliud intelligendum est nisi claritas quaedam coelique super terram splendor, cui tenebrarum obscuritas suapte natura opponitur. Hinc enim ait quod lucem appellavit diem et tenebras noctem quodque lucem a tenebris divisit; divisae sunt enim natura, origine, loco, tempore et actione.

Ideo non universus mundus in tenebris erat, sed terra tantum.

Neque existimandum est his verbis universitatis opificem lucem de novo creasse: creavit enim cum coelo, illi enim connaturalis lux, uti terrae opacitas obscuritasque; sed iussisse tantum ut, crassis illis vaporibus extenuatis, lux coeli suos in terram splendores effunderet. Lucidam ergo substantiam, quae universae claritatis in mundo perpetua causa est et perennis origo, principio creata est; imo haec vere primum est corpus, quod ceterorum entium principium sistitur.

Cum autem dicitur Deus lucem fecisse, non novi aliquid creasse putandus est, sed effecisse ut splendores lucis coeli in terram effunderentur.

Hinc S a l o m o n solem potius, ut sensu etiam patet, generationis principium posuit dicens: *Generatio praeterit, et generatio advenit; terra autem in aeternum stat. Oritur sol et occidit et ad locum suum revertitur; ibique renascens gyrat per meridiem et flectitur ad aquilonem.* Postmodum de coelo subiunxit: *Lustrans universa in circuitu pergit spiritus et in circulos suos revertitur.* Et ob id M o y s e s ipse in benedictione Ioseph, quae natura gignuntur appellat *fructus solis ac lunae.* Et quidem reliquum coeli corpus nonnisi ob lucidam hanc substantiam, quae naturalium omnium entium principium ponitur, a summo opifice effectum creatumque est, ut eius veluti tabernaculum domiciliumque esset. Sic enim R e g i u s V a t e s, Divino Spiritu afflatus, ait; ubi enim in *Psalmo* nos legimus[63]: *In sole posuit tabernaculum suum,* H e b r a i c a V e r i t a s habet: לַשֶּׁמֶשׁ שָׂם־אֹהֶל בָּהֶם׃[64]: *Soli posuit tabernaculum in eis,* coelis videlicet, de quibus loquebatur: *Coeli enarrant gloriam Dei et opera manuum eius*

Hinc in Scriptura sol etiam ponitur tamquam principium generationis rerum ob suam lucem et calorem.

62a) Ms.: *Hoc igitur dicto Moyses tenebrae erant,* etc.

63) 18, 6.

64) Ms.: *Lascemesc scam hoel bahem.*

annuntiat firmamentum. Quod vero Salomon ait, quod *oritur sol et occidit,* ut causa sit generationis rerum, Regius Vates, pater ipsius, cum dixisset quod Deus *in coelo posuit tabernaculum solis,* subiunxit dicens [65] : *Et ipse tanquam sponsus ... de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam ; a summo coelo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius, nec est qui se abscondat a calore eius.*

Ex quibus verbis eruitur terram et ignem prima esse duo principia rerum.

Coelesti ergo huic substantiae tria tribuuntur : lux, calor et motus, quae quidem ignis propria esse videntur ; ignis enim, ut sensu patet, suapte natura mobilis, calidus lucidusque esse videtur. Quare si igneae substantiae sol statuatur, terra et ignis prima erunt duo corpora, rerum omnium natura constantium principia constituentesque naturae. Haec enim summe contrariis qualitatibus praedita sunt ; ignis enim suapte natura mobilis, terra immobilis ; ignis natura tenuis, terra crassa ; ignis acutus, terra obtusa ; ignis calidus, terra frigida ; ignis lucidus, terra opaca ac tenebricosa ; ignis totus activus, terra vero maxime passiva.

Docuit Aristoteles solem esse sua natura frigidum;

Quaerendum nunc igitur est an sicut sol igni simillimum sese nostris sensibus offert, ita vere sit igneus suapte natura, ut Plato et universa antiquitas tenuit [66], an vero minime, ut Aristoteles cum universo suo peripatu opinatur et docet [67]. Si enim huius sententiae verum sit dogma, frustra nos cum Moyse conabimur coelum et terram naturalium entium principia causasque statuere. Operae pretium autem erit Aristotelis rationes signaque expendere, quibus solem non ignea natura constare astruere nixus est.

sed rationes, quibus hoc conatur probare, nullo fundamento fulciuntur.

Probat vero id ratione praecipue sumpta a motu ; signo vero ab albo candidoque colore. Argutatur etiam quod, si coelum universum igneum esset, inferiora omnia corpora iam pridem corrupisset. Ratio autem a motu est quod, si sol coelumque ignea natura constaret sursum, utique motu recto, non in circulum perpetuo ferretur. Supponit autem omne corpus natura mobile esse, quoniam natura est principium motus ; simplici autem corpori simplicem motum deberi ; simplex motus, is quidem rectus a medio sursum, hic vero ad medium, alius vero in

65) Ps 18, vrr. 6-7. 66) *Timaeus*, t. 3, pag. 22. 23. 40; et apud Conimbricenses *De Coelo*, lib. 2, cp. 2, q. 5, a. 1. 67) Cf. *De Coelo*, lib. 2, cp. 7, t. 1, pag. 284; *Meteorol.*, lib. 1, cp. 3, ibid. pag. 327-328; *De Mundo*, cp. 2, ibid. pag. 370.

gyrum circa medium. Et rectus quidem ad medium gravibus competit : terrae et aquae ; a medio vero sursum, levibus : aeri atque igni; coelum vero circa medium movetur. Quod si coelum sit igneum natura leve, vi in gyrum movebitur ; nullum autem violentum perpetuum. Quod si hic contra eius naturam sit motus, alius dandus est secundum naturam ; alius autem simplex non datur, nisi rectus. Naturaliter ergo movebitur vel sursum vel deorsum ; utrumque vero inconvenit. Quare motus ipse ostendit Aristoteli coelum nequaquam igneum esse, sed praeter elementa, quintam quandam substantiam natura et qualitatibus elementorum expertem [68].

Falsa est prima ratio a motu sumpta,

Verum iacta haec Aristotelis fundamenta ad veritatis ignem probanda sunt videndumque aurea ne sint, an plumbea. Et primo quidem quod ait omne corpus mobile, eo quod natura sit principium motus [69], a veritate longissime distat. Natura enim non solum motus principium est, verum etiam et quietis immobilitatisque ; terra enim, naturale corpus cum sit, nullo penitus motu secundum locum, sed perpetua immobilitate gaudet. Quod si vi immobilis manet, aliquod ergo violentum perpetuum. Nec moveri quidem secundum locum naturaliter motum ; cum enim centrum sit mundi, sursum utique ferretur, quod est gravium naturae contrarium.

quia natura corporea non est principium motus tantum, sed etiam quietis,

Et profecto Aristoteles ipse in his, quae de coelo conscripsit [70], manifeste decernit et probat terram oportere esse immobilem, cum centrum sit mundi et necesse sit, ut ait, in medio corporis circulo lati aliquid manere immobile [71]. Sed inquit terram moveri deorsum secundum partes [72]. In homogeneis vero similaribusque corporibus eadem est totius ac partium ratio. Quod si praeter naturam partes moveri dicantur, dandus tunc erit motus secundum naturam. Terra igitur suapte natura mobilis et immobilis erit, principiumque perpetuae mobilitatis et perpetuae itidem immobilitatis habens : contrariis ergo naturis praedita ; motus enim et immobilitas contraria sunt et a con-

ut Aristoteles ipse docuit de terra, sibi ipsi tamen contradicens.

68) Cf. *De Coelo*, lib. 1, cp. 2, t. 1, pag. 266-267; lib. 4, cp. 4, pag. 302; Conimbricenses *De Coelo*, lib. 1, cp. 2, Explanatio. Docet Aristoteles, ut diximus, sublunarem mundum ex quattuor elementis constare: *terra, aqua, aere, igne;* mundum vero coelestem ex nullo horum quattuor elementorum compactum, sed ex diviniore quadam materia quam idcirco *quintam* vocat *substantiam*, eaque immutabili constitutum esse. 69) Cf. *De Coelo*, lib. 1, cp. 2, t. 1, pag. 266. 70) Cf. ibid. lib. 2, cp. 13-14, pag. 287-291; *De Mundo*, cp. 2, ibid. pag. 370. 71) Cf. *De Coelo*, lib. 2, cp. 14, ibid. pag. 290, 72) Cf. ibid. lib. 3, cp. 4, pag. 302 et not. 67 huius *Dissert.*

trariis causis eveniunt : siquidem aqua calore affecta validiorque facta, levior est, sursum movetur ebulliens : frigore vero compressa immobilis redditur.

Posita enim sententia Aristotelis, dicendum erit terram esse perpetuo immobilem.

Quod si ingenuo philosopho licebit naturale simplexque corpus contrariis adversantibusque naturis praeditum perpetuumque violentum astruere, irreprehensus sit Aristoteles terram ponens perpetuo mobilem perpetuoque immobilem. Quod si perpetuo immobilis est, cur semper quiescit? Quia in proprio sita est loco. At plane etiam coelum proprium obtinet locum, semper tamen et nunquam cessantem agitur in motum perpetuo propriam agens operationem. Quod si terra pariter mobilis suapte natura est, perpetuo et ipsam moveri necesse est propriamque edere operationem; proprius enim locus id minime impedit, sed iuvat magis. Terra igitur non mobilis suapte natura est, sed immobilis, nulla sese movendi, suapte natura et forma, praedita facultate; quod si eius partes, vi ab ea semotae sursumque impulsae, ad eam nullo impellente rapido motu feruntur, id non potentiae alicui naturali, qua sese terra movere possit, sed impotentiae tribuendum est, quia corpus nimia crassitie praeditum, sese in sublime sustinendi nullam penitus facultatem habet, nisi firmae cuipiam stabilique rei, tanquam basi et fundamento inhaereat. Quare is motus non naturalis quaedam operatio est, sed lapsus potius et defectus rei; sic enim labi dicimus ruereque aedificia; et cadere gravia haec ob nimiam materiei crassitiem, quam moveri existimandum est, cum nullam penitus habeant vim sese movendi, sed suapte natura maneant semper immota.

Sed natura sua terra immobilis est, quia facultate sese movendi destituta.

Falsum item est quod Aristoteles affirmat motum motui esse contrarium;

Illud quoque quod ait motum motui esse contrarium, motum videlicet a medio levium, gravium motui quae tendunt ad medium, elucet hinc nulla veritate constare. Siquidem gravium ad centrum tendentia non motus proprie est, naturalis videlicet operatio, sed crassae materiae lapsus. Motus vero omnis una causa cum sit ipse videlicet calor, motus contrarii adversique in seinvicem esse minime possunt; contrariorum enim contrarias necesse est causas esse : unum vero idemque contrarium sibiipsi esse non potest adversisque naturis constare. Cum ergo omnis motus ab una eademque sit causa, alter alteri adversus esse non potest. Falsis itaque fundamentis Aristotelis innititur ratio. Nam neque illud simpliciter verum est quod simplici corpori simplex debetur motus. Siquidem non minus

nam omnis motus una et eadem est causa, idest calor.

lapides, metalla et alia quaevis corpora rapide moventur deorsum, quam terrae glebae, cum tamen non simplicia corpora sint.

Nec quicquam valet ratio qua demonstrare vult coelum igneum non esse.

Sed neque ipsa ratiocinatio quicquam valet. Cur enim, si igneum esset coelum, sursum, non autem circulo, ferretur ? Si enim ignis suapte natura mobilis uti et calidus est, semper et ubique mobilis erit perpetuoque motu agitabitur. Perpetuus autem motus esse non potest, nisi in gyrum ; quod enim sursum aut deorsum movetur non potest perpetuo moveri, cum spatium terminis finitum sit. Proprius igitur ignis motus circularis non rectus erit : ille, non iste, perpetuus esse potest ; et quidem ignis elementum supra aeris sphaeram ab Aristotele positum [73], perpetuo movetur in gyrum, et supera etiam aeris portio, ut motus cometarum ostendit [74]. Sed si non naturalis ille est motus, quomodo perpetuus est ? Quae enim contra naturam sunt diu durare non possunt, sed necesse est aliquando corrumpi. Is ergo proprius ignis censendus est motus, quem proprio in loco perpetuo agit, non quem agit positus extra propriam universitatem, cum in patriam properat advolatque. Nam etsi coeli portio extra propriam universitatem locumque poneretur, ad illam utique quam citissime properaret perniciosissimeque sursum ad naturalem locum advolaret. Proprius tamen coeli non rectus, sed circularis est motus. Si enim non pyramidalis figura, sed sphaerica igni in sua sphaera et propria universitate tribuitur, cum tamen extra illam pyramidalis videatur [75] : cur ei tribuendus est motus rectus, quem habet extra suam universitatem, non circularis, quo perpetuo in sua sphaera movetur ? Perperam igitur Aristoteles igni terraeque naturales hos tribuit motus ex particularium motibus, cum extra proprias universitates et loca posita feruntur ad proprias sedes et mansiones.

Item nec valet suppositio Aristotelis quod si coelum igneum esset, universa supposita corpora absumpsisset;

Illa postmodum ratio, quod si coelum igneum esset universa supposita corpora iampridem absumpsisset [76], inanissima est. Siquidem ignis in tenui exilique materia minus urit : minus enim in flamma, quam in pruna ignitoque carbone, et in hoc rursus minus, quam in ignito ferro. Quapropter [77] coeli substantia exilis subtilissimaque ac summe expansa cum sit, exili item tenuique calore praedita erit ; non

73) Cf. *De Coelo*, lib. 2, cp. 4, t. 1, pag. 282. 74) Cf. *Meteorol.*, lib. 1, cp. 7, ibid. pag. 330. 75) Cf. *De Coelo*, lib. 3, cp. 5, ibid. pag. 296. 76) Cf. *Meteorol.*, lib. 1, cp. 3, ibid. pag. 326-327. 77) Ms.: *Cum* repetitur.

comburente, alioquin cum et ipse cum universo peripatu sphaeram ignis supra aerem statuat, aerea sphaera decuplo multoque maiorem [78], cur tandem non aerem universum combusserit in ignemque converterit, cum facillime possit aerem tanquam symbolum elementum in seipsum convertere? Ob nimiam ergo tenuitatem atque expansionem coelestis substantia, quamvis calida igneaque sit, non comburit: veluti solaris radius, calidus cum sit, ob tenuem expansamque aeris materiam non comburit. At si per vitreum vas pura claraque plenum aqua pertranseat in seipsum collectus, comburit ignemque accendit, sicut et in concavis speculis repercussus.

coelestis enim substantia, licet ignea, non comburit, quia summe exilis est.

Signa tandem, quae affert, a solis candore et currentium stellarum velocitate [79], Aristotelis quidem propositum eo absunt ut probent, ut oppositum astruant. Cum enim meteora haec nil aliud sint quam igniti vapores accensaeque exhalationes, inde argumentari licet astra coeli universa ignea natura constare, quod currentes hae stellae illorum specimen praebent omnemque similitudinem praeferunt: corpusque coelo subiectum, in quo haec fiunt atque conspiciuntur, supero corpori, in quo astra videntur, eadem ratione simillimum suapte natura esse.

Signa autem quae affert ad probandum propositum suum, oppositum astruunt.

Solis item candor, quod Aristoteli persuasit solarem substantiam natura ignea minime praeditam esse, nobis oppositum magis quam propositum manifestat. Siquidem pura vigensque ignis flamma, candida admodum est solique simillima; lux item per phialam aqua plenam pertransiens candidissima facta, ut tanquam sol debilem visum reverberet, ignem accendit. Sed forte ignis flamma Aristotelis tempore alterius erat coloris nullumque prae se ferebat candorem, nullum splendorem vel lucem; nostris vero temporibus lux quoque ignis ut solis candida idemque solis ac ignis candor naturalis color esse videtur. Cum igitur sol, sensus ipsius testimonio, ut ignis candeat, luceat, splendeat, moveatur, calefaciat omnesque ignis effectus suapte natura producat, cur igneus non sit universumque coelum eadem natura sit praeditum, nulla penitus ratio nullumque est argumentum.

Solis enim candor probat solem igneum esse, quia lux quo magis candida eo magis urit.

Ideo cum sol omnes ignis effectus producat, igneus censendus est.

Ponens itaque Divinus Moyses coelum et terram [principia] entium omnium, quae ortui et interitui obnoxia sunt, ignem et

78) Cf. *Meteorol.*, lib. 1, cp. 3, t. 1, pag. 327. 79) Cf. ibid. pag. 327-328.

terram prima omnium corpora statuit. Cum autem haec maxime opposita corpora sint, illud quidem supremum maxime nobile, transpicuum, lucidum, mobile, tenue, subtile et acutum : haec infima, vilis, opaca, tenebricosa, immobilis, crassa, obtusa et minimum entium, summe etiam rationi consonum consentaneumque videtur, ut [80] sicut coelum, natura igneum, maxime calidum est, ita quoque terra suapte natura frigidissima censeatur ; cum enim suapte natura nullum penitus calorem possideat et a coelo, omnis caloris parente, longissime distet, censenda omnino frigidissima est. Quod etiam eius gravitas densitasque demonstrat ; frigus enim haec efficit : aerem enim, suapte natura levem tenuemque, condensat in gravem aquam : hanc vero in glaciem comprimit in lapidemque convertit. Quapropter cum terra maxime omnium crassa, densa gravisque sit, nonnisi a maximo intensissimoque eius frigore provenire id potest.

Rectius ergo Moyses *coelum et terram* ponit prima omnium naturalium rerum principia; quia coelum naturaliter igneum, ideo maxime mobile est;

terra vero naturaliter frigida et opaca et ideo maxime immobilis.

Cum etiam in reliquis duo haec maxime opposita sint, summe enim distant, summe etiam contrariis qualitatibus praedita necesse est esse. Non est autem calori contraria qualitas nisi frigus ; quod si non terra, quodnam aliud ens erit frigiditatis universae parens ? Aqua enim frigidissima esse non potest, uti ignis calidissimus ; frigore enim non perficitur, ut ignis calore, sed laeditur, sed corrumpitur, in glaciem, lapidem terramque convertitur ; terra vero frigore minime laeditur, sed conservatur, augetur ac magis magisque increscit atque perficitur, ut ignis calore ; ac sicut frigore ignis perit, ita et terra calore consumitur et magis magisque extenuatur et deperit. Sed omne quod laeditur et ad interitum ducitur, nonnisi a suo contrario pati id potest. Quod si aqua vel maxime ignem extingui in interitumque abire tanquam a summe contraria quis dicat, plane non minus calida fervensque aqua, quam frigida aut gelida ignem extinguit. Nec minus vinum suapte natura calidum, aut quodvis aliud crassitie quapiam donatum corpus, id aget quam aqua. Ignis enim, cum suapte natura tenuitate gaudeat, crassitie superveniente oppressus ac veluti suffocatus exspirat, multoque potentior suapte natura terra, quam aqua, ad ignem interimendum est, quamvis citius aqua aut quodvis aliud liquidius corpus id agat. Cum enim igniti corporis aperti sint pori [81], facilius illos liquida crassities

Id quoque convenit rationi principii, nam coelum maxime calidum, terra autem maxime frigida est, ideo contraria principia.

Et hoc probatur ex eo quod terra potentior est aqua ad ignem extinguendum.

80) Ms.: *Ut* repetitur. 81) Ms.: *Poris.*

quia terra magis frigida est quam aqua.

opplet citiusque ob id occlusum ignem interimit: quod terra nimium obtusa nimiumque crassa non potest. Non ergo summi frigoris ratione aqua ignem extinguit, cum calida nil minus id agat: sed [82] quia sua crassitie ignis tenuitatem opprimit suffocatque. Non igitur aqua, sed terra summe frigida est, uti et summe calidus ignis.

Ideo Moyses ponit duo extrema: coelum summe calidum et mobile, et terram summe frigidam et immobilem;

Universam itaque corpoream molem in duas partes, coelum terramque, dividens Divinus Moyses, illam summo calore, hanc vero summo frigore praeditam docet; propterea enim illa perpetuo mobilis, tenuis acutaque est: haec vero immobilis, crassa, obtusa.

Sicut autem rationi consentaneum est ex coeli calore terrae frigiditatem inferre, ita consonum quoque esse videtur ex terrae innata congenitaque siccitate et illa quidem summa — terra enim nil siccius, nil unquam aridius, — coeli summam humiditatem arguere: contraria contrariis utique qualitatibus praedita necesse est esse. Humidum autem dico, non humectans et madefaciens; hoc enim aquae et aliorum quorumcumque corporum proprium est, quae sunt suapte natura liquida et molli quadam crassitie labilique fluore praedita; sed humidum dico corpus quod proprio quidem termino difficile, alieno vero facillime terminatur, cuiusmodi est aer, qui humidissimus censetur, aeris vero natura coelo simillima est; quapropter uno eodemque coeli nomine utriusque substantia semper a Moyse designatur.

et cum principia contraria sint, sicut terra est summe sicca, ita coelum summe humidum est.

Nec obstat quod coelum sit natura igneum; nam nec ignis est naturaliter siccus,

Nec quicquam positioni huic obstat quod coelum natura sit igneum; non enim ignis, ut putatur, siccus est, quia terrea quaeque exiccare videtur, non enim proprie exiccat, sed praeinexistentem siccitatem demonstrat. Si enim terra suapte natura maxime sicca summopereque arida est, quî fieri potest ut exiccetur magis? Sed ignis eorum corporum, quae exiccare videtur tenuiores partes in humidissimos tenuissimosque vapores convertens, praeinexistentem corporibus ariditatem duritiemque demonstrat. Alia vero corpora, quae terrea non sunt, nequaquam exiccat, imo humidiora reddit. Aquam enim in tenues vapores aeremque humidum valde convertit; quod si aereum corpus ob id humidissimum existimatur quod valde sit tenue, tactui nihil resistat et alieno termino facillime terminetur, cum ignis suapte natura sit aere multo tenuior multoque spiritualior, cur non humidior etiam existimandus erit?

82) Ms.: *Sed* repetitur.

Quod si effectus a simili semper causa dimanat, lumen a lucido, calor a calido, frigus a frigido, cum ignis causa sit humiditatis, non autem siccitatis, humidus utique non siccus censendus est. Nam et si terrea corpora exiccare videtur, non tamen vere exiccat, sed inditam terrae siccitatem ostendit, quae cum summa maximaque [83] ariditate sit praedita, exiccari minime potest, sicut nec ignis calefieri, cum summe sit calidus cumque contrariorum contrariae sint causae; [cum] frigus autem ariditatis sit causa, calorem necesse est causam humiditatis esse [84], ac cum frigidissima terra summe sit arida, calidissimum ignem summe necesse [est] humidum esse. Igneum itaque coelum summe praeditum est humiditate tanquam summo etiam praeditum suapte natura calore; sicut etiam terra, natura frigidissima frigorisque universi origo, summe est arida. At cum inspiciamus Divinum Moysem universam corpoream molem calori fri... [85].

Imo est causa humiditatis, non siccitatis.

Ideo coelum summe igneum, summe etiam humidum est, sicut terra summe frigida, summe etiam arida est.

83) Ms.: *Sit* repetitur. 84) Ms.: *Est.* 85) Desunt reliqua, etiam tractatus de motu, quem supra, pag. 99, Auctor promiserat.

IN NOMINE DOMINI IESU CHRISTI
ET GLORIOSAE VIRGINIS MARIAE

CAPUT PRIMUM (1)

Vr. 1 *In principio.* Hebraice: בְּרֵאשִׁית.

Triplici inscriptione solent Hebraei[2] Sacrae Scripturae libris titulum insignire: vel a libri i n c h o a t i o n e, vel m a t e r i a, vel a u c t o r e. Itaque Sacrae *Geneseos* liber: בְּרֵאשִׁית[3] apud eos vocatur eo quod ab eis verbis exorsus sit M o y s e s eius libri auctor. Consimili ratione *Exodus :* שְׁמוֹת ; *Leviticus :* וַיִּקְרָא; sicque omnes *Pentateuchi* libri a b i n c h o a t i o n e nomen sortiti sunt; sic itidem liber *Lamentationum :* אֵיכָה inscribitur. A b a u c t o r e vero, omnes P r o p h e t a r u m libri ac duo primi *Regum,* a S a m u e l e, libri *Samuelis* vocantur, tum quia partim ab eo conscripti sunt[4], tum etiam quia omnia, quae in aliis tractantur, ad eum quodammodo referuntur. Sic forte etiam *Iosue* liber, etsi Hebraei dissentiant[5], veri tamen simillimum est I o s u e rerum suarum commentarios edidisse[6]. Demum a m a t e r i a, ut *Iudicum* liber, omnes libri S a l o m o n i s, *Paralipomenon* quoque ac *Regum* libri. Moyses ergo, qui iuxta omnium

Tripliciter inscribuntur ab Hebraeis S. Scripturae libri:

ab inchoatione libri;

ab auctore;

a materia.

1) Inscriptio « CAPUT PRIMUM » a nobis adiecta fuit. 2) Cf. Alph. Tostatus *Comment., in lib. Gen.*, vol. 1, f. 1ª; Aug. Calmet *Prolegom. in Gen.*, t. 1, pag. XIV; Cornely *Introduct. in S. Scripturae Libros*, pag. 304; Hummelauer *Comment. in Gen.*, pag. 1. 3) Ms.: *Berescit*, et sic infra: *Scemot, Vaicra, Aeca.* 4) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 6, cp. 2, (P. L. 82, 251); Cornely op. cit. pag. 382. 5) Cf. Corn. A Lapide *Comment. in Iosue, Prologus*, pag. 1; Hildebrandus Höpfl *Introduct. in Sacros Utriusque Testamenti Libros, De Libro Iosue*, t. 2, pag. 68-72; Cornely op. cit. pag. 363. 6) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 6, cp. 2, (P. L. 82, 230); Aug. Calmet *Prolegom. in lib. Iosue*, t. 2, pag. 11; Corn. A Lapide *Comment. in Iosue, Prologus*, pag. 1.

Hebraeorum sententiam [7], D. quoque Basilii in *Hexaemeron* [8], Ioannis etiam Chrysostomi *super Genesim* [9], ac denique communem omnium Doctorum paremque consensum, libri huius auctor ac totius *Pentateuchi* extitit, volens principia fidei tradere quae sumunt creationis exordia et divina foedera cum creatura, sic exorsus est: *In principio creavit Deus coelum et terram.* Quinque tantum sunt verba et cuncta in se claudunt et continent divina mysteria et mirifica sacramenta; ideo singula verba expendamus.

In principio, etc. Prima interpretatio: In principio, idest in initio temporis;

In principio: בְּרֵאשִׁית. Septuaginta Interpretes, Symmachus [10] et Theodotio [11]: *In principio* transtulerunt; Aquila interpretatur [12]: *In capitulo;* Chaldaeus Interpres habet: בְּקַדְמִין [13], loco: בראשית; קדמין autem temporis initium chaldaice designat. Secunda Editio Chaldaica, quae Targum Ierosolymitanum dicitur, transtulit: בְּחוּכְמָא, idest: *In sapientia* [14]. Iuxta hunc sensum eliditur error impii Manichaei, qui duo rerum principia posuit [15]: unum bonorum, alterum malorum; unum spiritualium, alterum corporalium: cum Deus hic *in principio*, idest in Filio dicatur coelum terramque creasse. Et quidem sicut effectuum principium Patri appropriatur propter potentiam, ita exemplare Filio propter sapientiam, ut quemadmodum dicitur: *Omnia in sapientia fecisti* [16], ita intelligatur Deum omnia in principio creasse, idest in Filio.

secunda: *In principio, idest in Filio;* hoc sensu eliditur error Manichaei, qui ponit duo principia rerum: bonum et malum.

Licet interpretatio haec sit tantum secundum sensum, tamen illi favent Tertullianus, Origenes, Hilarius, Augustinus.

Ultima autem haec interpretatio secundum sensum potius est, quam secundum verbi translationem, quae mirum in modum favet Tertulliano in libro *Contra Praxeam* [17], Origeni [18], Hilario [19] et Augustino [20], qui verbum hoc ita exponendum censent: *In principio*, hoc est in Filio, qui Patris est Verbum ac Sapientia rerumque omnium principium, *per quem facta sunt omnia*, ut patet Ioannis *1* [21], qui etiam de seipso dicit: *Ego principium, qui et lo-*

7) Cf. Philo Iudaeus *De Mundi Opificio*, t. 1, pag. 1 sqq.; Cornely op. cit. pag. 311.
8) *Hom.* 1, (P. G. 29, 6). 9) *Hom.* 2, ibid. 53, 28. 10) Apud Origenem *Hexapla in Gen.*, ibid. 15, 145-146. 11) Ibid. col. 146. 12) Ibid. col. 144; Io. De La Haye *Biblia Maxima Versionum*, vol. 1, pag. 2. 13) Ms.: *Becadmin*, et sic postea: *Berescit, Cadmin, Bechocma.* 14) Cf. Io. De La Haye op. cit. vol. 1, pag. 2. 15) Cf. S. Augustinus *De Haeresibus ad Quodvultdeum, Haeres.* 46, (P. L. 42, 34). 16) Ps 103, 24. 17) Cp. 5, (P. L. 2, 159-160). 18) *Hom. 1 in Gen.*, (P. G. 12, 145). 19) *Tract. in 2 Ps.*, (P. L. 9, 143). 20) *Confess.*, lib. 12, cp. 20, ibid. 32, 836-837. 21) Vr. 3. Vulg.: *Omnia per ipsum facta sunt.*

quor vobis[22]. Favet etiam huic expositioni id quod in *Psalterio* de seipso dicit: *In capite libri scriptum est de me*[23], idest *in principio Geneseos ;* et iuxta hanc sententiam verti potuit verbum בראשית: *in principio,* sive *cum principio,* et *per principium ;* tribus nanque his modis praepositio in apud Hebraeos accipitur. Prima acceptio est apud eos praecipua et frequentissima; secunda habetur Isaiae[24] 7: *Cum sagittis et arcu ingredientur illuc ;* tertia, *Geneseos*[25]: *Per me iuravi.* Sacri autem theologi Deum et *in* Filio et *cum* Filio et *per* Filium mundum creasse[26] asserunt. Unde Paulus *ad Colossenses*[27]: *Quia in ipso condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni sive dominationes sive principatus sive potestates : omnia per ipsum et in ipso creata sunt.*

Prior vero interpretatio magis est secundum litteram ;

Prior vero interpretatio magis est secundum litteram, ut intelligamus initio temporis Deum creasse coelum et terram; non quod creaverit ea in tempore, sed in primo temporis instanti, quod tempus dici nullo pacto potest, sed tantum temporis principium. Sicut enim principium lineae non est linea, sic temporis principium tempus non est; ita quod Deus citra omnis temporis morulam coelum terramque creavit, adeo ut creatio rerum minus momento perfecta sit. Ita exponit Divus Basilius in *Hexaemeron*[28]; Divus Ambrosius eiusdem sententiae est in 1 libro *Hexaemeron*[29]; est eadem Hebraeorum expositio, qui verbum hoc intelligendum asserunt quemadmodum dicitur: *In principio regni Sedeciae*[30], in principio regni Iechoniae, *In principio regni Ioachim*[31]. Hoc in Glossa Hebraeorum habetur[32], cui etiam Aben Ezra subscribit[33]. Iuxta hunc sensum eliditur Aristotelis error, qui mundum Deo coaeternum fecit[34], eum asserens nec principium aliquando habuisse nec habiturum finem.

eique favent Basilius, Ambrosius et Aben Ezra.

Hoc sensu eliditur error Aristotelis, qui mundum coaeternum Deo fecit.

Alii exponunt; *in principio,* idest *in primis,*

Sunt ex Graecis etiam nonnulli[35], inter quos etiam Theodoretus[36], qui ita exponunt: *In principio,* idest *in primis,* aut *primum,*

22) Ibid. 8, 23. 23) Ps 39, 8. 24) Vr. 24. 25) 22, 16. Vulg. *Per memetipsum iuravi,* etc. 26) Ms.: *Creatum.* 27) 1, 16. Vulg.: *Quoniam,* etc. 28) *Hom. 1,* (P. G. 29, 15). 29) Cp. 4, (P. L. 14, 127-130). 30) Ier 28, 1; 49, 34. 31) Ibid. 27, 1. 32) Cf. *Biblia Rabbinica, cum commentis Rab. Salomonis, et Rab. Aben Ezrae,* f. 2a; Maimonides *More Nebuchim,* part. 2, cp. 30, pag. 271-275; Santes Pagnini *Thesaurus Linguae Sanctae,* sub radice: ראש, col. 2594. 33) *Biblia Rabbinica,* f. 2a. 34) *De Coelo,* lib. 2, cp. 1, t. 1, pag. 279. 35) Cf. S. Io. Chrysostomus *Hom. 2 in Gen.,* (P. G. 53, 30); Severianus *De Mundi Creatione, Orat. 1.* ibid. 56, 433. 36) *Quaest. in Gen., Interr. 4-5,* ibid. 80, 82-86.

et sic eliditur error illorum, qui dicunt Deum ministerio angelorum mundum creasse.

creavit Deus coelum, antequam cetera constitueret. Per hunc sensum eliminatur error illorum, qui impie asseruere [37] Deum ministerio angelorum ceterarumque spiritualium creaturarum coelum et terram ceteraque corporalia creasse. Nam si primo omnium coelum terramque creavit, non erant angeli quorum ministerio uteretur in corporalium productione: alioquin non primo omnium, cum creaturae spirituales essent primae eaque suo aevo praecessissent.

Expositio Rab. Salomonis.

Huic tamen expositioni refragatur Rabbinus Salomon hebraeus, dicens [38] בראשית non significare ordinem creationis, dicendo quod haec praecesserint, quia, si hoc significare voluisset, dixisset: בראשנה, *prius,* aut *in primis;* ipse vero cum Aben Ezra [39] dicit [40] verbum: בראשית, [41] esse in regimine genitivi sicque esse intelligendum quod dicitur: *in principio creandi Deum coelum,* sive *quo creavit Deus coelum et terram, terra erat,* etc.; ita quod per בראשית temporis initium ipsi exponunt, sicut dicitur Ieremia [42]: *In principio regni Ioachim,* etc.

Dictio haec: בראשית, in elementa resoluta et iterum diverse recomposita, mirabiles arcanos sensus praesefert.

Sed occlusam in hoc verbo sapientiam si quis attendat, videbit in ea dictione universam de mundi rerumque omnium creatione apertam et explicatam rationem. Siquidem ex huius vocabuli in elementa resolutione ac diversa eorundem adinvicem compositione, tota haec oratio duodecim nominum hebraice texitur: אב בבר ראשית שבת ברא ראש אש שת רב איש ברית תב, idest: *Pater in Filio,* sive *per Filium,* vel *in Filio principio et fine, creavit caput, ignem, fundamentum magni hominis foedere bono.* In ultima dictione ט littera mutatur in ת, quod Hebraeis frequentissimum est in litteris eiusdem pronuntiationis.

Recte homo dicitur parvus mundus, quia in homine inveniuntur tres mundi partes:

Quam mire hic prima expositio elucet, quod Deus Pater *in* Filio, vel *cum* Filio, vel *per* Filium mundum creaverit! Filius autem *principium ac finis,* sive *quies* dicitur, iuxta illud: *Ego sum alpha et omega, principium et finis* [43]. Sed magnus hic homo quid significat? Mundus ipse. Nam sicut homo est parvus mundus, ita mundus est magnus homo. Hinc sumpta occasione, tres mundos, intellectualem

37) Cf. S. Augustinus *De Trinitate,* lib. 3, cp. 8-9, (P. L. 41, 875-879); S. Bonaventura *Sentent.,* lib. 2, dist. 7, cp. 7-9; S. Thomas *S. Theolog.,* 1ª, q. 75, a. 3-4; Nic. Lyranus *Biblia cum Glossis,* etc. vol. 1, f. 29ᵇ; Io. Buxtorfius filius *Dissertationes Philologico-Theologicae, Dissert. 5, De Nominibus Dei,* pag. 265. 38) *Biblia Rabbinica,* f. 2ª. 39) Ibid. 40) Ms.: *Dicunt.* 41) Ms.: *Berescit,* et infra. 42) Cf. not. 31 huius cp. 43) Apc 21, 6 Vulg.: *Initium.*

videlicet, coelestem et corruptibilem, per tres hominis partes aptissime figurat. In homine prima pars caput est; altera a collo ad umbilicum; inde ad pedes usque, tertia. In capite cerebrum est fons cognitionis; **intellectualis,** in pectore cor fons motus et vitae et caloris; in tertia demum genitalia membra principium generationis. Itidem autem in mundo suprema pars intellectualis, nanque ad intelligendum creata est; pars altera **ignea,** coelum est, principium motus, vitae atque caloris; pars vero sublunaris generationi et corruptioni manifestissime subiecta est. Primam Moyses vocavit caput, quia fons totius cognitionis; secundam, ignem, quia coelum igneae naturae putatur; tertiam, fundamentum magni hominis, quia per eam totum hominis corpus fundatur ac su- **et terrestris.** stinetur. Verum quia inter haec foedus est perpetuae pacis et amicitiae, hinc subiecit: Foedere bono, de quo foedere per Ieremiam[44]: *Dominus dicit: Si pactum meum,* hoc est foedus pacis et amicitiae, *inter diem et noctem, et leges coelo et terrae non posui ;* quod foedus utique bonum est, quia ad Deum, qui est ipsum bonum, dirigitur[45].

44) 33, 25. Vulg.: *Dicit Dominus*, etc.

45) Artificiosissima haec interpretatio dictionis בראשית ex *Io. Pico Mirandula* desumpta fuit. Ait enim in *Heptaplo, Septima expositio*, cp. ultimo, *Expositio primae dictionis idest in principio* (sine numeratione foliorum): « Sed cogitamus per aliam interpretandi rationem gustum dare lectoribus mosaicae profunditatis... Libuit periclitari in prima operis dictione, quae apud Hebraeos *Brescit*, apud nos *in principio* legitur, an ego quoque, usus regulis antiquorum, eruere in lucem inde cognitu dignum aliquid possem. Igitur praeter spem meam, praeter opinionem inveni quod neque inveniens ipse credebam, neque credere alii facile potuerunt universam de mundi rerumque omnium creatione rationem in una ea dictione apertam et explicatam. Rem dico mirabilem, inauditam et incredibilem. Sed mox credetis si attenderitis et res ipsa verum me demonstrabit... Dictio illa apud Hebraeos hoc modo scribitur: בראשית, *Bereshit*. (Dictiones hebraicae a nobis adiectae fuerunt; eae desunt in textu, sed spatium vacuum earum loco relictum fuit). Ex hac igitur si tertiam litteram primae coniungamus, fit dictio: אב, idest *ab*. Si geminatae primae secundam addamus, fit: בבר, idest *bebar*. Si praeter primam omnes legamus, fit: ראשית, idest *resit*. Si quartam primae et ultimae conectamus, fit: שבה, idest *sciabat*. Si tres primas quo iacent ordine statuamus, fit: ברא, idest *bara*. Si prima omissa, tres sequentes, fit: ראש, idest *rosc*. Si omissis prima et secunda, duas sequentes, fit: אש, idest *es*. Si tribus primis omissis, quartam ultimae copulemus, fit: שת, idest *seth*. Rursus si secundam primae, fit: רב, idest *rab*. Si post tertiam quintam tum quartam statuamus, fit: איש, idest *hisc*. Si primas duas duabus ultimis coagmentemus, fit: ברית, idest *berith*. Si ultima primae, fit ultima dictio et duodecima, quae est: תב; idest *tob* verso, quod frequentissimum est apud Hebraeos thau in thet elementum. Videamus autem quid primo haec latine significent: tum quae per ea non ignaris philosophiae de tota natura mysteria revelentur. *Ab* patrem significat; *Bbar* in filio et per filium (utrumque enim significat beth praepositio); *Rescit*, principium; *Sabath*, quietem et finem; *Bara*, creavit; *Ros*, caput; *Es*, ignem; *Seth*, fundamentum; *Rab*, magni; *Hisc*, hominis; *Berith*, foedere; *Tob*, bono. Et totam si ordine consequenti orationem texamus, erit huiusmodi: Pater in Filio et per Filium principium et finem, sive quietem, creavit caput, ignem et fundamentum magni hominis foedere bono: haec tota oratio ex primae illius dictionis resolutionem et compositionem dissultat ». Et sic prosequitur usque ad finem huius interpretationis, quam S. Auctor affert iisdem fere verbis.

Creavit. Hebraice: בָּרָא. Chaldaice: בְּרָא.

Creavit. Iuxta theologos *creare* est ex nihilo producere.

Communis est omnium theologorum sententia creationem esse actionem divinam, qua ex nihilo aliquid producitur. Eadem nonnullorum ex Hebraeis fuit opinio, quam Aben Ezra refert [46]: «Multi, inquit, exponentes dicunt quod שהבריאה להוציא יש מאין, creatio est productio ex nihilo ; et hi differentiam statuunt inter ברא, יצר et עשה, creare, formare et facere; creare, dicunt, est ex nihilo aliquid facere; formare, enti creato figuram induere; et facere, est membra singula ordinare. Atque tali pacto exponunt illud Isaiae [47]: *Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum et feci eum;* ubi in hebraeo haec tria verba habentur. Hos Aben Ezra redarguit, dicens [48] eos oblitos esse quod dicitur: *Creavit Deus cete grandia* [49]*;* et paulo post : *Creavit Deus hominem* [50]*;* et Isaiae [51]: *Formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans mala.*

Differentia inter *creare*, *formare* et *facere* ab Hebraeis statuta,

quam Aben Ezra non approbat.

A Sanctis Patribus varie exponitur hoc verbum: *creare.*

Verbum ברא [52], Septuaginta transtulerunt: Ἐποίησεν, hoc est *fecit*, sicque legunt ex Graecis D. Basilius in *Hexaemeron* [53], Ioannes Chrysostomus *super Genesim*, [54] Origenes [55], Athanasius [56] et alii non pauci [57]; ex Latinis etiam D. Ambrosius [58].

D. Augustinus, tractans praememoratum locum Isaiae in libro primo *Contra Calumniatorem Scripturarum* [59], assignat discrimen inter creare et facere: quod creare proprie est esse ex aliquo; facere vero ex nihilo. Verbo etiam creandi in graeco correspondet : κτίζω, quod etiam condo significat, unde et urbes creari dicuntur; Marcus enim Cicero Romulum urbis Romae creatorem vocat et principem [60], ut in praefato libro asserit Augustinus [61]. Verbum etiam creo venit a voce graeca: κρέας, quod est caro ; unde creare est [62] quasi producere, sive carnem facere: quo pacto animalia procreari dicuntur; et inde

Iuxta etymologiam *creare* est novam rem producere, sive ex nihilo, sive ex aliquo.

46) Op. cit. f. 2ª. Aben Ezra scribit: שהבריאה; in ms. autem deest littera ש.
47) 43, 7. 48) Ms.: *Dices.* 49) Gn 1, 21. 50) Ibid. vr. 27.
51) 45, 7. Vulg.: *Creans malum.* 52) Ms.: *Bara.* 53) *Hom.* 1, (P. G. 29, 18-19).
54) *Hom. 2,* ibid. 53, 26-30. 55) *Hom. 1,* ibid. 12, 145. 56) *Orat. contra Arianos,* ibid. 26, 267. 57) Cf. Procopius *Comment. in Gen.*, ibid. 87, 38-39: Cosmas *Topographia Christiana*, lib. 1, ibid. 88, 75-78; Anastasius Sinaita *In Hexaem.*, lib. 1, ibid. 89, 857-860; Georg. Cedrenus *Hist. Compendium*, ibid. 121, 27. 58) *Hexaem.*, lib. 1, cp. 2-4, (P. L. 14, 124-130). 59) Cf. cp. 23, ibid. 42, 632-634. 60) Ms.: *Principes.* 61) Cf. *De Fide et Symbolo*, cp. 3, (P. L. 40, 184). 62) Ms.: *Et.*

etiam crescere, quod non solum de animalibus, verum etiam de plantis et fructibus dicitur; unde M a r c u s C i c e r o *De Finibus*[63]: « Omnium rerum, quas creat natura et tuetur ». In universum ergo haec vox, tum apud Latinos tum etiam apud Hebraeos, rei alicuius novae productionem significat, sive sit ex nihilo sive ex aliquo.

Differentia assignata a R. David Kimchi inter *creare et formare.*

Ita R a b b i n u s D a v i d in libro *Radicum*[64], assignans differentiam inter ברא et יצר, c r e a r e et f o r m a r e, quod hoc[65] secundum de re corporea, sive quae habet esse in corpore, vel est susceptiva sensibilium potentiarum, sive de ipsis sensibilibus potentiis dicitur; primum vero de qualibet re sive de innovatione cuiuslibet rei, quae de non esse ad esse procedit. Noster etiam I n t e r p r e s illud *Numeri*[66]: אִם־בְּרִיאָה יִבְרָא: *Si creaturam creaverit*, transtulit: *Si rem novam creaverit*.

Hoc tamen loco productio ex nihilo intelligenda est, quia actio creativa Dei nullum subiectum habuit.

Quamvis autem in Scripturis frequentior huius vocis significatio aptata sit his, quae ex aliquo producta sunt, maxime quando quid Dei iussu ex alio educitur, sicut dicitur creasse hominem et animalia et plantas et alia quaecumque suo iussu, ex aliqua materia prodierunt: hoc tamen in loco productionem ex nihilo oportet intelligere, sive illa creatio sive factio dicatur, cum sit haec productio prima, quae nullam materiam supponit. Neque enim physica haec generatio est, quae a naturali potentia per motum in tempore fit subiectumque necessario supponit; sed hyperphysica generatio est, quam[67] hic c r e a t i o n e m vocamus, quae, cum nec fiat in tempore, nec aliqua sive alteratio sive transmutatio interveniat, nullum subiectum requirit.

Hoc sensu Io. Grammaticus defendit Aristotelem negantem Deum esse factorem mundi, cum potius dicendus sit productor.

Quamobrem I o a n n e s G r a m m a t i c u s recte interpretatur[68] Aristotelem, qui dum negat Deum esse factorem mundi, in hunc sensum negat non esse factum, idest per modum mutationis, sed magis dicendus productor. Ait enim 1[69] *De Generatione*[70] « Nunquam videtur Aristoteles protulisse effectricem mundi causam esse Deum. Asserit enim facere nihil aliud esse, quam via quadam et per modum generandi aliquid in lucem adferre. At Deus neque tempore operatur, neque sine subita perfectione. Ex eo igitur negat mundum fecisse, sed

63) Vol. 4, col. 150. 64) Sub voce; ברא. *Liber Radicum*, hebraice: ספר השרשים: *Sepher Asclarascim*. 65) Ms.: *Ho*. 66) 16, 30. Vulg.: *Sin autem, novam rem fecerit*.
67) Ms.: *Qua*. 68) Ms.: *Trepretatur*. 69) Ms.: 2°. 70) *De Generatione et Corruptione Aristotelis*, lib. 1, text. c. 53-55, *Comment. 112*, pag. 67-68.

magis dicendum esse eum produxisse ». Quae hic a Ioanne Grammatico dicuntur, videntur cum nostris theologis convenire. Neque enim nos, cum dicimus mundi creationem esse productionem ex nihilo, ponimus aliquod subiectum quod sit ipsum nihilum, ex quo quid fiat: habet enim manifestissimam contradictionem; sed intelligimus dictum ex nihilo negative, idest non ex aliquo, sine nulla praeiacente materia, idque infinitae Dei potentiae tribuimus, qui omnem artem [71], omnem naturam sua virtute immensa supervincit. Non tamen negamus quin possit quaedam passiva potentia in creaturis [72] ipsis considerari antequam conderentur et in seipsis existerent; in Deo enim quodammodo erant, ut produci possent et creata extra illum existerent.

His primis verbis Moyses elidit errores Platonis, Aristotelis et Epicuri,

qui quandam aeternitatem mundo tribuebant.

Advertendum hic est Moysen his verbis tres ethnicorum philosophorum errores elidere, dum dicit Deum creasse, idest ex nihilo mundum produxisse. Primum Platonis qui posuit tria aeterna [73]: Deum, ideas et ὕλην [74], idest materiam, et de tali aeterna materia Deum dicebat mundum fecisse. Aristoteles mundum asserebat [75] Deo coaeternum, a Deo tamen dependere, sine principio et fine [76]. Epicurus [77] et quamplures alii [78], inane et atomos aeterna ponebant, et in principio naturam quosdam atomos solidasse in terram, alios in aquam, in aerem et ignem. Nam si *creavit*, idest de nihilo produxit, non ergo ex increata materia fecit, aut ex aeternis atomis et inane; et si *in principio* temporis, mundi coaeternitatem dissolvit.

Deus. Hebraice: אֱלֹהִים. Chaldaice: יְיָ.

Deus. Hoc nomine: אלהים, indicatur Dei aeternitas et omnipotentia, divinae naturae

Mirifica in hoc verbo sacramenta ac magna mysteria continentur. Hic luce clarius immensam Dei virtutem, aeternitatem, essentiae unitatem ac divinarum Personarum trinitatem licet admirari. Dum enim dicitur in principio temporum mundum creasse, ideo perspicitur ante tempora aeternaliter extitisse, et qui in conditionis initio tanta celeritate operationis ex nihilo coelum terramque creasse declaratur,

71) Ms.: *Arte*. 72) Ms.: *Creaturi*. 73) Cf. S. Ambrosius *Hexaem.*, lib. 1, cp. 7, (P. L. 41, 136); Aristot. *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 6, t. 2, pag. 489. 74) Ms.: *Ile*. 75) Cf. supra *Dissert. 5*. 76) *De Coelo*, lib. 2, cp. 1, t. 1, pag. 279; *De Mundo*, cp. 6, ibid. pag. 275-278; *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 2, t. 2, pag. 485; lib. 7, cp. 1, pag. 523. 77) Cf. Lactantius *Divinae Institut.*, lib. 3, cp. 17, (P. L. 6, 401-402); S. Augustinus Epist. 118, cp. 4, ibid. 33, 445; *De Civitate Dei*, lib. 8, cp. 5, ibid. 41, 230; cf. etiam *Dissert. 6*, not. 11-12. 78) Cf. S. Augustinus *De Civitate Dei*, lib. 8, cp. 5, (P. L. 41, 230) Aristot.; *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 4, t. 2, pag. 487.

unitas et trinitas Personarum.

eius omnipotentia indicitur, cui voluisse facere est, ut per incomprehensibilem operationis celeritatem incomprehensibilis operator exprimeretur, qui tantum opus brevi ac exiguo minus momento, temporis initio sua operatione absolveret ac voluntatis effectus sensum temporis praeveniret.

Nomen hoc pluralis est numeri.

Scire praeterea oportet Dei nomen אלהים, hic a Moyse positum, pluralis esse numeri, ab אלה deductum, sicut etiam אדני ab אדן; quae siquidem vox non solum Deum, sed etiam angelos atque homines heroas, tum ac principes sive iudices virosque praeclaros [significat], sicut patet vel parum exercitato in Sacra Scriptura; nusquam tamen eo nomine peculiarem angelum aut hominem denotamus, sed multos simul. Quidam tamen ex Hebraeis,[79] et nonnulli etiam ex nostris[80], negant vocem hanc pluralis esse numeri; sed ambo convincuntur; manifestissime enim in omnibus Scripturae locis, ubi non significat Deum, semper in plurali significatione accipitur, quemadmodum *Psalmo*[81]*: Minuisti eum paulo minus ab angelis;* ubi stat אֱלֹהִים[82] pro angelis, ut Chaldaeus Interpres et Septuaginta transtulerunt. In alio quoque *Psalmo*[83]: *Deus stetit in synagoga deorum ; in medio autem deos diiudicat*, ubi stat pro iudicibus; et alibi: *Diis non detrahes*[84]*;* et iterum: *Ego dixi : Dii estis*[85]. Sed inquiunt quod, quando pro Deo vero accipitur, non potest pluraliter significare, aliter non iungeretur verbo singulari, ut hic dicitur: אֱלֹהִים בָּרָא, *creavit*, et non *creaverunt*.

Alii tamen negant, sed falso;

Sacra enim Scriptura nultoties eo nomine pluraliter utitur.

At nos, ex opposito, in multis locis Sacrae Scripturae, ubi verum Deum significat, adiectivo pluralis numeri [dicimus] iungi ac etiam verbo. Nanque *Genesis* 20, ubi nostra Editio habet[86]: *Postquam eduxit*

79) Cf. Rab. Aben Ezra op. cit. f. 2a; Rab. Abrabanel *Explanatio Legis*, hebraice: פירוש התורה, *Phirusc Atorah*, f. 5a. *Munsterus:* « Iudaei dicunt hunc loquendi modum : כדרך הלשון, *de proprietate linguae*, nempe quod minores plurali numero et reverentiae causa loqui soleant cum maioribus, et quod maiores de seipsis quoque loquantur perinde ac si multi essent ». *Critici Sacri*, t. 1, part. 1, col. 1. *Vatablus :* « Quidam Hebraeorum dicunt אלהים vocari Deum, quod sit Dominus et iudex omnium ». Ibid. col. 14. 80) Caietanus *In Quinque Mosaicos Libros*, f. 1a, dicit esse idiotismum linguae hebraicae ; cf. S. Hieronymus Epist. 25, (P. L. 22, 429) ; *Hebraic. Quaest. in Gen.*, ibid. 23, 947; Hugo Rotomag. *Tract. in Hexaem.*, lib. 1, ibid. 192, 1252 ; Io. Drusius *Elohim* sive *De Nomine Dei*, ubi fusius tractat hoc argumentum. *Critici Sacri*, t. 1, part. 2, pag. 298-319. 81) 8, 6. 82) Ms.: *Eloim*, et infra. 83) 81, 1. 84) Ex 22, 28. 85) Ps 81, 6. 86) Vr. 13.

me Deus de domo patris mei, Hebraica Veritas habet: *Postquam eduxerunt me dii; 2 Regum,* ubi dicitur[87]: *Quae... autem, ut populus tuus Israel, gens una . . ., propter quam ivit Deus ut redimeret sibi eam . . .?* Hebraica Veritas habet: *Pro qua iverunt dii.* Nec potest hoc de Moyse et Aaron dici, nam in *Paralipomenon* ponitur[88] nomen Domini τετραγράμματον[89]. Iosue ultimo[90], ubi dicitur: *Non poteritis servire Domino, quia Dominus . . . sanctus ipse,* Hebraica Veritas: *Quia* אֱלֹהִים[91] *sancti ipsi.* Isaiae 54[92]: *Dominabitur tui qui te fecit, Dominus exercituum nomen eius,* hebraice: *Dominatores tui factores tui;* ponitur autem ibi nomen τετραγράμματον. Sic Ieremiae 23[93]: *Pervertistis verba Dei viventis Domini exercituum, Dei nostri,* hebraice: *Deorum viventium,* ubi identidem nomen τετραγράμματον ponitur. Ex quibus locis liquido patet quod nomen אלהים, etiam quando pro vero Deo ponitur, tenetur pluraliter cum et voci adiectivae plurali ac etiam verbo iungatur.

Non est pluralis maiestatis, ut falso asserunt Rab. Aben Ezra et R. David;

Propter haec Aben Ezra fatetur[94] nomen אלהים pluraliter significare cum pro Deo accipitur; sed inquit hoc esse moris linguae sanctae, causa reverentiae et honoris, quemadmodum in lingua ismaelitica minores in plurali numero alloquuntur maiores. Identidem et Rabbinus David de voce אדני dicit[95] In lingua etiam italica consuetudo est venerabiles personas [loqui] numero plurali. At hoc merum hebraicae perfidiae commentum est. Si enim hoc ad praeclariorem Dei honorem esset dictum, perpetuo certe debebat observari, cum honor illi perpetuus debeatur; et tamen in Sacra Scriptura saepissime legimus sanctissimos viros singulari numero Deum esse allocutos atque ad Deum dirigentes sermonem usos esse nomine אל, אלה, שדי, יה, et aliis nominibus[96] singularibus. Praeterea si nullum in hoc verbo lateret

In S. Scriptura enim saepe reperitur nomen Dei in singulari.

87) 7, 23. Vulg.: *Ut redimeret eam sibi.* 88) 1 Par 17, 21. 89) Ms.: *Tetragrammaton,* et infra. *S. Hieronymus:* « Nomen *Tetragrammaton,* hoc est, quattuor litterarum, quod proprie apud Hebraeos in Deo ponitur, idest duabus *Ia,* quae duplicata ineffabile illud et gloriosum Dei nomen efficiunt; dicitur autem ineffabilis, non quia dici non potest, sed quia finiri sensu et intellectu humano nullatenus potest, ideo nihil de eo digne dici potest, quia ineffabilis est ». *De Deo et Nominibus eius,* (P. L. 23, 1308). 90) Vr. 19. 91) Ms.: *Elohim,* et infra: *Adonai.* 92) Vr. 5. 93) Vr. 36. 94) Op. cit. f. 2ª. 95) Op. cit. sub voce: אדני. 96) Pro nomine: אל, cf. Ex 34, 6; 2 Esr 9, 31; Ps 76 (hebr. 77), 14; pro nomine: אלה, Ps 85 (hebr. 86), 12; Dn 2, 23; pro nomine: שדי, Gn 8, 5; 17, 1; pro nomine: יה, Ps 113 (hebr. 115), 17-18; et Ps 110-112 (hebr. 111-113), 146-148. 150 (hebr. 147–150), qui omnes incipiunt ab: הללו יה; pro aliis nominibus: עליון, Ps 9, 3; אדון, Ps 113, (hebr. 114), 7; האדון, Is 3, 1.

mysterium, sed tantum honoris causa eo usus est Moyses, cur non magis nomen τετραγράμματον posuit, quod est multo honorabilius, quapropter ineffabile ab eis putatur?

Item falsa est opinio Aben Ezrae Deum significari plurali numero ad significandam pluralitatem virtutum et idearum;

Aben Ezra aliud finxit commentum [97], Deum significari plurali numero propter pluralitatem virtutum aut idearum, quae sunt in illa simplicissima divina natura. Sed neque hoc probare possum, est enim valde irrationabilis cavillatio. Si enim Deus propter virtutum pluralitatem nomine plurali significatur, tunc vel tales virtutes, quas ipse dicit, sunt quid creatum, vel quid increatum. Non quid creatum, quia tunc aliqua creatura creasset mundum, vel cooperata esset Deo in creatione mundi, quod non admittunt Hebraei; asserunt enim solum Deum creasse mundum [98], ac propterea angelos secunda die creatos dicunt [99], ne, si prima die creati dicerentur, Dei in creatione mundi cooperatores putarentur. Si vero sunt quid increatum: vel procedunt a Deo, vel non. Si non: ergo sunt plura increata omnino diversa: ergo et plures dii, quod est falsissimum. Si ergo procedunt a Deo, habemus intentum.

virtutes enim Dei unum et idem sunt cum Deo.

Praeterea nullus homo recte dicitur homines propter quarumlibet virtutum pluralitatem, quia dicendo homines, intelligitur pluralitas suppositorum: ergo multo minus ipse Deus; etenim sicut identitas causa est unitatis, sic diversitas pluralitatis et multitudinis. Si ergo homo non potest dici plures homines propter virtutum pluralitatem, cum tamen suae virtutes diversae sint naturae ab eo: ergo nec Deus, cuius virtutes sunt omnino idem cum eo, cum sit natura simplicissima; quod etiam conceditur ab Hebraeis.

Pariter falsa est sententia Hebraeorum, qui dicunt hoc modo signi-

Adhuc dicunt Hebraei [100] quod, quia Deus in sapientia, bonitate ac potentia mundum creavit, quae sunt tres divinae proprietates, propterea dicitur: אלהים *creavit*. Verum et hoc est commentum; nam sic

97) Op. cit. f. 2a. 98) Cf. Rab. Salomon op. cit. f. 2a. et not. 258 huius cp. 99) « Quando creati fuerunt angeli? Rab. Jochanam dicit creatos fuisse die secundo. Rab. Hanina vero die quinto. Et scito quod secundum verba utriusque, angeli conditi fuerunt una cum aquis, hoc est die secundo, quia scriptum: *Sit expansum* (firmamentum) *in medio aquarum*: et die quinto, quia lectum: *Producant aquae* ». *Bereshit Rabba*, I, 3, Editio Theodor-Albeck, pag. 5; III, 8, pag. 24; *Talmud Babyl.*, *Hagigah*, f. 12a; cf. Nic. Lyranus op. cit. f. 29a. 100) Cf. Io. Buxtorfius filius *Dissert. Philologico-Theologicae*, *Dissert.* 5, pag. 266. *Fagius*: « Sententia Rab. Nachman, Deus אלהים, quasi אל הם, idest *robur eorum*, scilicet creaturarum, denominatur, eo quod sit *virtus virtutum*: כח הכחת, idest suprema illa vis unde suam vim et substantiam habet quidquid est uspiam in rerum natura ». *Critici Sacri*, t. 1, part. 1, col. 5.

ficari Deum mundum creasse in sapientia, bonitate ac potentia.

Deus operatur per potentiam, sapientiam et bonitatem sive amorem, sicut artifex operatur per artem suam, puta per regulam directivam, per potentiam transmutandi materiam et per finis intenti amorem, puta lucri. Modo si Deus plurali nomine significatur propter sapientiam, bonitatem et potentiam, hoc de creato artifice multo congruentius diceretur, quia haec magis in artifice quam in Deo differunt, cum in artifice re absoluta differant: quod non potest esse in Deo.

Sed Moyses hoc loquendi modo usus est ad significandam pluralitatem divinarum Personarum in Deo.

Cum etiam M o y s e s , videns populum ad idololatriam proclivem et propensissimum eumque de unitate Dei instruens, pluries praecavisset ne plures deos colerent, sicut in *Deuteronomio* legimus [101]: *Audi, Israel: Dominus Deus tuus, Deus unus est;* et iterum: *Videte* nunc *quod ego sim solus, et non est alius Deus praeter me* [102], et alibi pluries [103]; nunquam Deum plurali numero significasset nisi in hoc nomine lateret mysterium pluralitatis divinarum Personarum in Deo. Neque enim quamcumque pluralitatem nomen hoc significat, sed Personarum, ut constat ex omnibus aliis Scripturae locis, quando pro vero Deo non sumitur.

Cum ergo M o y s e s, Spiritu Sancto afflatus, בָּרָא אֱלֹהִים dixerit: *Dii creavit,* hunc proculdubio esse horum verborum sensum intelligimus, ut divinarum pluralitas Personarum in verbo אלהים, et unitas essentiae in singulari verbo *creavit* intelligatur; et quomodo tres divinae Personae non tres dii, sed unus sunt Deus; propterea C h a l d a e u s I n t e r p r e s transtulit: יְיָ; S e p t u a g i n t a: Θεός, et T r a n s l a t o r noster: *Deus,* omnes in singulari.

Ideo nomen Dei ponitur in plurali et verbum in singulari:

Ulterius dicimus convenienter valde esse dictum. Actio enim, teste P h i l o s o p h o [104], suppositorum est; in divinis supposita plura sunt. Omnium autem divinarum Personarum ad extra una ac indivisa est actio. Hinc per אלהים plura supposita, per singulare autem verbum unica actio demonstratur. Unde quotiescumque in Sacra Scriptura אלהים Deum verum significans, verbo iungitur, quia verbum actionem significat, ipsum verbum singulari numero poni consuevit, ne pluri-

quod semper observatur cum no-

ficari videatur actio et virtus agentium, quae prorsus est una. Secus vero cum nominibus adiectivis coniungitur; tunc enim non curat

101) 6, 4. Vulg.: *Deus vester, Dominus,* etc. 102) Ibid. 32, 39. Vulg.: *Et non sit,* etc.
103) Cf. Gn 1, 2-3, 1 sqq.; Dt 4, 35. 104) *Metaphysic.,* lib. 1, cp. 1, t. 2, pag. 488.

Scriptura ponere adiectivum in numero plurali, quoniam per illud nec actio nec virtus ac proinde nec eius substantia sive essentia plurificatur. Quare concedimus tres existentes, tres sapientes, tres aeternos, tres creantes; secus tamen si substantivum nomen sit adiunctum; non enim tres Deos aut tres creatores dicimus, quamvis B. Athanasius in *Symbolo* nec priores concedat[105]: hoc tamen sapienter et ad necessariam cautelam, ob sensum falsum qui posset inde accipi; nimirum si hae voces substantive acciperentur, negare etiam videtur posse dici tres divinas Personas esse Deos aut Dominos. Quod tamen Magister Sententiarum[106] et omnes fere theologi videntur admittere, et hic a Moyse divinae Personae *Dii* appellantur. Et quidem si hoc plurale: *Dii*, non aliud significat quam habentes deitatem et de Personis vere dicitur quod sunt habentes deitatem, cur igitur et hoc non dicatur quod sunt Dii?

men Dei iungitur verbo; non autem quando iungitur adiectivo.

nisi cum magna cautela ob periculum falsi sensus.

At si oculatius verba Athanasii consideremus, videbimus eum non negare tres divinas Personas esse Deos aut Dominos, sed esse tres Deos aut tres Dominos. Quamvis enim confiteamur tres esse Personas divinas et esse eas Deos, non tamen dicimus tres esse Deos. Fallacia enim est a divisis concessis ad coniuncta, quam Philosophus hoc explodit[107] exemplo: ille est citharoedus et ille est bonus, non licet inferre: ergo citharoedus bonus; bonitas quippe de homine primum ut homo est praedicatur; postmodum vero non ut homo de eodem, sed ut citharoedus dicitur. Sic in re proposita. Cum enim dico de Personis quod Dii sunt: verum dico, quoniam sunt habentes deitatem et de eisdem verum est dicere quod sunt tres, cum vere sint tres Personae. Nec tamen propterea admittitur: ergo tres Dii: quia cum semel et divisim concessum est esse tres, hic numerus ad Personas pertinet; si autem concederemus coniunctim: tres sunt Dii: iam idem numerus ad deitatem pertineret et sic plurificaretur deitas. Posset tamen dici: tres Dii, si illud: Dii, appositive maneret, in hunc sensum: tres, qui sunt Dii.

Et sic dici potest quod tres divinae Personae sunt Dii, idest habentes deitatem; non autem tres Dii.

Neque vero inficior dici potuisse: *Dii creaverunt*, sicut dicitur: Pater et Filius sunt spirantes, vel spirant, et quemadmodum infra

Quamvis etiam dici potuisset: *Dii creaverunt*,

105) *Symbolum De Fide Catholica*, (P. G. 28, 1582). 106) *Sentent.*, lib. 1, dist. 23-25, (P. L. 192, 583-591). 107) Cf. *De Interpretatione*, cp. 13, t. 1, pag. 26; *De Reprehensione Sophistarum*, lib. 2, cp. 3, ibid. pag. 190; *De Moribus*, lib. 1, cp. 6, t. 2, pag. 4-5; *Metaphysic.*, lib. 4, cp. 6, pag. 512; cp. 9, pag. 514.

etiam dicetur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* [108]: et alibi etiam pluries nomen אלהים verbo plurali iungitur, [109] dum tamen verum Deum significat. Quoniam autem tunc vere data esset occasio errandi ignorantibus mysterium, ideo Moyses

Moyses tamen, ut vitaret periculum falsae interpretationis, dixit: *Dii creavit,*

sapientissime et vigilantissime ex omni parte providit, sic dicendo: בָּרָא אֱלֹהִים: *Dii creavit*, ut simul Personarum pluralitatem in verbo אֱלֹהִים, exprimeret, et unitatem essentiae et actionis in singulari verbo ברא, servaret.

ad indicandam actionem Trinitatis simul operantis.

Quod quidem mysterium si aliquo Scripturae loco erat indicandum, maxime certe in hoc ipso exordio opportunum erat, ubi commune rerum omnium creationis opus narratur, quod est tota simul Trinitas operata.

Coelum. Hoc nomen tum in singulari tum in plurali vertitur a Vulgata.

Coelum. Hebraice: הַשָּׁמַיִם. Chaldaice: שְׁמַיָּא. Graece: Οὐρανός, quasi ὁρανός, ut ait D. Ambrosius *in Hexaemeron* [110], ab ὁράω, quod visui sit pervium et minime densum, ut aqua et terra.

Pluralis semper numeri apud Hebraeos, Latinus tamen Interpres modo *coelum* in singulari, modo *coelos* transfert. Hanc dictionem ita Rabbinus Iosi, filius Chanina, et Rabbi Ioseph interpretantur [111]: ש מים, quasi: שם מים, hoc est: *ibi aquae ;* alii vero [112]: אש מים: *ignis et aqua*, quasi coelum natura sit quodammodo inter ignem et aquam media.

Terram. Variae interpretationes huius nominis.

Terram. Hebraice: הָאָרֶץ. Chaldaice: אַרְעָא. Graece: Γῆ, a γῶ, idest χωρῶ, quasi ἡ πάντα χωροῦσα: *omnium susceptiva* [112a]. Latine autem sic dicitur quasi tetra, quia obscura. Dicitur autem, secundum nonnullos Hebraeorum, terra: ארץ, a radice רוץ [113], quod est currere, quod

108) Gn 1, 26. 109) Cf. ibid. 20, 13; Ex 32, 8 et 2 Rg 7, 23. Ex hebraico. 110) Lib. 2, cp. 4, (P. L. 14, 152). 111) Cf. *Talmud Babyl.*, *Hagigah*, f. 12a; Pagnini op. cit. sub radice: שם, col. 3011. 112) Cf. Rab. Salomon op. cit. f. 2a; *Talmud Babyl.*, loc. cit.; *Bereshit Rabba*, IV, 7, pag. 31; Ginzberg *The Legends of the Jews*, V, pag. 7, not. 16. *Fagius*: « שמים vox est composita ex שם et מים, quod *ibi sunt aquae ;* vel, ut sentit R. Nachmann, ex ש et מים, quia *sunt aquae ;* vel ex שא et מים, idest *sustine aquas*, quod coelum aquas sustinet; vel ex אש שם et מים, quod scilicet *ibi est ignis et aqua*, vel quod Deus ignem et aquam commiscendo ex utroque elemento coelum confecerit ». Col. 6. 112a) Cf. *Etymologicum Magnum*, sub voce: γῆ. 113) Cf. *Lekah Tob*, Gn 1, 1. Hebraice: לקח טוב, idest *Bona doctrina*, *Commentum in Pentateuchum* ex antiquis Rabbinis, opera Rab. Tobiae Ben Eliezer confectum, saec. XI; Pagnini op. cit. sub voce: אֶרֶץ, col. 175.

super eam currat et circumagatur iugiter sphaera. Differt autem a תבל: nam illud est commune nomen habitabilem et inhabitabilem [significans], hoc autem habitabilem significat.

Ex Patribus, per *coelum* alii intelligunt corpus coeleste;

Quid autem per *coelum* quidve per *terram* intelligendum sit, non una omnium est sententia. D. Basilius[114], Ioannes Chrysostomus[115], D. Ambrosius in *Hexaemeron*[116] et multi alii[117], per *coelum* simpliciter intelligunt corporalem creaturam, hoc est corpus coeleste; D. Augustinus[118] et Origenes[119] intelligunt spiritualem creaturam, hoc est angelos; Venerabilis autem Beda[120] et Strabus[121] coelum empyreum hic intelligunt, quod statim initio creatum repletum est concreatis angelis. Unde *coeli* nomine utramque naturam intelligunt, corporalem, idest coeli empyrei et spiritualem, angelorum, adeo ut eodem initio coelum angelosque creatos asserant.

alii angelos; alii autem coelum empyreum.

Haec ultima sententia praeferenda videtur,

Postrema mihi admodum placet. Si enim, iuxta primam sententiam, coelestia corpora hic intelligantur, quod est firmamentum, quod secunda die factum esse dicitur[122], deinde quaestionem relinquit: cur enim de spiritualibus creaturis, hoc est angelis, nulla fit mentio cum sint maximae et inter creaturas praecipuae? Nec me fallit dixisse multos[123] eo quod rudi populo loqueretur Moyses, qui spiritualium non erant capaces. Manifestissime enim in multis Sacrae Scripturae locis, et in hoc ipso libro, multoties de angelis mentio fit; unde si de illorum creatione nulla prorsus fit mentio, potuissent eos increatos credere. Si vero cum secunda sententia dicamus hic per *coelum* debere angelos intelligi, e contrario quaeret quis: cur de excellentissimo corpore, omnium dignissimo, nulla fit mentio, cum cetera multo viliora memorentur? Si vero ad sensum tertiae expositionis accipiamus

quia in hac

114) *Hom. 1 in Hexaem.*, (P. G. 29, 19-22). 115) Severianus *De Mundi Creatione, Orat. 1*, ibid. 56, 433-434, quod olim S. Io. Chrysostomo tribuebatur. Cf. Bardenhewer *Manuale di Patrologia*, vol. 2, pag. 143. 116) *Hexaem.*, lib. 1, cp. 6, (P. L. 14, 132-135).

117) Cf. Eustathius *Comment. in Hexaem.*, (P. G. 18, 710); S. Greg. Nyssenus *De Hominis Opificio*, cp. 1, ibid. 44, 127; Procopius *Comment. in Gen.*, ibid. 87, 39-42; Cosmas *Topographia Christiana*, lib. 1, ibid. 88, 79-82; Eustathius *Hexaem. Metaphrasis*, lib. 1, (P. L. 53, 875-876); Angelomus *Comment. in Gen.*, ibid. 115, 113; Abaelardus *Exposit. in Haxaem.*, ibid. 178, 733. 118) *De Genesi ad Litteram*, lib. 1, cp. 9, (P. L. 34, 252); cp. 16, ibid. col. 258. 119) *Hom. 1 in Gen.*, (P. G. 12, 147). 120) *Hexaem.*, lib. 1, (P. L. 91, 13-14).

121) *Glossa Ord. in Gen.*, ibid. 113, 68. 122) Cf. Gn 1, 6-8. 123) Cf. S. Caesarius *Dialogus 1, Interr. 50*, (P. G. 38, 922); Severianus *De Mundi Creatione, Orat. 1*, ibid. 56, 431-432; Theodoretus *Quaest. in Gen., Interr. 8*, ibid. 80, 78-79; Procopius *Comment. in Gen.*, ibid. 87, 27; Nic. Lyranus, op. cit. f. 23ᵃ. 32ᵃ.

etiam duae primae continentur.

hic coelum empyreum et angelos simul creatos in eo, plana sunt omnia et silet omnis hinc inde exorta quaestio. Ita enim neque relinquuntur in hac creaturarum recensione primae ac potiores inter creaturas, nimirum summae illae creaturae spirituales et corporales, angeli atque illud primum coelum, quod graeca voce ἐμπύριον [124] Sancti vocarunt [125], quasi igneum, propter loci eminentiam et lucis splendorem; atque expositio haec totum illud amplectitur quod in aliis desideratur. Continet enim D. Augustini expositionem, qui solius spiritualis [creaturae] meminit; continet etiam alteram D. Basilii, qui solam corporalem posuit; quoniam haec et spiritualem et corporalem complectitur.

Quod etiam confirmatur ex Concilio Lateranensi, ex Decretalibus,

Haec itidem sententia in magno Lateranensi Concilio, sub Innocentio III celebrato, approbatur, dum Sancta Romana Ecclesia Deum ab initio corporalem creaturam, idest mundanam, et spiritualem, idest angelicam simul ex nihilo ab initio temporis creasse profitetur [126]. Idem habetur in *Decretalibus De Summa Trinitate et Fide Catholica, cap. Firmiter* [127]. Huic etiam Veritas Hebraica astipulari videtur, quae habet: השמים, duali numero, quasi duo sint coelorum genera, spirituale videlicet et corporeum.

ex textu hebraico,

Coeli etiam appellatione non solum corporale hoc visui pervium, cuius est in Sacra Scriptura acceptio frequentissima, sed etiam spirituales creaturae manifestissime accipiuntur, quemadmodum *Deuteronomio* [128]: *Audite, coeli, quae loquor;* et Isaia [129]: *Audite, coeli,* etc., ubi habitatores coelestes oportet intelligi. Hanc angelorum in coelo empyreo una cum eo creationem illud B. Iob videtur astruere [130]: *Ubi eras cum me laudarent... astra matutina et iubilarent omnes filii Dei?* Felices illi spiritus eminentissimi illius ac omnium excellentissimi empyrei coeli lucidissima ac splendidissima astra ponuntur, mane simul Deum laudantia, hoc est in suae creationis initio, ut egregie D. Gregorius exponit [131]. Illud etiam eiusdem Iob, dum *Behemoth,* idest diabolus, *principium viarum Dei* dicitur [132], qui nimirum cum cuncta Deus creans ageret, hunc primum condidit, quem ceteris angelis eminentiorem fecit, ut idem Doctor exponit [133]. Apud

et ex usu loquendi Sacrae Scripturae.

124) Ms.: *Empireum.* 125) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 61, a. 4; Conimbricenses *De Coelo*, lib. 2, cp. 5, q. 1, a. 2. 126) Cf. Denzinger–Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 428. 127) Aem. Lud. Richter *Decretalia*, lib. 1, tit. 1, cp. 1, col. 5. 128) 32, 1. 129) 1, 2. 130) 38, 4. 7. 131) *Moralium*, lib. 28, cp. 14, (P. L. 76, 467-468). 132) 40, 10. 133) *Moralium*, lib. 32, cp. 12, (P. L. 76, 644-646).

Isaiam etiam legimus:[134] *Quomodo cecidisti de coelo, Lucifer, qui mane oriebaris ?*

Alii tamen Patres asserunt angelos ante hunc mundum creatos esse;

Non tamen me fugit multorum veterum Sanctorum fuisse sententiam angelos ante hunc visibilem mundum fuisse creatos. Fuit enim haec Gregorii Nazianzeni sententia [135], D. Basilii[136], D. Hieronymi *super epistolam ad Titum*[137], D. etiam Ambrosii in *Hexaemeron*[138], et aliorum[139] ex antiquis, qui omnes existimant angelos multo ante hunc mundum visibilem fuisse conditos. Ioannes etiam Cassianus [140], abbatis Sereni verba referens, nullum fidelium inquit dubitare « ante conditionem huius visibilis creaturae spirituales coelestesque virtutes Deum fecisse ».

sed videntur intelligere eos creatos fuisse ante hunc mundum visibilem, et quidem initio temporis,

ut apparet ex D. Gregorio super *Iob*.

Verum Sancta Romana Ecclesia in Laterano magno Concilio determinavit angelos simul cum mundana creatura initio temporis ex nihilo esse creatos[141]; nec tamen crediderim praefatos Doctores sensisse ante omnem corpoream creaturam fuisse creatos, sed[142] ante hunc visibilem mundum; nam temporis initio, quando angeli creati sunt, invisibilis omnino erat hic mundus. Et ita videtur intellexisse D. Gregorius, qui tractans illud B. Iob: *Ubi eras cum me laudarent... astra matutina?* sic inquit[143]: « Quia enim prima in tempore condita natura rationabilium spirituum creditur, non immerito matutina astra angeli vocantur. Quod si ita est, dum terra esset invisibilis et incomposita, dum tenebrae essent super abyssum [144], venturum diem subsequentis saeculi per lucem sapientiae existendo praevenerunt ». Atque ita nos et cum mundana creatura et ante visibilem mundum angelos esse creatos dicere possumus. Ergo, ad propositum revertentes, per *coelum* hic angelos cum coelo empyreo vel, quod idem est, coelum empyreum cum angelis debemus intelligere.

Verum quoniam haec in principio temporis creata asserimus, idest cum tempus incepit, nec potuit sine motu tempus incipere, cum sit motus mensura et motus primi corporis coelestis: hinc dicimus quod,

134) 14, 12. 135) *Orat. 38*, (P. G. 36, 319). 136) *Hom. 1 in Hexaem.*, ibid. 29, 11-14. 137) Cp. 1, (P. L. 26, 559-560). 138) *Hexaem.*, lib. 1, cp. 5, ibid. 14, 131. 139) Cf. Origenes *Hom. 1 in Gen.*, (P. G. 12, 147); Procopius *Comment. in Gen.*, ibid. 87, 34; S. Io. Damascenus *De Fide Orthodoxa*, lib. 2, cp. 3, ibid. 94, 874; S. Hilarius *Contra Auxentium*, (P. L. 10, 612). S. Thomas asserit hanc esse concordem Graecorum Doctorum sententiam. Cf. *S. Theolog.*, 1ª, q. 61, a. 3, ad 1. 140) *Collatio 8*, cp. 7, (P. L. 49, 730-731).
141) Cf. not. 126 huius cp. 142) Ms.: *Se.* 143) Cf. not. 131 huius cp. 144) Cf. Gn 1, 2.

cum empyreum sit omnino immobile, simul cum eo primum mobile simul cum crystallino coelo — quae statim ab oriente in occidentem moveri inceperint ac cum eorum motu incepisse tempus, — creata fuisse; et quoniam haec duo corpora non sensu, sed ratione percipiuntur, ideo cum empyreo annumerantur, quod est a sensibus nostris remotissimum et sola ratione percipitur.

Et terram. Per *terram* aliqui Patres et Aben Ezra hanc, quam cernimus, intelligunt;

Et terram. Quid item per *terram* intelligatur non omnium eadem est sententia. D. Basilius[145], Ioannes Chrysostomus[146], D. Ambrosius[147], Tertullianus *Adversus Hermogenem*[148], de materia: et ex Hebraeis Aben Ezra[149] et multi alii[150] *terrae* nomine hoc in loco eam significare volunt, quam oculis cernimus. His autem favet vox ipsa, quae frequentissime in Sacra Scriptura ad eum sensum accipitur dicuntque hic a Moyse duo universi principia enumerari: supremum et infimum, intra quae[151] media quoque elementa, ex quibus cetera generantur, contineri probantur, ac propterea de eorum creatione[152] Moyses non meminit. Sed dum coelum terramque a Deo in principio creata asserat, intelligat simul cum eis quae media sunt concreata esse. Nam cum de aquarum opificio nihil dixisset, ait: *Et tenebrae erant super faciem abyssi, et spiritus Domini ferebatur super aquas*[153].

quibus favere videtur modus loquendi S. Scripturae.

Alii vero intelligunt materiam primam, ex qua factae sunt res cor-

D. vero Gregorius Nazianzenus in *Sermone de Spiritu Sancto*[154], Lactantius Firmianus libro 2 *De Origine Erroris*[155], D. Augustinus in libro 12 *Confessionum*[156], Venerabilis Beda[157], necnon et Hugo de S. Victore[158], *terrae* appellatione hic primam materiam putant debere intelligi, ex

145) *Hom. 1 in Hexaem.*, (P. G. 29, 19 sqq.). 146) *Hom. 2 in Gen.*, ibid. 53, 29-31. 147) *Hexaem.*, lib. 1, cp. 2, (P. L. 14, 125). 148) Cp. 20-22, ibid. 2, 215-218. 149) Op. cit. f. 2ᵇ. 150) Philo Iudaeus *De Mundi Opificio*, t. 1, pag. 5-8; David Kimchi *Liber Radicum*, sub voce: את. *Fagius:* « Rab. Nachmann et veteres Rabbini, quos meminit, את ab אתה, idest *veniendo*, deducunt. Et volunt eo non tantum et simpliciter unam rem aliquam eiusdemque nudam substantiam, sed plures omniaque quae ad eius rei absolutam perfectamque integritatem pertinent et requiruntur, insinuari. Unde dicunt appellatione *coeli et terrae* propter adiectam particulam את omnes coelestes ac terrestres creaturas venire; puta solem, lunam, stellas, arbores, herbas, animantia, et si quid sunt alia ». Col. 6. Cf. etiam Rab. Salomon et Aben Ezra op. cit. f. 2ᵇ. 151) Ms.: *Quibus.* 152) Ms.: *Creatione.* 153) Gn 1, 2. Vulg.: *Dei*, loco: *Domini.* 154) *Orat. 41 in Pentecosten vel in Spiritum Sanctum*, ut aliqui codices habent, (P. G. 36, 430). 155) *Divinae Institut.*, lib. 2, cp. 9, (P. L. 6, 298-301). 156) Cp. 12, ibid. 32, 831. 157) *Hexaem.*, lib. 1, ibid. 91, 13. 158) *Adnotat. Elucidat. in Pentat.*, cp. 5, ibid. 175, 34.

qua deinde facta sunt omnia, quae infra coelum empyreum adusque terrae centrum continentur. Huic positioni id, quod sequitur, mirifice favet: poreae infra coelum empyreum.

Vr. 2 *Terra autem erat inanis et vacua.*

Hebraice: וְהָאָרֶץ הָיְתָה תֹהוּ וָבֹהוּ.

Quod Chaldaeus Interpres sic transtulit: וְאַרְעָא הֲוָת צַדְיָא וְרֵיקָנְיָא, idest: *Et terra erat devastata*, seu deformata *et inanis*. Huic expositioni favet communis interpretatio verborum: *terra autem* etc.

Targum Ierosolymitanum: וְאַרְעָא הֲוָה תָהְיָא וּבָהְיָא, idest: *Vacua et inanis.*

Septuaginta transtulerunt: Ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος, idest: *Invisibilis et incomposita.*

Aquila, post Septuaginta secundus interpres, transtulit [159]: Κένωμα καὶ οὐθέν, idest *vanitas et nihil;* Symmachus autem [160]: Ἀργὸν καὶ ἀδιάκριτον, *ociosum et indigestum*, quasi inanitatis et privationis confusio; Theodotio autem [161]: Κενὸν καὶ οὐθέν, hoc est *inane ac nihil;* noster demum Interpres: *Inanis et vacua.*

Haec autem omnia mirum in modum naturam et conditiones primae materiae exprimunt. Haec etiam videtur praecipuorum Hebraeorum sententia. Rabbinus enim David, explicans in libro *Radicum* [162] quod sit תהו et בהו, inquit desolationem et vacuitatem seu vanitatem significare. Affert etiam sapientes naturas rerum scrutantes dicere quod תהו [163] est res cui non est similitudo ac figura, sic tamen disposita ac praeparata, ut quamvis recipere possit similitudinem ac formam, id quod Graeci ὕλην vocant; ceterum בהו est ipsa forma, hoc est res cui inest potentia ipsum תהו induendi similitudine et forma, ex quibus divina voluntate coniunctis mundi creatio extitit. Hanc sententiam confirmat Sapiens ita ad Deum loquens [164]: *Manus tua . . . creavit orbem terrarum ex materia invisa* vel, ut graece legitur et Beatus Augustinus citat [165], *ex materia informi:* ἐξ ἀμόρφου ὕλης. Age etiam quod huc referri videtur quae ab antiquissimis philosophis de chao dicta sunt; vide La- et praecipuorum Hebraeorum sententia. Favent etiam antiqui philosophi;

159) Apud Origenem *Hexapla*, (P. G. 15, 144). 160) Ibid. col. 145. 161) Ibid. col. 146.
162) Sub vocibus: תהו, et: בהו. 163) Ms.: *Thohu, Bohu*, et infra. 164) Sap 11, 18.
165) *De Genesi contra Manichaeos*, lib. 1, cp. 5, (P. L. 34, 178).

ctantium Firmianum libro 1 *De Falsa Religione*[166], et 2 *De Origine Erroris*[167]; ab Hesiodo antiquissimo vate[168]; Mercurio Trismegisto[169] ethnicorum theologo; Anaxagora[170], Euripide[171] et multis aliis posterioribus[172], quorum sententiam referens Ovidius eleganter dixit[173]:

«Ante mare et terras et, quod tegit omnia, coelum
Unus erat toto naturae vultus in orbe,
Quem dixere chaos: rudis indigestaque moles».

Eusebius, et omnes theologi scholastici.

Quid autem per chaos intellexerint antiqui declarat etiam Lactantius, dicens[174] Hesiodum, in suo libro de *Theogonia*, idest *Deorum Generatione*, non a Deo conditore sumpsisse exordium, sed a chao, quod est rudis inordinataeque materiae confusa congeries. Eusebius de *Praeparatione Evangelica*, tenet[175] etiam materiam ex qua facta sunt omnia, ab initio creatam. Mitto quod haec sit omnium theologorum scholasticorum sententia.

Ergo nomine *terrae* intelligitur materia prima, non illa aristotelica, sed vere ens actu existens, licet imperfectissimo, quia aliqua forma donata,

Ex his ergo liquet terrae appellatione materiam primam esse intelligendam, quae *inanis*, *vacua*, *informis*, *invisibilis*, *ociosa*, *indigesta* ac *prope nihil* dicitur; non quod omnino sit nihil, sed quoniam infimum locum in substantiis tenet, et quia ex se nulla decoratur forma aut specie; non quod omnino nullum habeat actum. Neque enim potest ullo pacto intelligi si quid ens est aut substantia, suo actu essendi, quem dicunt entitativum vel essentiae, privari; sed quoniam actus huiusmodi ipsius materiae imperfectus admodum est ac in po-

166) *Divinae Institut.*, lib. 1, cp. 5, ibid. 6, 130-131. 167) Cp. 9, ibid. col. 297. 168) *De Generatione Deorum*, vrr. 116 sqq. 169) *Pimander*, pag. 1: «Erat umbra infinita in abysso, aqua insuper et spiritus tenuis intellectualis per divinam potentiam in Chaos inerant. Floruit autem splendor sanctus, qui sub arena ex humida natura elementa eduxit, Diique omnes seminalem naturam diligebant. Cumque indistincta atque indigesta prius cuncta fuissent, levia postmodum in excelsam regionem pervolarunt, gravia vero sub arena humida resederunt». 170) Cf. Diog. Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 2, pag. 62. 171) Cf. Diodorus Siculus *Rerum Antiquarum Historiae*, lib. 1, cp. 1, pag. 12. 172) Lucanus *De Bello Civili*, seu *Pharsaliae*, lib. 1, vr. 74; lib. 5, vr. 634; Aristophanes *De Avibus*, vrr. 694-695. *Genuensis*: «Pulchrum est videre totam antiquitatem in uno hoc mirifice convenisse. ex chaos primum orta omnia. Aethera et chaos pro universi initiis habuisse Orpheum, scribit Suidas, voce: Ορφ; sed quae tamen a Deo essent facta... De Lino haec prodidit Laertius in proemio; eum nempe carminum suorum hoc fecisse initium: *Olim tempus erat simul indigesta iacebant, Quo cuncta*, etc., addiditque inde Anaxagoram sententiam illam suam accepisse: *Omnia simul erant. Mens autem accedens ea in ordinem induxit*, quae mosaicam sapit Cosmogoniam». *Elementa Metaphysicae*, Pars Prior, *Disputatio Physico-Historica*, cp. 1, § 6, pag. 20–21. 173) *Metamorph.*, lib. 1, vrr. 5-7. 174) *Divinae Institut.*, lib. 1, cp. 5, (P. L. 6, 131). 175) Lib. 7, cp. 18-21, (P. G. 21, 562-570).

tentia ad quoslibet actus perfectos, qui entium per se existentium sunt et compositorum, propterea ipsa *deformis, vacua* et *inanis* dicitur.

et, iuxta D. Augustinum, subiectum erat commune cunctis formis supervenientibus;

Nec tamen dicimus eam omnino absque ulla forma esse creatam, sed, iuxta D. Augustini sententiam[176], eam informem dicimus eo quod certam formam specificam, qua ad determinatum esse traheretur, non habebat eratque omni certa specie destituta; sed forma quadam supervestiebatur, confusa et imperfecta, quae actum habebat debilissimum et imperfectissimum, quo posset esse subiectum commune cunctis formis, et in qua inesset desiderium supervestiri per formas praebentes illi esse perfectum. Neque negamus Deum sua potentia materiam ipsam potuisse absque ulla penitus forma creare, cum materia ipsa naturaliter omnem praecedat formam habeatque suum essendi actum, quem dicunt essentiae, quae ab existentia non reperitur distincta realiter, quae etsi distingueretur, non ob id sequitur quin potuisset materia absque forma existere. Nam si propriam atque peculiarem habet essentiam, habebit proculdubio et existentiam, cum existentia sit ipsius essentiae actus. Potuisset ergo Deus sua potentia sub tali existentia materiam absque forma ulla producere atque servare. Intelligimus ergo sub *terrae* nomine materiam ipsam, ex qua, Deo auctore, omnia constant.

licet Deus potuisset omnipotentia sua materiam absque ulla penitus forma creare.

Inanis et vacua. Interpretatio huius loci iuxta eos qui per terram intelligunt hanc, quam videmus.

Verba autem illa: *Terra autem erat inanis et vacua*, qui hic terram, quae nostris est subiecta obtutibus, intelligunt, ita interpretantur: *erat inanis*, idest *invisibilis*, cum tenebris undique esset superfusa et aquis cooperta: *et vacua*, quia nondum erat plantis et herbis ornata ac mineralibus ditata. Nonnulli Hebraeorum, ut Rabbinus Gaon, quemadmodum Aben Ezra refert[177], « dixerunt quod תהו, idem est ac תהום; sed hoc non est rectum, quoniam littera מ est radicalis, sicut in הדום ». Rabbinus Salomon inquit[178] quod « תהו, est: תמה ושממון, *admiratio et stupor*; בהו vero: רקות וצדו, *tenue et desolatum* ». Ipse autem Aben Ezra exponit[179] תהו, iuxta Targum, « quia non erat quicquam in illa ».

176) *Confess.*, lib. 12, cp. 3-8, (P. L. 32, 827-829). 177) Op. cit. f. 2a; cf. Pagnini op. cit. sub radice: תהה, col. 3138. 178) Op. cit. f. 2b. 179) Ibid.

Et *tenebrae erant super faciem abyssi.*

Hebraice: וְחֹשֶׁךְ עַל־פְּנֵי תְהוֹם.

Chaldaice: וַחֲשׁוֹכָא עַל־אַפֵּי תְהוֹמָא, idest: *Tenebrae erant super faciem abyssi.*

Et tenebrae erant, etc. Variae versiones.

Septuaginta sic transtulerunt: Καὶ σκότος ἐπάνω τῆς ἀβύσσου, idest: *Et tenebrae incumbebant super abyssum,* omiserunt *faciem,* sicut et noster etiam Interpres. Est nanque linguae hebraicae mos his adverbiis contra et super ut plurimum adiungere faciem, sicut in versu etiam sequenti: *Et spiritus Domini ferebatur super aquas:* hebraice: *Super facies aquarum;* sic etiam : *Super faciem firmamenti* [180]; *Contra faciem deserti* [181]; *Super faciem terrae* [182], et: *Contra faciem terrae* [183].

Sub nomine tenebrae, S. Basilius et Ambrosius intelligunt quandam coelestis corporis obumbrationem in terra;

Videndum nobis est quid *tenebrarum* quidve *abyssi* nomine intelligendum sit. D. Basilius[184] et Ambrosius[185] per *tenebras* hic intelligunt corporis obumbrationem, quoniam omne corpus umbram facit, qua obumbrat vel finitima vel inferiora. Tenebrae igitur illae mundo circumfusae propter coelestis corporis umbram subortae sunt, ita quod huiuscemodi tenebrae non secundum substantiam extitere, sed affectio quaedam, quae aeri ex luminis privatione accidit. Existimant[186] autem angelos ante mundi huius constitutionem fuisse creatos, ac proculdubio in lumine extitisse, cui luci obiectum coeleste corpus sua umbra tenebras efficiebat. Atque ita assignat D. Basilius[187] tria, quae, ut umbra sit, concurrunt, videlicet: lux, corpus obiectum luci et locus luminis expers. D. vero Augustinus[188] et Beda[189] per *tenebras* intelligunt simpliciter lucis carentiam, quia nondum lux facta erat, ita quod tenebrae nihil sunt, sed lucis absentia. Hoc nomen accepit et ipsa lucis absentia tenebra est, sicut silentium nihil est, sed ubi sonus non est, silentium dicitur; et nuditas aliqua res non est, sed in corpore ubi tegumentum non est, nuditas dicitur; et inanitas non est res aliqua, sed ubi corpus non est, inanitas dicitur. Et haec sententia probabilior est.

D. Augustinus vero et Beda. lucis carentiam.

180) Gn 1, 20. 181) Nm 21, 20. 182) Gn 8, 8. 183) Ibid. 11, 28; 25, 9. 18. 184) *Hom. 2 in Hexaem.*, (P G. 29, 35-38). 185) *Hexaem.*, lib. 1, cp. 8, (P. L. 14, 141). 186) Cf. pag. 127, et not. 136. 138. huius cp. 187) *Hom. 2 in Hexaem.*, (P. G. 29, 42). 188) *Confess.*, lib. 12, cp. 3, (P. L. 32, 827). 189) *Hexaem.*, lib. 1, ibid. 91, 14.

Per *abyssum* autem R a b b i n u s S a l o m o n putat[190] *abyssi* nomine *aquas* ipsas, quae erant super terram ipsam, esse intelligendas. D. B a s i l i u s[191], D. I o a n n e s C h r y s o s t o m u s[192] et A m b r o s i u s[193], copiosam multitudinem et profundum aquarum in immensum patens, ad cuius fundum haud facile penetrari possit. Idem sentit R a b b i n u s D a v i d in libro *Radicum*[194]; et in hoc sensu frequentissime in Sacra Scriptura accipitur *abyssi* vox[195]. Erant ergo, secundum hos, *tenebrae . . . super faciem abyssi*, quia quidquid erat abyssus erat aquarum terrae faciem tegentium tenebris velata.

Per *abyssum* alii intelligunt aquas operientes terram; alii profundum aquarum;

D. vero A u g u s t i n u s per *abyssum* hic eandem primam materiam de qua, cum sit creata ex nihilo, facta sunt omnia, intelligit[196] eamque variis nominibus asserit designari. Dicitur enim, inquit, *coelum et terram* quatenus de ea haec facta sunt; dicitur *terra invisibilis et incomposita*, quia inter elementa mundi terra videtur minus speciosa quam cetera; dicitur *invisibilis* propter obscuritatem, *incomposita* propter deformitatem et informitatem. Dicitur *aqua* super quam ferebatur Spiritus Dei, sicut superfertur rebus fabricandis voluntas artificis, quia omnia, quae in terra nascuntur, sive animalia sive plantae et si quae similia, ab humore incipiunt formari atque nutriri; et quia facilis et ductilis subiacebat operanti, ut de illa omnia formarentur. Dicta est demum *abyssus* tenebrosa propter confusionem, quia informis erat et nulla specie cerni aut tractari poterat. Haec ergo omnia istius materiae nomina sunt, ut res ignota notis vocabulis insinuaretur imperitioribus, et non uno vocabulo, sed multis, ne si unum esset, hoc putaretur esse, quod consueverunt homines in illo vocabulo intelligere. Haec est D. A u g u s t i n i sententia.

D. Augustinus ipsam materiam primam ex nihilo creatam, de qua facta sunt omnia.

Et spiritus Domini ferebatur super aquas.

Hebraice וְרוּחַ אֱלֹהִים מְרַחֶפֶת עַל־פְּנֵי הַמָּיִם׃

Chaldaice וְרוּחָא מִן־קֳדָם יְיָ מְנַשְּׁבָא עַל־אַפֵּי מַיָּא׃: *Spiritus a conspectu Dei flabat super aquas,* sive *faciem aquarum.*

190) Op. cit. f. 2b. 191) *Hom. 2 in Hexaem.*, (P. G. 29, 38). 192) *Hom. 3 in Gen.*, ibid. 53, 33; Severianus *De Mundi Creatione, Orat. 1*, ibid. 56, 434. 193) *Hexaem.*, lib. 1, cp. 8, (P. L. 14, 141). 194) Sub voce: תהום. 195) Cf. Gn 7, 11; Ex 15, 8; Iob 14, 28; Ps 35, 7; 70, 20; Prv 8, 24; Is 51, 10; Dn 3, 55. 196) *De Genesi ad Litteram Liber Imperfectus*, cp. 4, (P. L. 34, 224).

Graece: Καὶ πνεῦμα θεοῦ ἐπεφέρετο ἐπάνω τοῦ ὕδατος [197]: *Et spiritus Dei superferebatur aquis.*

Et spiritus, etc. Per *spiritum* alii intelligunt *ventum ;*

Hoc similiter diversimode exponitur. Nonnulli hic per *spiritum* aerem intelligunt [198], dicentes hic Moysen totius mundi partes connumerare; רוח enim hebraice et aerem et ventum et spiritum et voluntatem significat. Theodoretus constanter affirmat [199] de vento hic esse sentiendum iuxta illud: *Flabit spiritus tuus et fluent aquae* [200]. Idem sentit Aben Ezra, qui inquit [201] ideo dici spiritum Dei coniunctum in regimine, « quia missus fuit in voluntate Dei ad exiccandas aquas ». Huic sententiae favet Targum Chaldaicum, quod transtulit verbum מְרַחֶפֶת: מְנַשְּׁבָא idest *insufflabat*, quod proprium venti est.

alii *motum aquae vitalem ;*

alii *divinam voluntatem* creantem ;

alii *Spiritum Sanctum* vivificantem aquas, ut procreabiles eas efficeret ;

D. Ioannes Chrysostomus eiusmodi affert expositionem [202], quod affuerit efficax quaedam et vitalis operatio aquis et non fuerit simpliciter aqua stans et immobilis. Quoniam ergo aqua illa immensa vim quandam vitalem habebat, dicit: *Et spiritus Domini ferebatur,* etc. D. Augustinus divinam intelligit [203] voluntatem, quae super aquas, idest primam materiam, superferebatur, sicut superfertur rebus fabricandis voluntas artificis. At vero D. Basilius, Hieronymus, Ambrosius et Diodorus constantissime hic asseverandum putant de Spiritu Sancto dici. Verbum enim מְרַחֶפֶת, inquit D. Hieronymus [204], « nos appellare possumus incubabat, sive confovebat, in similitudinem volucris ova calore animantis ». Ex quo intelligimus non de spiritu mundi dici, sed de Spiritu Sancto, qui et ipse vivificator omnium a principio dicitur. Idem dicit Diodorus [205]: « Quemadmodum avis ova confovet alis ut ea animet, sic Spiritus Sanctus superferebatur aquis, ut eas procreabiles efficeret ». Idem sibi a quodam Syro relatum inquit

197) Ms.: Και το πνευμα θεου επεφερετο τοις υθασι. 198) Cf. Severinnus *De Mundi Creatione, Orat. 1,* (P. G. 56, 436); Procopius *Comment. in Gen.*, ibid. 87, 46–47; Abaelardus *Exposit. in Hexaem.*, (P. L. 178, 738); Philo Iudaeus *Legis Allegoriarum*, lib. 1, t. 1, pag. 40; *De Gigantibus*, ibid. pag. 250; Virg. *Aeneid.*, lib. 6, vr. 727; Maimonides *More Nebuchim*, part. 1, cp. 40, pag. 58; Pererius *Comment. in Gen.*, lib. 1. t. 1, pag. 64-65.
199) *Quaest. in Gen., Interr.* 8, (P. G. 80, 90). 200) Ps 147, 18. Vulg.: *Eius*, loco: *Tuus.*
201) Op. cit. f. 2b. 202) *Hom. 3 in Gen.*, (P. G. 53, 35). 203) *De Genesi ad Litteram Liber Imperfectus*, cp. 4, (P. L. 34, 226). 204) *Hebraic. Quaest. in Gen.*, ibid. 23, 939.
205) *Fragmenta in Gen.*, (P. G. 33, 1563).

D. Basilius[206], et Ambrosius in *Hexaemeron*[207] linguam syram et ipse adducit. Idem omnino sentire videtur Rabbinus Salomon; ait[208] enim quod «solium gloriae manebat in aere et incubabat super faciem aquarum spiritu oris Domini et eius sermone, sicut columba incubat super nidum». In *Bereshit Rabba* habent Hebraei[209] hunc spiritum esse Spiritum Messiae, id quod nos quoque dicimus Spiritum Sanctum esse spiritum Christi, iuxta D. Paulum[210]. Hebraica autem vox, etsi aliquando incubare significat, sicut *Deuteronomio* 32[211]: *Sicut aquila suscitabit nidum suum et super pullos suos incubat*, ubi verbum רחף habetur, frequentius tamen motum et agitationem significat, sicut interpres vocum Rabbinus David in libro *Radicum* ait[212].

alii *Spiritum Messiae*, vel Christi.

Ideo tota simul Trinitas mundum creavit;

Hinc tamen licebit advertere primo: quomodo tota simul Trinitas sit universalis mundi constitutionem operata. Nam in *Dei* nomine Patrem intelligimus, qui totius est principium, fons et origo divinitatis et deitatis; in *principii* nomine ipsum Filium, qui de seipso dicit: *Ego principium, qui et loquor vobis*[213]; et in *Dei Spiritus* nomine, tertiam in Trinitate Personam, scilicet Spiritum Sanctum; unde scriptum est: *Verbo Domini coeli firmati sunt et Spiritu oris eius omnis virtus eorum*[214].

unde recte Spiritus S. dicitur *Spiritus Deorum*,

Secundo: licebit animadvertere quod Spiritus Sanctus hic רוח אלהים dicitur, hoc est *Spiritus Deorum*; nam אלהים pluralis est numeri, ut iam supra probatum est[215], per quod Pater et Filius intelliguntur. Pater enim solus non plures personae, sed una tantum persona est; similiter Filius; Pater autem et Filius plures personae; unde et Dii possunt dici, cum sint plures habentes deitatem, ut iam supra declaravimus[216]. Spiritus Sanctus ergo, cum *Spiritus Deorum* dicatur, a Patre et Filio procedere declaratur, cum non sit nisi originis habitudo in divinis; alioquin *Spiritus Deorum* recte dici non potest si a Patre simul et Filio non procedit. Neque mirari quis debet quomodo Spiritus Sanctus *Deorum Spiritus* dicatur, cum, etsi a Patre Filioque simul procedat, id non est nisi ut ab uno principio,

quia procedit a Patre et Filio

tanquam ab

206) *Hom. 2 in Hexaem.*, ibid. 29, 43. 207) Lib. 1, cp. 8, (P. L. 14, 139). 208) Op. cit. f. 2b. 209) *Bereshit Rabba*, II, 4, pag. 17; *Talmud Babyl.*, *Hagigah*, f. 12a; Nic. Lyranus op. cit. f. 30b. 210) Cf. Rom 8, 9–11; 1 Cor 3, 16–20; Gal 4, 6; Eph 3, 16. 211) Vr. 11. Vulg.: *Provocans ad volandum pullos suos et super eos volitans.* 212) Sub voce: רחף. 213) Io 8, 25. 214) Ps 32, 6. 215) Cf. supra pag. 119-122. 216) Cf. supra pag. 122-124.

uno spirativo principio et ab uno spiratore, licet duo sint spirantes.

quatenus Pater et Filius unum sunt Spiritus Sancti principium spirativum in fecunditate voluntatis. Id nos omnino admittimus; dicimus tamen non incongrue *Deorum Spiritum* dici: nam Pater et Filius, etsi unum sunt spirativum principium Spiritus Sancti in fecunditate voluntatis ac omnino unus spirator, sunt tamen duo spirantes; nam et Pater et Filius Personae spirantes dici non inconvenit.

Vr. 3 *Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux.*

Hebraice וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים יְהִי־אוֹר וַיְהִי־אוֹר׃

Chaldaice וַאֲמַר יְיָ יְהֵי־נְהוֹרָא וַהֲוָה־נְהוֹרָא׃ *Dixit Deus: Sit lux. Et fuit lux.*

Septuaginta tamen transtulerunt: Γενηθήτω φῶς: *Fiat lumen;* vox etenim hebraica אוֹר, et lucem et lumen significat.

Fiat lux. Alii lucis nomine intelligunt solem, quod repugnat S. Scripturae, sensui Ecclesiae

Videndum nobis nunc est quid *lucis* nomine intelligatur. Nonnulli [217] hic per *lucem* ipsum putant intelligi debere solem, eo quod D. Dionysius id videatur asserere [218]. At vero huic sententiae liquido repugnat Sacra Scriptura, quae ipsum solem quarto die creatum dicit. Id etiam Ecclesia confitetur dicens [219]:

«Quarto die qui flammeam
Solis rotam constituens».

et sententiae Patrum et scholasticorum, qui asserunt solem quarto die creatum.

Sed dicunt hi solem non dici ibi factum, sed rememorando quae illa quarta die iam facta inveniebantur. At vero nec istud satisfacit. Nam sicut dicitur hic: *Fiat lux*, sic dicitur ibi: *Fiant luminaria*, et est omnium Doctorum sententia, Basilii [220], Ambrosii [221], Ioannis Chrysostomi [222], Augustini [223] et scholasticorum omnium solem quarto die esse creatum : hic autem non solem, sed ipsum lucis splendorem, quo omnia illustrarentur, esse productum.

Cum tamen lucem hic productam audimus, ne putemus eam esse substantiam, sicut nonnulli [224] existimarunt; ipsa nanque neque

217) Cf. Dracontius *Hexaem.*, lib. 1, (P. L. 87, 371); S. Thomas *S. Theolog.*, 1ᵃ, q. 67, a. 4; q. 74, a. 1; Alph. Tostatus op. cit. f. 3ᵃ. 218) *De Divinis Nominibus*, cp. 4, (P. G. 3, 698-699). 219) *Breviarium Rom.*, Feria IV, Hymnus ad Vesp.:

«Quarto die qui flammeam
Dum solis accendis rotam».

220) *Hom. 6 in Hexaem.*, (P. G. 29, 119). 221) *Hexaem.*, lib. 4, cp. 1, (P. L. 14, 187-189). 222) *Hom. 6 in Gen.*, (P. G. 53, 58–60); Severianus *De Mundi Creatione, Orat. 3*, ibid. 56, 449. 223) *De Genesi contra Manichaeos*, lib. 1, cp. 14, (P. L. 34, 183–184); *De Genesi ad Litteram Liber Imperfectus*, cp. 12, ibid. co'. 235. 224) Cf. Theodoretus *Quaest. in Gen.*, *Interr.* 7,

substantia spiritualis est, nec corporalis, neque corporis alicuius substantialis forma. Si enim spiritualis esset substantia, corporeis oculis esset omnino invisibilis; ipsa tamen lux lumenque videtur; neque substantiae ipsae spirituales corrumpuntur, sicut ipsum lumen corrumpi videmus.

Lux haec non est substantia spiritualis, nec corporalis.

Nec est substantia corporalis; neque enim fas est duo corpora sese in eodem penitus loco recipere, sicut lumen recipitur in diaphano; praeterea nec incorruptibile corpus est, cum manifeste videatur corrumpi: nec corruptibile, cum ex eius corruptione nil generetur, quod quidem appareret quod corpus esset immensum.

sed est qualitas quaedam corpori lucido inexistens.

Demum nec substantialis forma corporis alicuius est; talis enim forma visu non percipitur, nec in hoc quidem substantia, in hoc autem est accidens. At ipsa lux et visu percipitur et in luna manifeste accidens est, sicut in eclipsi patet, quando luna privatur lumine, remanens tamen luna. Praeterea talis forma corpus aliquod constituit et tunc duo simul corpora essent, sicut in radii dispositione cernitur. Per lucem ergo qualitatem quandam re corpori lucido inexistentem, secundum quam illuminat, intelligimus.

Lux et lumen non differunt specie, sed subiecto; sicut radius, qui a lucido corpore procedit, et splendor, qui ab aliquo corpore reflectitur.

Nec putandum est lucem ac lumen specie differre, sed subiecto, sicut calor in igne et calor productus in medio. In igne enim est ut in causa et permanenter, quoniam est proprius igni: in medio autem ut in effectu, nec permanet. Ita lumen in proprio subiecto l u x dicitur, quam perspectivi p r i m a r i a m vocant: in medio autem l u m e n dicitur et vocant perspectivi lucem s e c u n d a m . Identidem significant radius et splendor; sed radius idem lumen ut a lucido corpore secundum rectum procedit; splendor autem ut ab aliquo corpore reflectitur [225].

(P. G. 80, 87); Hugo de S. Victore *De Sacramentis*, lib. 1, cp. 9, (P. L. 176, 193-194); Petrus Lombardus *Sentent.*, lib. 2, dist. 13, ibid. 192, 677-678; Alexander Halensis *S. Theolog.*, tract. 2, q. 1, cp. 5, a. 1; S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 67, a. 2-3; S. Bonaventura *Sentent.*, lib. 2, dist. 13, a. 2, q. 1-2, Conimbricenses contra sentiunt cum Aristotele, qui (*De Anima*, lib. 2, cp. 7, t. 1, pag. 392) asserit lucem nec esse corpus, nec defluxum corporis. *De Coelo*, lib. 2, cp. 7, q. 2, a. 1-2.

225) *Conimbricenses:* « Quaeres... quonam pacto inter se distinguantur lux primaria et secundaria, lumen, radius, splendor? Respondemus ex Divo Thoma in 2 *Sentent.* dist. 13, q. unica, a. 3 et aliis: etsi interdum hisce vocabulis promiscue philosophi utantur, proprie tamen lucem absolute et lucem primariam dici a perspectivis, quae in suo fonte, sive in subiecto proprio: secundariam, quae non ita se habet. Deinde interdum primariam vocari quae per directum modum funditur: secundariam quae a latere extra radiorum incidentiam oblique spargitur. Item lumen dici prout est in medio: radium prout a lucido corpore secundum rectam lineam procedit: splendorem prout est reflexum a corpore in quo recta linea porrigitur ». *De Coelo*, lib. 2, cp. 7, q. 3, a. 2.

Sensu stricto ergo lux est quaedam qualitas corporis lucidi, illuminans et lumen producens;

Hinc licebit advertere non esse lumen qualitatem quandam intentionalem ac ipsius lucis speciem, ut aiunt nonnulli [226], sed realem qualitatem oportet dicere, cum specie non differant lux et lumen, quod tamen discrimen est inter speciem et id cuius est species. Neque enim obiectorum species sensibiles sunt, sed id sunt quo obiectum sentitur; lumen autem per se videtur, nec ut possit videri alia indigeret specie, si species esset: at profecto indiget, dum est in solari medio, oculus autem in tenebris. Praeterea etiam quia lumen ipsum aliquid efficit et corrumpit; calefacit enim et substantiam producit, quorum tamen nihil possunt species ipsae efficere.

Adhuc: species ipsae compositorum sunt, non formarum; non enim coloris, sed colorati est species; ita lumen, si species esset non lucis, quae forma est, sed lucidi, esset species et luminosi, et tunc per lumen quodcumque refractum et reflexum sol videretur sicut in speculo, quod non apparet. Lux ergo qualitas quaedam est corporis lucidi, secundum quam illuminat ac lumen ipsum in medio producit.

sensu lato tamen sumitur etiam pro corpore lucido, ex praeiacenti materia facto et vi lucendi donato.

Aliquando tamen pro corpore lucido lux ipsa sumi consuevit, iuxta quod D. Augustinus inquit [227]: « Lux in corporibus primum locum tenet ». Atque ita, ex communi omnium theologorum consensu, lux praesenti loco intelligitur creata, non ut qualitas quaedam a lucido per se distincta, sed in lucido fueritque velut lucida nubes non de nihilo, sed ex praeiacenti iam materia facta, ut lux esset, et vim lucendi haberet. Natura autem non elementarem, sed coelestem, corpore tenuissimam et subtilissimam hanc eandem putamus, cum

Et hoc confirmatur sententia D. Basilii, qui tenet lucem hanc creatam fuisse tanquam subtilissimam substantiam,

D. Dionysio, lucem esse solarem [228]: non solem dico, sed lucem solarem; aliud nanque est sol, aliud lux solaris, sicut optime D. Basilius sentit ita dicens [229], dum de sole loquitur, respondens quaesito: si lucis ortus solem anticipavit, cur nunc sol, ut super terram luceat, exortus dicitur? ponit splendorem et illuminationem non simpliciter ut qualitatem per se, sed pro subtilissima substantia splendente et illuminante, sicut in subiecto exemplo manifestat. Lucem nanque pro splendore et illuminatione posuit. Non adversantur haec

226) *Aegidius Romanus :* « Neque lux, neque lumen, neque splendor sunt formae substantiales corporis lucidi ... Lux in proprio subiecto est realiter, in medio autem est intentionaliter ». *Hexaem.*, lib. 2, cp. 10, f. 82-86. 227) *De Libero Arbitrio*, lib. 3, cp. 5, (P. L. 32, 1279). 228) Cf. not. 219 huius cp. 229) *Hom. 6 in Hexaem.*, (P. G. 29, 119-122).

illis sane quae de luce dicta sunt; tunc enim ipsa natura lucis producta est, nunc autem hoc solis corpus eo conditum est, ut illi primogenitae luci vehiculum esset. Nam ut alia diversaque sunt et non eadem ignis atque lucerna, et ignis quidem illuminandi vim obtinet, lucerna autem idcirco facta est, ut vel moderatam lucem subministret egentibus: sic et illae purissimae, sincerae immaterialique luci ceu vehiculum nunc ipsa luminaria sunt extructa. Haec ille.

distinctam a luce solari; solem autem et lunam. ceu huius lucis vehiculum, postea fuisse creatos.

Hinc patet, ex tanti viri sententia, aliud solarem lucem, aliud lucem esse. Huius rei fidem ex lunae effectibus possumus invenire, ut idem inquit. Deficiens enim deliquio luna decrementaque suscipiens, non corpore toto absumitur, sed lumen, quod acceperat, ipsa deponens iterumque assumens, speciem nobis incrementi decrementique exhibet; verumtamen lunae corpus haud absumi cum in deliquio est, argumento dilucido sunt ea, quae cernimus. Et paulo infra ait [230] aliud esse lunae corpus, aliud lucem ipsius, qua lucet; id in eclipsi lunae clarius videtur, ubi luna toto, quod a sole accipit, lumine privatur, remanens tamen luna: « Tale aliquid mihi de sole cogita, praeterquam quod is semel acceptam sibique attemperatam lucem nunquam deponit », etc. Et hac putamus Divum Dionysium ratione dixisse lucem primo die creatam, idest solarem, infiguratam fuisse, quoniam non erat adhuc solari corpori attemperata atque disposita et tanquam sibi convenientissimo recepta vehiculo.

Eiusdem sententiae videntur esse D. Dionysius, Damascenus

Haec est etiam Damasceni sententia, qui inquit: [231]: « Luminaribus illis primum clarum lumen Conditor imposuit, non ut impotens dare ei aliud lumen, sed ut non vacans illud remaneret, luminare enim non ipsum est lumen, sed luminis receptivum ». Imo videtur ipsiusmet Sacrae Scripturae positio; de sole nanque in *Ecclesiastico* legimus [232]: *Vas admirabile opus Excelsi.* Ergo per *lucem* hic nec solem intelligimus, nec etiam qualitatem aliquam per se distinctam a lucido, cum lux sit lucidi qualitas; sed aliquam substantiam lucidam, natura coelestem, ex praeiacenti materia factam, quae vim lucendi haberet et suo splendore universa illustraret atque poliret, quae *lux* dicitur, sicut substantiam lucidam lucernae lucem appellamus. Dicitur etiam: lux solaris, sicut etiam: lux lucernae.

et etiam S. Scriptura.

230) Ibid. col. 123. 231) *De Fide Orthodoxa*, lib. 2, cp. 7, (P. G. 94, 887). 232) 43, 2.

Iuxta aliquos Patres dies et nox fiebant per praesentiam et absentiam huius lucis secundum imperium voluntatis divinae,

Sed quomodo haec lux diem suo splendore efficiebat noctemque sua absentia causabat, non omnium idem est sensus. D. Basilius inquit [233] quod « primigenia illa luce suum splendorem diffundente, fiebat dies: seque rursus retrahente, fiebat nox, idque secundum divinae voluntatis imperium pro mensura a Deo definita ». Idem sentit Gregorius [Nyssenus] [234] et Damascenus [235]. Huius simile legimus factum cum *extendit . . . Moyses manus in coelum, et factae sunt tenebrae horribiles in tota terra Aegypti tribus diebus* [236], sole tamen in hemisphaerio nostro agente, suumque splendorem diffundente in terra Gessen, et in alias regiones radios suae lucis emittente.

sicut in tenebris Aegypti et passionis Domini.

Simile forte factum est etiam in passione Domini, dum sol obscuratus est et *tenebrae factae sunt super universam terram* [237], quod factum non natura, sed divino praecepto est.

Iuxta D. Augustinum autem, dies et nox tunc fiebant motu naturali lucis, secluso quovis miraculo,

Haec tamen sententia D. Augustino non placet [238] eo, quod nulla ratio esset vicissitudinis huius emittendi radios luminis et contrahendi, cum homines et animalia nulla essent quorum haec usibus deservirent. Adhuc etiam: nec habet lucis natura ut seipsam suumque retrahat lumen, nisi miraculo; in prima autem naturae institutione non miraculum, sed quod habeat rerum natura quaeritur. Eapropter nos cum D. Augustino sentimus lucem hanc suo motu diem effecisse et noctem. Cum enim lucida illa substantia, quam nos hic per lucem intelligimus, coelestis esset naturae, certe eum assecuta est motum, quo primum mobile ab initio factum, coepit a sua conditione moveri ab oriente in occidentem [238a], qui siquidem motus diem ac noctem efficit, simulque vespere et mane atque meridiem. Per talem igitur motum lux illa et diem efficiebat sua praesentia et noctem sua absentia, dum aer suo lumine privabatur; efficiebat insuper et vespere et mane atque meridiem, ceu nunc sol efficit; nisi quod simplici luce nunc radiat dies, sole in nostro hemisphaerio agente, quam tunc luce illa.

ceu nunc sol efficit.

Vr. 4 *Viditque Deus lucem quod esset bona.*

Hebraice: וַיַּרְא אֱלֹהִים אֶת־הָאוֹר כִּי־טוֹב.

233) *Hom. 2 in Hexaem.*, (P. G. 29, 47). 234) *Contra Eunomium*, lib. 12, ibid. 45, 1003-1006. 235) *De Fide Orthodoxa*, lib. 2, cp. 7, ibid. 94, 887. 236) Ex 10, 22. Vulg.: *Manum*, loco: *Manus*; et: *In universa*, loco: *In tota*. 237) Mt 27, 45. 238) *De Genesi ad Litteram*, lib. 1, cp. 16, (P. L. 34, 258). 238a) Ms.: *Occidens*.

Chaldaice: וַחֲזָא יְיָ יָת־נְהוֹרָא אֲרֵי־טָב: *Et vidit Deus lucem quoniam bona.*

Vox autem טוֹב, hebraice significat b o n u m, p u l c r u m, d e c o r u m, d e l e c t a b i l e ; unde C h a l d a e u s I n t e r p r e s aliquando eam שפיר, et שפירא transfert, quod est p u l c r u m et p u l c r i t u d o. Haec autem omnia mirum in modum lucis naturae conveniunt. Est nanque lux b o n a, quia non in splendore tantummodo, sed in omni utilitate gratia lucis probatur; ad plurima siquidem confert. Est d e l e c t a b i l i s, quia videndo complacet et ipsa videndi officium subministrat et mox conspecta nos moerore liberat animumque demulcet blanda quadam placiditate. Est d e c o r a, quoniam mundum ipsum infuso exornat lumine eiusque speciem venustat. Est demum p u l c r a, cuius ob insignem splendorem omnis in aspectu gratia sita sit eiusque luminis splendor, corporibus infusus translucidis, eius actu perspicua faciat et nostris oculis omnem colorum speciem ac pulcritudinem visibilem reddat, quae prius offusa tenebris invisibilis erat.

Quod esset bona Lux dicitur *bona*, quia utilis et delectabilis est, decora et pulcra.

Et divisit lucem a tenebris.

Hebraice: וַיַּבְדֵּל אֱלֹהִים בֵּין הָאוֹר וּבֵין הַחֹשֶׁךְ.

Chaldaice: וְאַפְרֵישׁ יְיָ בֵּין נְהוֹרָא וּבֵין חֲשׁוֹכָא: *Et separavit Deus lucem a tenebra.*

D. B a s i l i u s ita exponit[239]: *Divisit,* idest naturam harum impermixtam effecit, adeo ut neutra harum alteri permisceretur, sed contrariae sibi essent et contrapositae. Idem sentit D. A m b r o s i u s[240]; et certe nulla conventio est lucis ad tenebras[241].

Et divisit lucem, etc. His verbis intelligitur Deum congruum tempus et locum luci et tenebris definivisse.

At haec distinctio et aliud quiddam praesefert. Distinxit enim *Deus lucem a tenebris,* nedum quia eas effecit natura impermixtas, sed etiam, ut I o a n n e s C h r y s o s t o m u s inquit[242], « quia unicuique locum proprium distribuit congruumque tempus definivit, ut vicissim, in uno hemisphaerio luce agente, in aliud tenebrae fugarentur et diurno tempori lux praeficeretur, nocturnum vero tenebris offunderetur; et eapraeter quia in iam facta lucida substantia luminis causam vimque lucendi constituit[243], in terrae autem opacitate causam posuit tenebrarum ».

239) *Hom. 2 in Hexaem.*, (P. G. 29, 47). 240) *Hexaem.*, lib. 1, cp. 9, (P. L. 14, 143). 241) Cf. 2 Cor 6, 14. 242) *Hom. 3 in Gen.*, (P. G. 53, 35). 243) Ms.: *Constitut.*

Vr. 5 *Appellavitque lucem diem et tenebras noctem.*
Hebraice: וַיִּקְרָא אֱלֹהִים לָאוֹר יוֹם וְלַחֹשֶׁךְ קָרָא לָיְלָה
Chaldaice: וּקְרָא יְיָ לִנְהוֹרָא יְמָמָא וְלַחֲשׁוֹכָא קְרָא לֵילְיָא:
Et vocavit Deus lucem diem et tenebras appellavit noctem.

Dies dicitur dum lux super hemisphaerium splendet, *nox* vero quando recessit.

Dum lux super hemisphaerium nostrum radios sui luminis emittit ipsaque perspicua atque translucida illuminat, dies est, lucemque hic videtur pro toto eo tempore accipere, quo super hemisphaerium splendet; quando autem hinc lux recesserit, tenebrae fiunt, quae sunt lucis absentia. Quandiu ergo abest lux, tenebrae sunt totumque illud tenebrarum tempus nox dicitur.

Factumque est vespere et mane dies unus.
Hebraice: וַיְהִי־עֶרֶב וַיְהִי־בֹקֶר יוֹם אֶחָד:
Chaldaice: וַהֲוָה־רְמַשׁ וַהֲוָה־צְפַר יוֹמָא חַד: *Et fuit vespere et fuit mane dies unus.*

Factumque est vespere et mane, etc. Licet Moyses tantum meminerit *vespere* et *mane*, tamen intelligitur hic dies naturalis viginti quattuor horarum, quod patet ex modo loquendi S. Scripturae.

יום hebraice aliquando t e m p u s, quo lux solaris est super terram, significat, ut superius dicebatur: *Vocavit lucem diem*, idque quoties לילה nocti adiungitur, dum dicitur *dies* et *nox*, ut infra; nonnunquam vero d i e m e t n o c t e m simul comprehendit, qui dies dicitur naturalis vigintiquattuor horarum spatio contentus, quo sol suam peripheriam percurrit ad motum primi mobilis, et ad hunc modum d i e s intelligendus est dum dicitur: *Et factum est vespere et mane dies unus.* Non enim utrumque complexus est M o y s e s nuncupatione diei et noctis, sed praestabiliori totam tribuit appellationem. « Sicut enim virorum generatio computatur et intelligitur etiam feminarum, quia nectuntur secunda potioribus, ita etiam dies numerantur et noctes existimantur adiunctae[244] ». Et hanc consuetudinem invenire possis in tota Scriptura observatam, ut: *Dies annorum nostrorum*[245], et: *Dies vitae meae . . . parvi et mali*[246], et alibi pluries[247]. Insuper *vespere*, quod tempus illud post solis occasum crepusculum designat, ערב dicitur, quod hebraice a d m i x t i o n e m quandam significat, eo quod tunc temporis confusio quaedam fiat figurarum,

244) S. Ambrosius *Hexaem.*, lib. 1, cp. 10, (P. L. 14, 143-144). 245) Ps 89, 10. 246) Gn 47, 9. 247) Cf. ibid. 3, 14; 4, 3; Ex 7, 25. Idc 2, 7; Iob 9, 25; Ps 26, 4; 38, 5-6; Eccle 1, 2.

ut res una ab alia facile discerni nequeat, sicut in clara luce. *Mane* autem: בֹּקֶר, deductum a בָּקַר, quod inquisitionem quandam dicit, eo quod illucescente iam die res omnis inquiratur; interdum tamen pro luce ponitur, sicut apud B. Iob legimus [248]: כּוֹכְבֵי בֹקֶר: *stellae lucis;* sicut ערב tenebras nonnunquam significat [248a].

Eapropter locum hunc ita interpretantur Hebraei per *vespere* noctem intelligentes, totum scilicet illud tenebrarum tempus ab initio crepusculi usque ad diluculum; per *mane* vero diem, idest totum tempus quod relinquitur usque ad vesperam: et sic nocturno diurnoque tempore totus dies naturalis absumitur. Aiunt praeterea [249] diem naturalem a primae noctis initio exordium sumere et in sequentis noctis principio terminari; idque firmant ex eo, quod lucem hic videantur tenebrae antegressae, quoniam *tenebrae* prius, quae *nox* a Deo dicuntur, *erant super faciem abyssi:* mox subsecuta lux est, dicente Deo: *Fiat lux.* Insuper in *Levitico* [250] legitur [251]: *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.*

Ab Hebraeis dicitur *vespere*, temporis spatium a crepusculo ad diluculum; *mane* autem, a diluculo ad crepusculum.

Nostri autem aliter sentiunt. Per *vespere* nanque diurni temporis finem intelligunt, per *mane* vero finem nocturni; itaque factum est vespere prius et postea mane, quoniam primus dies vesperam habuit, mane non habuit; mane enim dicitur finis praecedentis diei et initium sequentis, quod est aurora, quae nec plenam lucem nec omnino tenebras habet. Quoniam ergo dies non praecesserat, qui sequentis diei initio terminaretur, hinc primus dies mane non habuit, eo praecipue quia luce apparente, mox super terram plenus atque praeclarus dies extitit, qui non ab aurora, sed a clara luce inchoavit et mane sequentis diei consummatus est. Occidente ergo luce et paulatim, post spatium diurnae longitudinis, inferiores partes subeunte, factum est vespere, sicut nunc usitato cursu solis fieri solet; factum est autem mane eadem super terram redeunte et alium diem inchoante, et dies expletus est unus vigintiquattuor horarum.

A nostris vero per *vespere* intelligitur finis diurni temporis, et per *mane*, finis nocturni.

Ita exponit Venerabilis Beda [252], et D. Ambrosius

248) 38, 7. 248a) Cf. Is 24, 11; Pagnini op. cit. sub his radicibus, col. 308. 2071.
249) Cf. S. Hieronymus *Comment. in Ionam*, (P. L. 25, 1131); Vatablus, col. 15; Drusius col. 21. 30. 250) Ms.: *Exodo.* 251) 23, 32. 252) *Hexaem.*, lib. 1, (P. L. 91, 17-18).

uti exponunt Beda, Ambrosius, Chrysostomus et Basilius.

expressius in *Hexaemeron* [253]; ita etiam D. Ioannes Chrysostomus exponit inquiens [254]: « Finem diei et finem noctis unum signanter nominavit, ut ordinem quendam et consequentiam statueret visibilium et nulla fieret confusio ». Idem sentit D. Basilius in *Hexaemeron*, idipsum exponens [255]. Nec mirum si *vesperis* appellatione dies intelligatur, *mane* autem nox; res etenim quaelibet a termino potius et fine nomen accipit, quam ab initio. Cum ergo vespere diurni sit temporis ultimum, mane vero nocturni, potuit istud *mane* illud vero *vespere* denominari.

Aliae aliorum sententiae de horum verborum interpretatione prorsus vanae.

Scio alios ex recentioribus aliter interpretari. Nonnulli enim nomine *vesperis* noctem intelligentes, asserunt [256] Moysen ideo noctem praetulisse diei, quia sol in altero sit creatus hemisphaerio, ita quod in hemisphaerio gentis, ad quam scribebat, prius nox deinde dies exorta sit, ut dum lux diem in illo perageret, hoc noctis tenebrae occuparent. Alii non desunt dicentes [257] a primae productionis exordio creaturae usque ad lucis creationem duodecim excurrisse horas, quae hic *vesperis* nomine intelligendae sunt, et iccirco hic vesperam anteponi diei, quod in duodecim illis horis sint tenebrae lucem antegressae. Sed huiusmodi positiones nec ratione nec auctoritate fulciuntur.

Iuxta Basilium et Ambrosium, dicitur a Moyse *dies unus*, non *dies primus*, ut coniungeretur unico spatio tempus diei ac noctis;

Sed quam ob causam non dixit *primum diem*, sed *unum*, ubi magis conveniebat allato ordine secundum diem et tertium atque quartum eum, qui omnes anteibat, diem *primum* appellare, non *unum?* Rabbinus Salomon respondet [258] id scriptum esse, « eo quod Deus solus esset in suo saeculo, quoniam angeli secundo die creati sunt, sicut exponitur in *Bereshit Rabba* ». Sed hoc est praeter rem. D. Basilius [259] et Ambrosius [260] quandam assignant rationem aliam, tum secundum litteram tum etiam secundum altiorem sensum. Primo: *unum* dixit, ut diei noctisque spatium definiret ac tempus utriusque, nempe diei ac noctis, coniungeret, ita ut ex vigin-

253) *Hexaem.*, lib. 1, cp. 10, ibid. 14, 144. 254) *Hom. 3 in Gen.*, (P. G. 53, 35). 255) *Hom. 2 in Hexaem.*, ibid. 29, 50. 256) Cf. S. Beda *Hexaem.*, lib. 1, (P. L. 91, 18); Strabus *Glossa Ord. in Gen.*, ibid. 113, 71; Tostatus op. cit. f. 3a; Catharinus apud Pererium *Comment. in Gen.*, lib. 1, t. 1, pag. 86. 257) *Aegidius Romanus:* « Parva fuit morula inter creationem mundi et productionem lucis ». *Hexaem.*, lib. 1. cp. 19, f. 43a; lib. 2, cp. 7, f. 76a. 258) Op. cit. f. 2b; et pag. 121, not. 98-99 huius cp. 259) *Hom. 2 in Hexaem.*, (P. G. 29, 50-51). 260) *Hexaem.*, lib. 1, cp. 10, (P. L. 14, 143-144).

tiquattuor horis unius diei spatium finiretur, atque ita et nox sub diei vocabulo subintelligeretur: ut etsi in solstitiis altera exuperet alteram, definito tamen tempore totum utriusque simul spatium sit descriptum, quasi diceret: quattuor et viginti horae spatium est unius diei. Etiam quia coeli ab eodem signo ad idem revolutio uno die peragitur, ita ut quoties iuxta solis circuitum vespera et mane mundum occupant, non id prolixiore tempore, sed in unius diei spatio suam expleat periodum. Secunda «ratio potior[261], quae in arcanis secretisque litteris traditur. Deus sane, qui temporis naturam creavit, mensuras ipsi ac signa, nimirum spatia dierum adiunxit septimanaque ipsum metiens in orbem, septimanam in sese versari iussit curricula temporis et motiones enumerantem, et unum item diem septimanam conficere ipsum in sese septies redeuntem; id autem orbis subit effigiem a sese incipiens et in seipsum desinens, quod iam et sui aevi proprium esse constat in seipsum converti et nequaquam terminari. Quamobrem temporis caput non diem primum, sed unum appellavit, ut ex appellatione etiam affinitatem ad futurum saeculum sortiatur. Is enim, qui unici principii et incommunicabilis ad aliud prae sese fert formam, proprie sane atque apposite unus est nuncupatus ... Ut ergo ad futuram illam vitam, quae dies unus dicitur, iuxta illud: *Dies enim Domini magnus est et praeclarus*[262], statumque futurum illum nostram M o y s e s mentem erigeret atque deduceret, *unum* eum appellavit diem, qui saeculi ipsius imago, qui dierum primitiae, qui luci coaetaneus est, ipsum inquam sanctum dominicum diem, quem[263] resurrectio Domini honore praecipuo affecit». Haec duplex ratio horum Doctorum. I o a n n e s C h r y s o s t o m u s assignat[264] etiam primam rationem..

tum quia dies hic primus consideratur ut temporis principium,

tum etiam quia imago est magni illius diei perpetuo splendore illuminati, idest vitae aeternae in saeculo futuro.

Mihi tamen videtur dicendum id esse iuxta phrasim hebraicam; apud Hebraeos enim u n u s non raro ordinis est; primus ergo unus in ea lingua persaepe dicitur, quod loquendi genus etiam in Evangeliis reperitur, quorum phrasis fere tota hebraica est; *una* enim *sabbati*[265], sicut et T h e o p h y l a c t u s exponit[266] et quamplures alii[267],

Rectius tamen videtur, quod hoc dicitur iuxta modum linguae hebraicae, in qua *unus* sumitur pro *primo*.

261) *Hom. 2 in Hexaem.*, (P. G. 29, 50-51). 262) Ioel 2, 11. Vulg.: *Magnus enim dies Domini et terribilis.* 263) Ms.: *Quae.* 264) *Hom. 3 in Gen.*, (P. G. 53, 35). 265) Cf. Mc 16, 2 ; Lc 24, 1 ; Io 20, 1. 19. 266) *Enarrat. in Evang. Io.*, cp. 20, (P. G. 124, 287). 267) Cf. S. Augustinus *Tract. 120 in Io.*, (P. L. 35, 1954); S. Beda *Exposit. in Lucae Evang.*, lib. 6 cp. 24, ibid. 92, 622; *Exegetica Genuina*, cp. 20, ibid. col. 817;

primam sabbati sonat, idest primam hebdomadae, et *una mensis* primam diem mensis [268].

Ex his autem, quae dicta sunt, non modicam difficultatem afferunt ea, quae dicuntur de Deo: quid sit *Deum dicere;* ait enim: *Dixitque Deus: Fiat lux;* deinde: quid sit *Deum videre lucem quod esset bona;* tertio: quid sit *Deum appellare lucem diem et tenebras noctem.*

Dixit Deus, non strepitu verborum, qui per organa vocis editur, sed divinae voluntatis iussio intelligitur, sicut exponunt Basilius, Ambrosius

Quoad primum, D. Basilius sic inquit [269]: « In Deo cum vocem, verbum et praeceptum asserimus, cave intelligas aut cogites eum strepitum, qui per vocis organa editur; non item aerem linguae officio articulatum et impressum: sed momentum id eamve inclinationem divinae voluntatis censemus in praecepti speciem figurari, quo eorum, qui docentur, velut oculis res subiecta colliquescat et manifestetur expressius ». D. Ambrosius idem sentit omnino. Ait enim [270] : « Plena vox luminis non dispositionis apparatum significat, sed operationis resplendet effectu. Naturae opifex lucem locutus est et creavit. Sermo Dei voluntas est, opus Dei natura est ». Et paulo post: « *Dixitque Deus,* non ut per vocis organa quidam sonus sermonis exiret, nec ut linguae motus coeleste formaret eloquium atque aerem istum quidam verborum strepitus verberaret: sed ut voluntatis suae cognitionem proderet operationis effectu ».

et Rab. Gaon,

Eadem fuit sententia Rabbini Gaon, qui, ut Aben Ezra refert [271], ita exponit: «ויאמר כמו וירצה, idest: Et dixit, est sicut et voluit et fuit, sic fuit ut esset lux ipsa ad videndum iuxta obedientiam suam, iuxta illud: *Verbo Domini coeli firmati sunt,* seu *facti,* quoniam *ipse mandavit, et creata sunt* [272]; et est pronomen super opus quod non fuit, et est per modum parabolae regis et servi eius; et haec lux fuit ad ornandum aerem ». Sentit ergo hic doctor Deum dicere ut lux fiat, nihil aliud esse quam iuxta praeceptum voluntatis suae eam in esse producere. In lingua etiam hebraica *dicere* aliquando internum animi conceptum voluntatemque designat. In *Exodo* enim, ubi nos legimus [273]: *Num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Aegyptium?* hebraice legitur: *Num interficere me*

et consonum magis est modo loquendi S. Scripturae.

Albinus sive Alcuinus *Comment. in S. Io. Evang.*, ibid. 100, 987; Rupertus *Comment. in Io.*, lib. 14, ibid. 169, 798. 268) Cf. Ez 29, 17; 31, 1; 32, 1; 45, 18; Agg 1, 1.
269) *Hom. 2 in Hexaem.*, (P. G. 29, 46). 270) *Hexaem.*, lib. 1, cp. 9, (P. L. 14, 142).
271) Op. cit. f. 2b. 272) Ps 32, 6. 9. 273) 2, 14.

tu dicis ? אתה אמר, ubi nostra Translatio sensum traduxit, pro *velle* enim ponitur.

D. Augustinus tamen hunc locum ita exponit[274], ut hoc ad naturam Verbi pertineat, « de quo dicitur : *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum*[275]. Cum enim de illo dicatur: *Omnia per ipsum facta sunt*[276], satis ostenditur et lux per ipsum facta, cum dixit Deus: *Fiat lux.* Quod si ita est, aeternum est quod dixit Deus: *Fiat lux,* quia Verbum Dei Deus apud Deum, Filius unicus Dei, Patri coaeternus est, quamvis Deo hoc in aeterno Verbo dicente, creatura temporalis facta sit ». Dixit ergo Deus, non temporaliter, non sono vocis, sed in Verbo sibi coaeterno, idest Verbum genuit intemporaliter, in quo erat et disposuit ab aeterno, ut fieret in tempore et in eo factum est. Cum ergo audimus: *Et dixit Deus : Fiat,* intelligimus in Verbo esse ut fieret; cum vero addit: *Et factum est ita,* intelligimus factam creaturam non excessisse in Verbo terminos generis sui ». Haec est D. Augustini sententia[277]. Ut autem, quod dicitur, clarius lucidiusque colliquescat, nonnulla, iuxta scholasticorum theologorum sententiam, in medium adducere non pigebit.

D. tamen Augustinus hoc intelligit de Verbo aeterno, in quo Deus in tempore creavit, quae ab aeterno in Eo disposuerat ut fierent.

Apud theologos ergo Sanctosque Doctores tripliciter invenitur accipi ipsum *dicere.* Quandoque essentialiter, et sic idem est ac intelligere seu declarare, iuxta quem modum S. Anselmus in *Monologio* inquit[278]: « *Dicere* summo Spiritui nihil aliud est quam cogitando intueri »; et iterum[279]: unusquisque se in Trinitate *dicit,* quoniam omnis Persona divina intelligit se formaliter atque ita seipsam formaliter *dicit.* Sic etiam quaelibet Persona divina *dicit* omnia intelligibilia, quia seipsam et sua intelligentia omnia intelligit.

***Dicere* tripliciter accipitur; primo: *essentialiter,* et tribuitur tribus divinis Personis, quae se formaliter et omnia intelligibilia intelligunt;**

Secundo modo *dicere* accipitur pure notionaliter, seu personaliter, et sic nihil aliud est quam Verbum gignere, idque soli Patri convenit, qui Verbum gignit et solum Verbum hoc modo *dicit,* est enim per modum intellectus producere et hoc non convenit nisi Patri.

secundo: *personaliter,* et tribuitur soli Patri, qui Verbum gignit per modum intellectus;

Tertio autem modo sumi consuevit nec pure essentialiter, nec pure personaliter, sed includit utrumque

274) *De Genesi ad Litteram,* lib. 1, cp. 2, (P. L. 34, 248). 275) Io 1, 1. 276) Ibid. vr. 2. 277) *De Genesi ad Litteram.,* lib. 1, cp. 2-9, (P. L. 34, 248-255). 278) Cp. 63, ibid. 158, 208. 279) Ibid. col. 209.

tertio: nec pure essentialiter, nec pure personaliter, et tribuitur Patri quatenus et Verbum gignit, et omnia, quae in Verbo sunt, declarat.

estque notitia a se producta omne declarabile declarare; iuxta quod D. Augustinus inquit[280]: «Proinde tanquam seipsum *dicens* Pater genuit Filium sibi aequalem per omnia; non enim seipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in eius Verbo quam in ipso. Pater enim in Verbo, quem genuit, et seipsum declarat et omnia, quae sunt in ipso». Itaque hoc modo solus Pater *dicit*, sed non solum Verbum, sed etiam omne, quod Verbo a se genito declarat; et sic *dicere* duos habet actus, scilicet gignere et declarare, quorum unus terminatur solum ad personam Verbi, alius ad omne declarabile, quod relucet in Verbo. Atque hoc modo, inquit D. Anselmus[281], «cum summus Spiritus seipsum *dicit*, dicit omnia, quae facta sunt»; omnia enim, quae facta sunt, in Verbo erant et relucebant.

Attamen non solus Pater per solum Filium operatur, sed etiam per Spiritum Sanctum,

Nec intelligendum est solum Patrem per solum Filium operari; nam, ut inquit D. Augustinus[282] super illud: *Verbo Domini coeli firmati sunt et spiritu oris eius omnis virtus eorum*[283], Pater operatur per Verbum suum et Spiritum Sanctum suntque divinarum Personarum actiones ad extra indivisae omnibusque communes; at quamvis Pater simul cum Filio et Spiritu Sancto simul operetur nihilque faciat sine eis, attamen quia non Pater a Filio, sed a Patre Filius et ab utroque Spiritus Sanctus habet ut operetur, iccirco Pater per Filium et Spiritum Sanctum dicitur operari. Atque etiam quia ut artifex operatur Deus, sicut in *Sapientia*[284] *omnium artifex* dicitur: artifex autem et per intellectum et per voluntatem operatur, nam et vult et intelligit; ita Deus per Filium dicitur operari cui intellectus appropriatur, cum a Patre per modum intellectus procedat, et per Spiritum Sanctum, qui a Patre et Filio per modum voluntatis procedit. Ipsa tamen actio simul communis est tribus, nec ulli propria est: et *dicere* hic non[285] pure personaliter accipitur, sed divinarum Personarum intellectionem quandam importat secundum praxim, divina simul voluntate praeeunte atque iubente; et hic *dicere* Dei *facere* proprie est, iuxta aeternam rerum in Verbo dispositionem et divinae imperium voluntatis. Etenim iam hoc ipso

quia actiones divinarum Personarum ad extra sunt communes et indivisae.

280) *De Trinitate*, lib. 15, cp. 14, (P. L. 42, 1076-1077). 281) *Monologium*, cp. 34, ibid. 158, 189. 282) *Enarrat. in Ps. 32*, ibid. 36, 288. 283) Ps 32, 6. 284) 7, 21. 285) Ms.: *Non* repetitur.

constituto, quod iam illa prima Persona semetipsam intelligendo *dicit*, et dicendo generat Filium, et semetipsam ac Filium amando, spirat Spiritum Sanctum; videt etiam in se et in Verbo suo, quo se totam exprimit, omnium ideas naturarum, quas naturas videt etiam esse creabiles, ut aliquo modo sint extra ipsum. Eas ergo ita intelligens et in coaeterno sibi Verbo praecognoscens, et optima et aeterna voluntate sua in illo Spiritu Sancto pleno bonitatis et gratiae, placuit ei ut sic essent, idest ex illo ad suum esse exirent, non natura producendo illas aut ex necessitate naturae, sed ex beneplacito et mera voluntate. Sic ergo volens, imperiose dixit: *Fiant*, idest *iussit esse*, suo hoc dicto ineffabiliter eas proferens.

Ideo Pater videns in Verbo ideas naturarum creabilium, in Spiritu S. placuit et voluit ad suum esse illas exire.

Explicata iam utcumque prima particula, accedendum est ad secundam, scilicet quid sit *Deum videre lucem quod esset bona*. D. Ambrosius hoc ita exponit[286]: « *Et vidit Deus* etc.; nec quod ignorabat vidit; nec id, quod nesciebat antea aut non viderat, comprobavit: sed bonorum operum proprium est ut externo commendatore non egeant, sed gratiam suam, cum videntur, ipsa testentur ». Et paulo post[287]: « Propriis itaque sermonibus naturam lucis expressit, quae videndo complacet, quoniam ipsa videndi officium subministrat. *Vidit* ergo Deus lucem et vultu suo illuminavit et *vidit* quia bona est, non ex parte Dei, sed ex generali iudicium est ».

Et *vidit*, etc.: non quasi antea nesciret et postea cognosceret lucis bonitatem,

D. Ioannes Chrysostomus inquit humano more locutum esse Moysen; ait enim[288]: « Num priusquam fieret lux, nesciebat quod bona, sed postquam producta fuit, aspectus ostendit opifici pulcritudinem et bonitatem productae? Et quis cui cor est tale quiddam diceret ? Nam si homo, qui aliquid per artem operatur, priusquam fabricet quod vult facere et priusquam formet scit, usum eius quod elaborare statuit : quanto magis omnium opifex, qui verbo omnia, ut essent, produxit, sciebat antequam lucem faceret, quod esset bona. Quare ergo hac dictione usus est? Demittit se et iuxta humanam consuetudinem haec omnia loquitur beatus ille Propheta. Et quemadmodum homines, cum aliquid magno studio elaboraverint, et finem laboribus suis imposuerint, tunc tandem probant quid fecerint, atque ita opus laudibus extollunt: sic et divina Scriptura solet

sed humano more S. Scriptura loquens, indicat complementum et perfectionem huius creaturae.

Sic interpretantur Ambrosius, Chrysostomus

286) *Hexaem.*, lib. 1, cp. 9, (P. L. 14, 142). 287) Ibid. col. 143. 288) *Hom. 3 in Gen.*, (P. G. 53, 34-35).

et nunc, cum se ad nostrarum aurium infirmitatem demisit, et dixit: *Et vidit Deus* », etc.

et Augustinus.

D. Augustinus, in *Genesi contra Manichaeos*, idem tenet[289], « quod scilicet complacuit sibi Deus in opere suo, sicut artifex, hisque verbis non ostendi eluxisse Deo incognitum bonum, sed placuisse perfectum ». In libro etiam *De Genesi ad Litteram Imperfecto*, sic ait[290]: « *Et vidit Deus lucem*, etc. Ista sententia non quasi insoliti benevolentiam, sed approbationem operis significare oportet intelligi. Quid enim convenientius de Deo dicitur, quantum inter homines dici potest, quam cum ita ponitur: *dixit, factum est, placuit ?* ita ut in eo, quod *dixit*, imperium eius intelligatur; in eo, quod *factum est*, potentia; in eo, quod *placuit*, benignitas; sicut ineffabilia per hominem hominibus ita ut omnibus prodessent dici debuerunt ».

Alii exponunt lucem vocari bonam, quia ita facta fuit ut Deus voluit,

Nonnulli etiam ita interpretantur[291]: *Vidit*[292], idest *videri fecit*, faciens nos manifestissimis effectibus lucis bonitatem cognoscere; liquido nanque patet eam ad quamplurima conferre, ne dicam ad omnia corporalia. Similis loquendi modus in compluribus Sacrae Scripturae locis reperitur, ut: *Nunc cognovi quod timeas Dominum*[293], idest *cognosci feci*, etc. Rabbinus Aben Ezra istud *videre* exponit[294] esse in cogitatione seu existimatione, idest quod Deus factam lucem bonam existimavit; et est eadem sententia.

sicut antea in Verbo suo disposuerat ut eam faceret.

Huius ergo dictionis hic est sensus: *Vidit*, etc.: cognovit Deus et intellexit in benignitate Spiritus sui, non quasi ante ignotam et cognitam postquam lux facta est, sibi placuisse, sed eadem bonitate placuisse ut facta maneret[295], qua placuit ut fieret: quoniam facta non excessit vel minuit praefixos in Verbo terminos generis sui; sed facta est ita omnino, sicut iam ante in Verbo suo disposuerat Deus ut eam faceret[296]. Hoc ergo est quod dicit: *Et vidit Deus lucem quod esset bona*. Ita etiam intelligendum est quoties in subsequentibus dicitur *vidisse Deum*, etc.

Appellavitque

Elucidata prima et secunda particula iuxta nostrae debilitatis[297] modum, tertia se nobis ultro explicanda offert, quid sit *Deum*

289) Lib. 1, cp. 8, (P. L. 34, 179), 290) Cp. 5, ibid. col. 278. 291) Cf. Remigius *Comment. in Gen.*, ibid. 131, 55; Honorius *Hexaem*, ibid. 172, 255. 292) Ms.: *Vidi*. 293) Gn 22, 12, Vulg.: *Timens Deum*. 294) Op. cit. f. 2b. 295) Ms.: *Manere*. 296) Cf. S. Beda *Hexaem.*, lib. 1, (P. L. 91, 19); *De Sex Dierum Creatione*, ibid. 93, 211. 297) Ms.: *Debilatis*.

appellare lucem diem, etc. D. Ioannes Chrysostomus inquit[298], post lucis tenebrarumque distinctionem, Deum ipsis vocabula indidisse, quibus vocarentur. D. Ambrosius vero putat[299] et hoc ad distinctionem pertinere, ut etiam nomine ipso diem noctemque distingueret, sicut natura locoque distinguuntur et causa.

lucem diem et tenebras noctem, ut nomine ipso dies et nox distinguerentur, sicut distinguuntur natura, loco et causa.

D. Augustinus *De Genesi contra Manichaeos*, huius loci hanc affert expositionem, dicens[300] « hoc totum ad intellectum nostrum dictum esse. Qua enim lingua vocavit Deus *lucem diem et tenebras noctem* ? Utrum hebraea, an graeca, an latina, an aliqua alia ? Sed apud Deum purus intellectus est, sine strepitu et diversitate linguarum. *Vocavit* autem dictum est vocari fecit, quia sic distinxit omnia et ordinavit ut et discerni possent et nomina accipere ».

et suum nomen distinctum acciperent.

In libro vero singulari *De Genesi ad Litteram Imperfecto*, praemonet prius[301] per lucem et tenebras non esse accipienda nomina ipsa, ex eo quod haec, « in quantum ad res significandas articulata voce enuntiantur, nomina sunt »; quia cum dixit Deus: *Fiat lux*, et: *Divisit inter lucem et tenebras*, « nondum de vocabulis agebatur »; sed ita accipiendum esse, « quia enunciari aliter non posset res, quae nomen accepit, nisi aliquo nomine ». Tunc ipse aliam expositionem adducit, ut haec vocatio accipienda sit ipsa distinctio; non enim omnis lux dies et omnes tenebrae nox: sed lux et tenebrae, certis inter se vicibus ordinatae atque distinctae, diei et noctis nominibus appellantur. Adhuc aliam subinfert, quoniam inquirendo procedit, ut haec vocabula « significare nobis velint quam lucem dixerit et quas tenebras, tanquam diceret: Fecit Deus lucem, et *divisit inter lucem et tenebras;* lucem autem dico diem et tenebras dico noctem, ne aliquam aliam lucem intelligas, quae non sit dies, et ne aliquas alias tenebras intelligas, quae non sunt nox ».

et ut indicaret huius lucis officium quod est ad efficiendum diem.

In primo autem libro *De Genesi ad Litteram*, altius id exponit[302], quod appellaverit *Deus lucem diem et tenebras noctem :* « Quia Verbo sibi coaeterno, idest incommutabilis sapientiae internis aeternisque rationibus, non corporali sono vocis, *vocavit Deus lucem diem et tenebras noctem* ». Et haec sufficiant pro elucidatione huius dictionis. Accedamus nunc ad opus secundi diei.

Sic autem appellavit, non sono vocis physico, sed Verbo suo coaeterno.

298) *Hom.* 3 *in Gen.*, (P. G. 53, 34). 299) *Hexaem.*, lib. 1, cp. 9, (P. L. 14, 143).
300) Lib. 1, cp. 9, ibid. 34, 180. 301) Cp. 6, ibid. col. 230. 302) Cp. 10, ibid. col. 253.

Vr. 6 *Dixitque quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum.*
Hebraice: וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים יְהִי רָקִיעַ בְּתוֹךְ הַמָּיִם.
Chaldaice: וַאֲמַר יְיָ יְהֵי רְקִיעָא בִּמְצִיעוּת מַיָּא: *Et dixit Deus: Sit firmamentum in medio aquarum.*

Et dividat aquas ab aquis.
Hebraice: וִיהִי מַבְדִּיל בֵּין מַיִם לָמָיִם.
Chaldaice: וִיהֵי מַפְרִישׁ בֵּין מַיָּא לְמַיָּא: *Et sit dividens inter aquas et aquas.*

Fiat firmamentum, etc. Hebraice firmamentum significat extensionem, graece autem firmitatem.

Quod Septuaginta στερέωμα transtulerunt et post ipsos noster Interpres *firmamentum* transtulit, Textus Hebraicus habet: רָקִיעַ, quod extensionem seu porrectionem quandam sonat, sive id quod extensum et porrectum est, deductum a verbo רָקַע, quod est extendere et porrigere; quemadmodum in *Exodo* legitur: וַיְרַקְּעוּ אֶת־פַּחֵי הַזָּהָב: *Et extenderunt bracteas*, sive *laminas aureas*[303]. *Coelum* autem רָקִיעַ dicitur, eo quod expansum extensumque sit super terram. Ad huiusmodi ergo porrectionem et extensionem seu diffusionem respicientes Hebraei *coelum* רָקִיעַ vocaverunt. At vero quoniam coeleste corpus solidum et firmum est, sicut apud Beatum Iob legimus[304]: *Tu forsitan cum eo fabricatus es coelos, qui solidissimi, quasi aere, fundati sunt?* eapropter, ut existimo, Septuaginta, quod Hebraei רָקִיעַ, στερέωμα, a verbo στερεόω, quod est firmo, vocaverunt et Latinus Interpres eos imitatus, *firmamentum* transtulit.

Per firmamentum alii intelligunt illam aeris partem in qua nubes condensantur;

Quid autem *firmamenti* appellatione intelligendum sit, non una omnium est sententia. Quidam *firmamenti* nomine intellexerunt illam aeris partem, in qua nubes condensantur atque condensationem quandam tunc factam putarunt firmamenti nomine significari[305]. Huic tamen positioni, praeter cetera, illud repugnat quod luminaria magna et stellae in firmamento coeli a Deo posita dicantur, quae proculdubio non sunt in ea parte aeris. Hanc positionem reprobat etiam D. Ba-

303) 39, 3. 304) 37, 18. Vulg.: *Fusi*, loco: *Fundati*. 305) Cf. S. Augustinus *De Genesi ad Litteram*, lib. 2, cp. 4, (P. L. 34, 265); Rupertus *De Trinitate et Operibus Eius, In Gen.*, lib. 1, cp. 22, ibid. 167. 219; Abaelardus *Exposit. in Hexaem.*, ibid. 178, 742.

silius in *Hexaemeron*[306]. Alii, eo quod supra creatum, auctore Deo, et conditum coelum Scriptura expresserit, hic aiunt[307] expositionem operis creationisque Moysen prosequi, ut ibi quasi summa operis breviter comprehensa sit, hic operationis qualitas per ipsas concurrentium rerum species sit digesta. Ut quemadmodum artifex quis domum extruxisse dicitur et mox prius fundamenta iecisse, inde erexisse parietes, demum superposuisse tecta subnectitur; sic Moyses proposuerit primo totius divinae operationis creationisque summarium, dicens: *In principio creavit Deus coelum et terram,* ex duobus, quae extrema sunt, totius existentiam summa quadam complectens, tanquam prolepsi usus; iuxta quem modum frequentissime in Sacra Scriptura *coelum et terra* pro universa rerum constitutione desumitur[308]; nunc vero operationis ordinem prosequatur. Et iuxta horum sententiam, coelum unum ac idem est et ibi positum et hic inter medium aquarum factum.

alii intelligunt ipsum coelum in principio creatum, cuius nunc qualitas et operatio indicantur.

Id manifeste videtur sensisse ex professo Chrysostomus, qui etiam constantissime asserit[309] unum tantum esse coelum, nec plura corpora coelestia dari uno. At vero quamvis multi sint eum secuti, auctoritate magis quam ratione ducti, in hac tamen parte non est sequendus, quia et Scripturae, quae et *coelum tertium*[310] et *coelos coelorum*[311] saepissime adducit, necnon et sensui repugnat. Unde D. Ambrosius diversum asserit[312] coelum hoc, quod hic *firmamentum* dicitur et de quo supra dictum est. Idem tenent D. Basilius[313] et Damascenus[314], necnon Beda[315] et Strabus[316]; sed hi posteriores de coelo sidereo[317] intelligunt, quod prius dictum est. Secundum Augustinum vero[318] creatura spiritualis, hoc est natura angelica intelligitur. Damascenus vero[319] coelum quoddam sphaericum sine stellis [intelligit] de

Sic sentit D. Chrysostomus.

At contra sentiunt plures alii Patres, asserentes firmamentum hoc diversum esse a coelo, de quo loquitur Moyses in principio.

306) *Hom. 3*, (P. G. 29, 59-62). 307) Cf. S. Beda *Comment. in Pentat.*, (P. L. 91, 192); Philo Iudaeus *De Mundi Opificio*, t. 1, pag. 5. 308) Cf. Gn 14, 19. 22: 24, 3; Ex 20, 11; Dt 4, 26; 1 Par 16, 31; 1 Esr 5, 11; 9, 6; Idt 13, 24; Est 13, 10. 309) *Hom. 4 in Gen.*, (P. G. 53, 43). 310) Cf. 2 Cor 12, 2. 311) Cf. Dt 10, 14; 2 Esr 9, 6; 3 Rg 8, 27; Ps 67, 34; 148, 4. 312) *Hexaem.*, lib. 2, cp. 4, (P. L. 14, 152). 313) *Hom. 3 in Hexaem.*, (P. G. 29, 55-58). 314) *De Fide Orthodoxa*, lib. 2, cp. 6, ibid. 94, 879. 315) *Comment. in Pentat.*, (P. L. 91, 192). 316) *Glossa Ord. in Gen.*, ibid. 113, 72. 317) Ms.: *Empireo.* 318) *De Genesi ad Litteram*, lib. 1, cp. 9, (P. L. 34, 252); cp. 17, ibid. col. 258. 319) *De Fide Orthodoxa*, lib. 2, cp. 6, (P. G. 94, 879–883).

quo loquuntur philosophi, dicentes[320] ipsum esse nonam sphaeram et mobile primum, quod movetur motu diurno.

Decem sunt corpora coelestia, idest coelum empyreum, coelum crystallinum, coelum stelliferum, et infra hoc septem planetarum orbes.

Nos tamen haec omnia eo nomine intelligimus, ut iam supra explicuimus; per *firmamentum* vero omnes[321] fere coelum stelliferum intelligunt cum septem planetarum orbibus: Saturni, Iovis, Martis, Solis, Mercurii, Veneris atque Lunae. Ita quod coelestia corpora decem ponimus: primum et supremum est empyreum, in quo est quies vitaque sempiterna, luce maxima decoratum, qui locus est beatorum convenientissimus; secundum est coelum aqueum, sive crystallinum, quod est primum mobile, quod ab oriente in occidentem uniformiter unius diei spatio movetur circulari latione; tertium est coelum stelliferum, fixis ornatum stellis, quod virtute superioris corporis trahitur diurno motu — nec tamen proprio destituitur — ab occidente in orientem, quo tempore determinato circumagitur. Infra hoc coelum sunt septem coeli seu sphaerae, vel planetarum orbes eo, ut supra posuimus, ordine constituti.

Astrologi antiqui octavum coelum sensu deprehenderunt, nonum ratione; decimum a nostris et Hebraeis creditur esse.

Novem coelorum orbes infra primum coelum, quod est inter corpora primum, quos moveri necesse est, astrologi antiqui deprehenderunt[322], usque ad octavum sensu praevenientes; nonum ratione investigarunt, non sensu. Sed supra novem hos coelorum orbes decimum esse coelum, fixum manens et quietum, nedum a nostris creditum est, sed a nonnullis etiam Hebraeorum[323]. Nanque Rabbinus Isaac decem statuit[324] coelos, orbemque decimum ab Ezechiele[325] designatum intelligit per saphirum, *in similitudinem throni:* ut color saphiri lucis nitorem, throni similitudo immobilitatem eius significet. Figuratas item intelligit decem sphaeras a Zacharia[326],

320) Cf. Conimbricenses *De Coelo*, lib. 2, cp. 5, q. 1, a. 1-2. 321) Cf. S. Beda *In Hexaem.*, (P. L. 91, 17); Nic. Lyranus op. cit. f. 24^b; Aegidius Romanus *Hexaem.*, lib. 1, cp. 14, f. 31^a sqq.; Io. Menochius *Explicat. in Gen.*, pag. 2. 322) Cf. Conimbricenses *De Coelo*, lib. 2, cp. 5, q. 1, a. 1; *Pererius:* « Ad Ptolomaei usque tempora Mathematici iuxta et Philosophi octo esse coelos censuerunt. Ptolomaeus et posteriores Mathematici, comperto motu octavi orbis... nonum coelum addiderunt. Ante annos vero fere trecentos... certa observatione deprehensus est a Mathematicis alius quidam eiusdem orbis motus..., quamobrem decimum coelum ponere coacti sunt. Ex sententia igitur Mathematicorum, quae nunc ferme recepta est in scholis, decem sunt coeli mobiles, quibus addendum est undecimum, quod theologi empyreum nominaverunt ». *Comment. in Gen.*, lib. 2, q. 4, t. 1, pag. 214. Cf. etiam Aegidius Romanus *Hexaem.*, lib. 1, cp. 16, f. 36^a–37^a. 323) Maimonides *More Nebuchim*, part. 2, cp. 9, pag. 205-206. 324) Apud Io. Picum Mirandula *Heptaplus*, *Secunda expositio de mundo coelesti*, *De coelo empyreo*, cp. 1, sine numeratione foliorum; et apud Conimbricenses iisdem fere verbis. *De Coelo*, lib. 2, cp. 5, q. 1, a. 2. 325) 1, 26. 326) Cf. 4, 2.

per candelabrum aureum distinctum septem lucernis et lampadem super caput eius; tamen super lampadem olivas duas. Cum enim septem lucernae septem planetas indicent, et lampas circulum octavum tot luminibus fulgentem, vult per duas olivas indicari nonam et decimam sphaeram, propterea quod ex olivis oleum fluit ad lampades et lucernas ad luminis nutrimentum; et a supremo illo coelo, quod totius luminis est principium, per medium sibi proximum lumen infundit in cetera luminaria.

Rab. Aben Ezra decem hos coelos coordinat cum decem decalogi praeceptis.

Rabbinus vero Abraham Aben Ezra *Super Decalogum*[327], et ipse decimum illud coelum ponit. Primum nanque praeceptum occultum in tabulis, quod est: *Diliges Dominum Deum tuum*, etc., ut in *Deuteronomio* exprimitur[328], convenire inquit cum coelo, quod nos empyreum dicimus, nobis occulto, quod provenit a corde, omnibus creatis occulto ac soli Deo noto. Tum ordinem prosequitur convenientiae inter ceteros orbes et praecepta sequentia primum. Secundum praeceptum: *Non adorabis deum alienum*, sed *Dominum Deum tuum*, etc.[329], ait cum primo mobili convenire, quod secum cetera trahit; sic hoc praeceptum. Tertium: *Non assumes nomen*, etc.[330], convenit cum coelo stellifero, in quo sunt duodecim signa; ita in hoc residet divini nominis virtus duodenaria. Quartum: *Sabbata sanctifices*[331], convenit cum Saturno, quod astrum septimum locum ascendendo obtinet. Quintum: de honore parentum[332], convenit cum Iove, honorabili patre generationis, qui honorem simul cum vita praebet, quibus favet. Sextum: *Non occides*[333], cum Marte convenit, qui bellis praeest. Septimum: *Non moechaberis*[334], cum Venere, unde omnis voluptas. Octavum: *Non furtum facies*[335], cum Sole convenit, qui tanquam Dei oculus furta omnia, quae in occulto fiunt, manifestat et, ut semper beneficus, furtis inimicatur et rapinis. Nonum: *Non peierabis*[336], convenit cum Mercurio, qui linguae praeest, per quam verum seu falsum profertur et blasphemiae. Decimum: *Non concupisces*[337], cum Luna matrice siderum, cuius est[338] concupiscere potissimum.

327) Apud Io. Picum Mirandula et apud Conimbricenses l. cit. in not. 324. Opus hoc Rab. Aben Ezrae *In Decagolum*, invenitur recensitum etiam a M. Steinschneider *Catalogus Librorum Hebraicorum Bibl. Bodleianae*, col. 680, n. 4221, 4. Bas. Io. Froben 1521 (?) et a Io. B. De Rossi *Dizionario storico degli autori Ebrei*, pag. 10, sed illud reperire non potuimus.
328) 6, 5. 329) Ibid. 5, 7. 330) Ibid. vr. 11. 331) Ibid. vr. 12. 332) Cf. ibid. vr. 16. 333) Ibid. vr. 17. 334) Ibid. vr. 18. 335) Ibid. vr. 19. 336) Ibid. vr. 20. 337) Ibid. vr. 21. 338) Ms.: *Es*.

Statuunt ergo hi supra novem coelos decimum, quem theologi vocant empyreum. Atque hinc admirabilis quaedam ad spiritualia insurgit proportio. Sunt enim novem angelorum chori, quasi mobiles coeli; sed unus est summus chorus, qui cunctos continet ipse immobilis: Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

Litteraliter per *firmamentum* intelligendum est coelum stelliferum; per *aquas superiores*, coelum crystallinum;

Ad propositum ergo revertentes, dum dicitur hic: *Fiat firmamentum in medio aquarum*, per *firmamentum* hic coelum stelliferum cum ceteris contentis ab eo usque ad lunam intelligimus: cum luminaria magna et stellae in firmamento narrentur posita a Deo; per *aquas* vero *superiores*, coelum crystallinum, quod coelum aquarum dicitur, propter similitudinem quandam, qua in diaphaneitate et perspicuitate assimilatur aquae; dicitur etiam crystallinum, eo quod ad instar crystalli lapidis sit solidum et perspicuum et tanquam aqua glaciali soliditate firmata; per *aquas* vero *inferiores*, elementa, vel potius elementorum materiam intelligimus, quae superius *aqua* dicta est: *Et spiritus Domini ferebatur super aquas;* adhuc enim confusa erat infra orbem lunae, atque permixta elementorum quaedam congeries usque ad diem tertium, in quo distinctionem dispositionemque in sua substantia locaque, prout uniuscuiusque exigebat natura, sortita sunt. Atque per modum huiusmodi est *firmamentum dividens inter aquas et aquas*, quoniam intermedium crystallini coeli elementaque cetera formatum est.

per *aquas inferiores*, elementorum congeries adhuc confusa et indisposita.

Vr. 7 *Fecitque Deus firmamentum divisitque aquas, quae erant super firmamentum, ab aquis quae erant sub firmamento*[339]. *Et factum est ita.*

Hebraice: וַיַּעַשׂ אֱלֹהִים אֶת־הָרָקִיעַ וַיַּבְדֵּל בֵּין הַמַּיִם אֲשֶׁר מִתַּחַת לָרָקִיעַ וּבֵין הַמַּיִם אֲשֶׁר מֵעַל לָרָקִיעַ וַיְהִי־כֵן׃

Chaldaice: וַעֲבַד יְיָ יַת־רְקִיעָא וְאַפְרֵישׁ בֵּין מַיָּא דִּי מִלְּרַע לִרְקִיעָא וּבֵין מַיָּא דִּי מֵעַל לִרְקִיעָא וַהֲוָה־כֵן׃ *Et fecit Deus firmamentum, divisitque firmamentum inter aquas, quae sunt sub firmamento et inter aquas, quae sunt supra firmamentum. Et fuit sic.*

Nonnulli[340] per *aquas super firmamentum* spirituales intelligunt

339) Vr. 7. Vulg.: *Et fecit... quae erant sub firmamento, ab his quae erant super firmamentum.*
340) Cf. Procopius Gazaeus *Comment. in Gen.*, (P. G. 87, 74); S. Hieronymus Epist. 51, (P. L. 22, 523); S. Gregorius M. *Moralium*, lib. 27, cp. 39, ibid. 76, 438; S. Isidorus Hisp. *Quaest. in Gen.*, cp. 1, ibid. 83, 210; Strabus *Glossa Ord. in Gen.* ibid. 113, 72-73.

creaturas mentesque angelicas, eo quod scriptum sit: *Et aquae..., quae super coelos sunt, laudent nomen Domini*[341]. Id sentit Origenes[342].

Divisitque aquas etc. Per aquas superiores alii intelligunt mentes angelicas. Sententia haec reprobatur a D. Basilio et Ambrosio.

Quam sententiam improbant D. Basilius[343] et Ambrosius[344] ratione consimili, asserentes non ob id, quod laudare nomen Domini dicantur aquae, ex eo creaturas spirituales esse, sed quia earum consideratio, prudenter a sensu abundantius contemplata, glorificationem perficit Creatoris. Alioquin, secundum hanc interpretandi formam, ros, pruina, frigus et aestus, quae apud Danielem[345] iussa sunt hymnis omnium celebrare opificem, mentes quaedam erunt intellectu praeditae simul et invisibiles.

Rabbinus Salomon, per *aquas supra firmamentum*, intelligit[346] aquas suspensas in aere.

Iuxta peripateticos *firmamentum est* quoddam corpus coeleste, et simplex, sed non elementare,

De firmamenti autem natura diversi diversa dicunt. Aristoteles[347] et peripatetici omnes tenent corpus coeleste nec aliquod esse ex simplicibus corporibus, quae elementa dicuntur, nec constare ex illis, propterea quod simplicibus corporibus proprius sit motus rectus, levibus ad superna, gravibus ad ima tendentibus; at non idem est sursum et deorsum ferri cum circulari periodo, qui peculiaris est coelo. Quorum autem secundum naturam diversae sunt motiones, eorum diversam esse essentiam necesse est. Eapraeter, quod compositum ex corruptibilibus elementis est, necesse est ut dissolvatur; at nulla in coelo, vel eius partibus, conspicitur permutatio, cum e contra elementa omnia sint variis permutationibus obnoxia. Ob has ratiocinationum necessitates, ad coeli siderumque constitutionem quintam quandam novi corporis essentiam peripatetici statuere, quod nec calidum sit aut frigidum, humidum sive siccum; sed dicunt vires illic quidem elementorum excellentissimas per causae modum ponendas esse: in sphaeris autem elementorum sub luna naturas eorum secundum formam: in compositis autem participatione quadam; sed naturas ipsas elementorum in coelo esse omnino negant.

quod etiam dicitur *quinta substantia* peripateticorum.

Plato autem[348] et academici omnes coelum ex quattuor con-

Academici au-

341) Ps 148, 4. 342) *Hom. 1 in Gen.*, (P. G. 12, 147-148). 343) *Hom. 3 in Hexaem.*, ibid. 29, 74-75. 344) *Hexaem.*, lib. 2, cp. 4, (P. L. 14, 153). 345) Cf. 3, 64-69. 346) Op. cit. f. 2ᵇ. 347) *De Coelo*, lib. 1, cp. 2-3, t. 1, pag. 266-267 ; cf. Conimbricenses *De Coelo*, lib. 1, cp. 2, q. 5, a. 1-3 ; et supra *Dissert. 6*, pag. 102, not. 67. 348) *Timaeus*, t. 3, pag. 32-33. 40 ; cf. S. Thomas *S. Theolog.* 1ᵃ, q. 66, a. 2 ; et etiam Conimbricenses *De Coelo*, lib. 1, cp. 2, q. 5, a. 1-3 ; q. 6, a. 1-6.

tem coelum asserunt constare quattuor elementis, et continere elementorum virtutes et naturas modo excellentissimo;

stare elementis asseverant esseque in eo et virtutes et elementorum naturas; sed virtutes illic in genere quodam longe his excellentiore consistere, et in excellentissimo naturas; et naturam illam ignis eminentissimam praebere coelo sensibile lumen, vivificum calorem motumque promptissimum. Naturam terrae largiri solidam firmamque stabilitatem: item et stellis densitudinem, qua videri possint, et lunae, qua radios repellat solares; naturam aeris praestare perspicuam qualitatem, quam nominant translucentem; naturam aquae afferre delicatissimam et aequabilissimam lenitatem, ipsisque sphaerarum labiis, quibus sese contingunt, inserere virtutem illam frigoris et humoris, per quam fiat ut, quamvis ex velocissimo motu rapidissime et vehementissime se contingant, aestus tamen illic resolutioque non cadat.

et in eo esse quattuor qualitates elementorum;

Asserunt praeterea coelum et vere calidum et vere frigidum, humidum esse atque siccum, cum manifeste elementorum qualitates producat cumque stellae, ut flammeae, luceant earumque radii flammam gerant, qua mortalia sub coelo calefaciunt. Et asserere quod coelum id efficiat per motum, rationi et sensui aiunt adversari; sensui: quia frequenter percipimus longe vehementius et velocius moveri corpora prope nos, nec propterea alia corpora calefacere ita ut calefiunt a coelo; insuper, ex contactu aestivo radiorum solis vehementer corpora sentimus calefieri, quod non contingeret nisi radio inesset caliditas eique haec non inesset nisi coelum ex se caleret. Adversatur etiam rationi: quoniam motus, qui alicuius actus est mobilis a motore dependens, per se id producit solum, ad quod motor suapte natura expetit producere mobile. Localis siquidem motus ad loci per se deducit acquisitionem; at si inde calefactio vel quaevis alia sequatur qualitas, ex eventu est. At cum a coelo diffusus calor omnia servet, cuncta foveat, omnibus vitam impartiatur, omnium generationes absolvat, cuncta purget, servet et vivificet, alienum est a ratione putare a coelo haec ex eventu dependere. Non ergo negandum est coelum esse calidum, sed esse urens; neque dicendum solis lumen sola repercussione calefacere, vel[349] sola [repercussione] comburere. Nam lunae radii repercussi nihil calefaciunt, quoniam in ea virtus aquae

ideo coelum natura sua calidum dicendum esse, licet non urat.

349) Ms.: *Sed.*

dominatur; calefaciunt autem solis radii salubriter pro ignea solis vivificaque natura.

Nec obiiciat quis ex tardiori lunae motu contingere ne lunae radii calefaciant. Nam etsi ponitur esse tardior, tamen tanto propinquior est, quam sol hominibus, ut debeat, si non aeque, aliqualiter tamen calefacere, si repercussione dumtaxat radiorum proveniat calefactio. Neque adducat quis aestum esse ignis proprium; siquidem quo minus alienae miscetur materiae, minus urit. Sed lumen ignis est proprium; quo enim purius, eo lucidius, licet oculis quibusdam non manifestius, et lucet longius quam calefaciat et prius illuminat, et momento [lumen] caloremque largitur, calefacto post ignem ad tempus servante calorem; lumen vero largitur nulli, utpote sibi proprium; siquidem abeunte igne simul et lumen abit. Si ergo lumen in coelo est: ergo et ignis.

Obiiciunt peripatetici quod si coelum compositum esset elementis, corrumperetur.

Solvunt platonici rationes peripateticorum, et primam quidem a motu sumptam, quoniam inquiunt motum naturalem et simplicem unum tantum esse, nempe orbicularem; nam motus rectus non est simplex, cum sensim reddatur velocior; nec est secundum naturam elementi, quoniam non ei convenit in proprio loco, sed reditus potius quidam est in naturam; non enim convenit seorsum a violentia constituto, sed extra proprium locum vi collocato. Non ergo ex eo, quod ignis sursum ferri videatur, coelum vero circumferri, putandum est coelum non constare ex ignea natura. Nam si qua forte coeli portio in medio ponatur, repente ascendet in rectum, breviori tramite patriam petitura. Moveri autem tam ignem quam aerem circulariter ostendit circuitus cometarum.

Respondent academici coelum non corrumpi, quia purissimum, quia elementa eius praestantissima, quia non habet a quo laedatur, et quia voluntate Dei incorruptibile est.

Ad secundam pariter rationem respondent, coelum non corrumpi tum propter eius corporis puritatem, tum quia tanta est in coelesti substantia virtus ad conciliandum efficax, ut qualitates et motiones, quae apud nos repugnantes sunt, ibi non repugnent. Item quia illic elementa statim a prima genitura mundi in formam praestantissimi, idest ignis, redacta sunt; quemadmodum per motum coelestem elementa quattuor apud nos in quavis genitura ad unam reducuntur mixti formam. Praeterea quia nihil extra se habet, a quo laedatur. Postremo quia ea est voluntas opificis, quae nexus est ceteris firmior et insolubilior, ut in *Timaeo* inquit Plato[350].

350) T. 3, pag. 94.

Hanc sententiam et Hebraei sequuntur, dicentes coelum compositum esse ex aqua et igne.

Haec est platonicorum sententia, et hanc quidem Hebraei valde probant. Rabbinus enim Salomon ex aqua et igne coelum dicit[351] esse compositum. Qui etiam exponens praesentem locum de opere firmamenti, sic ait[352]: « *Fiat firmamentum,* induravit firmamentum, quia licet coeli prima die creati sint, adhuc humidi erant, seu fluidi; et coagulati, seu condensati sunt in secunda ab increpatione Dei in sermone suo: *Fiat firmamentum.* Et hoc est quod scriptum est: *Columnae coeli commovebuntur*[353], idest tota die prima et in secunda obstupuerunt, sicut homo stupefactus et stetit ab increpatione et terrore super se ». Et hic vir per hoc, quod dicitur: *Fiat,* intelligit, non substantialis formae inductionem, sed qualitatem quandam superinductam, scilicet duritiem et densitatem sive stabilitatem, et sic: *Fecit,* idest stabilivit eum *super stabilitatem suam*[354]. Et inquit quod *facere* hic est sicut illud: *Faciet mulier ungues suas*[355], quod de muliere captiva apud hebraeum intelligitur, quam sibi vellet in uxorem accipere[356].

Ita sentire videntur etiam Ambrosius, Basilius, Beda, Theodoretus, Gennadius et Augustinus.

Hanc eandem sententiam ex nostris D. Ambrosius tenere videtur, asserens[357] coelum ex elementis esse compositum. D. etiam Basilius ad hanc potius declinat, asserens[358] sententiam de quinta essentia commentitiam esse et ab ipsis philosophis excogitatam. Beda etiam[359] de hac re sic loquitur: « In medio ergo firmamentum est sidereum coelum, quod de aquis esse factum credi potest; crystallinus enim lapis, cuius magna firmitas, magna perspicuitas, de aquis factus est ». Theodoretus etiam[360], ex Graecis, coelum ex fluxa aquarum natura asserit constitisse et quae prius liquabilis esset natura, solidissimam esse effectam, et ob id firmamentum esse appellatum. Gennadius similiter[361] Deum asserit firmamentum ex ipsius rei opificio ipsum appellasse, eo quod cum prius lenta, fluxa solubilisque esset natura, solidam et minime mobilem constipationem accepit. D. Augustinus etiam[362] facile consentit his, qui coelum asserunt igneae naturae, unde etiam

351) Op. cit. f. 2^b; et cf. not. 112 huius cp. 352) Op. cit. f. 2^b. 353) Iob 26, 11. 354) Ps 103, 5. 355) Dt 21, 12. Vulg.: *Quae radet caesariem et circumcidet ungues.* 356) Cf. ibid. vr. 11. 357) *Hexaem.*, lib. 2, cp. 4, (P. L. 14, 152-153). 358) *Hom. 3 in Hexaem.*, (P. G. 29, 59-63). 359) *Hexaem.*, lib. 1, (P. L. 91, 18). 360) *Quaest. in Gen., Interr. 11,* (P. G. 80, 91). 361) *Fragmenta in Gen.*, ibid. 85, 1630. 362) *De Genesi ad Litteram*, lib. 2, cp. 3, (P. L. 34, 265).

sidera atque luminaria facta esse coniectant, illius videlicet igneae lucis in eas formas, quas in coelo cernimus conglobata dispositaque natura. Hinc, ex tantorum virorum sententia, huic positioni videtur magis assentiendum, tum quia et ratio ei favet et Sacrae Scripturae est magis accommodata.

quorum sententia consona magis est rationi et S. Scripturae.

Illud autem, quod sequitur: *Et factum est ita,* Rabbinus Aben Ezra inquit[363] adhaerere cum eo, quod sequitur post ipsum, scilicet quod *vocavit Deus firmamentum coelum.*

Vr. 8 *Et vocavit Deus firmamentum coelum. Et factum est vespere et mane dies secundus.*

Hebraice: וַיִּקְרָא אֱלֹהִים לָרָקִיעַ שָׁמָיִם וַיְהִי־עֶרֶב וַיְהִי־בֹקֶר יוֹם שֵׁנִי׃.

Chaldaice: וּקְרָא יְיָ לִרְקִיעָא שְׁמַיָּא וַהֲוָה־רְמַשׁ וַהֲוָה־צְפַר יוֹם תִּנְיָין׃: *Et vocavit Deus firmamentum coelum. Et fuit vespere et mane dies secundus.*

Rabbinus Salomon[364] huius nominis שמים, tres dat interpretationes: « שאמים, שם מים, אשמים: quia, inquit, miscuit hoc in hoc et ex eis, aqua scilicet et igne, fecit coelum ». Ex hoc innuit ideo firmamentum dictum esse coelum, quod ex igne et aqua factum sit. Rabbinus Aben Ezra notat[365] hic Deum quinque rebus vocasse nomina, quae sunt: lux, tenebrae, coelum, terra et Adam, hoc est homo[366]: ita homo enim אדם hebraice dicitur.

***Et vocavit Deus firmamentum coelum.* De nomine firmamenti expositiones Rab. Salomonis et Aben Ezrae.**

D. Ambrosius hunc locum ita exponit, dicens[367] « coelorum nomen esse commune, quia plurimos coelos Scriptura testificatur: nomen autem esse speciale firmamentum; ita ut supra videatur generaliter dixisse [in principio] coelum factum, ut omnem coelestis creaturae fabricam comprehenderet: hic autem specialem firmamenti huius [exterioris] soliditatem, quod dicitur coeli firmamentum, sicut legimus in hymno prophetico: *Benedictus es in firmamento coeli* »[368]. Putat enim a firmitate, eo quod non sit invalidum ac remissum, dictum esse coelum hoc firmamentum, quod divina virtute firmatum sit, sicut ait Scriptura: *Laudate eum in firmamento virtutis eius*[369].

D. Ambrosii.

363) Op. cit. f. 2b. 364) Ibid. 365) Ibid. 366) Ms.: *Homini.*
367) *Hexaem.*, lib. 2, cp. 4, (P. L. 14, 152-153). 368) Dn 3, 56. 369) Ps 150, 1.

Basilii

D. Basilius aliam adducit[370] rationem, ut haec coeli appellatio alteri congruat et aptetur et particeps eius vocis sit firmamentum, per similitudinem; a verbo enim ὁρᾶσθαι, idest videri, deducta est appellatio nominis τοῦ οὐρανοῦ, idest coeli; unde et aer ob conspicuitatem coelum dici observavimus, ut cum dicit Scriptura: *Volatilia coeli*[371], etc. Origenes inquit[372] quod Deus firmamentum vocavit coelum donans ei eius coeli, quod ante creaverat, nomen, hoc est dignum fecit eo nomine, quo et ipsum empyreum cum propter eius magnitudinem tum quia inter ea, quae nobis conspicua, sublimius est atque omnino nobilius.

et Origenis.

Advertendum hic quod secunda die non dicitur: *Et vidit Deus quod esset bonum;* Textus enim Hebraicus id non habet, sicut nec in Vulgata Editione nostra est. Puto autem Septuaginta id posuisse, vel a quovis alio eorum translationi additum esse, cum et D. Basilius[373] et Ioannes Chrysostomus[374] et Ambrosius[375] id explicent.

Ratio ob quam non dicitur hac secunda die: *Et vidit Deus.* etc.,

Superest nunc solvendum cur hoc in loco non dixerit Moyses: *Et vidit Deus quod esset bonum.* Aiunt quidam[376] ob numerum dualem, qui propterea censetur informis quoniam primus ab unitate recedit; unde et animalia immunda bina et bina introducuntur in arcam[377]. Hanc rationem Hieronymus in *Ioviniano* affert[378]. Quibusdam tamen minus satisfacit, utpote mystica et quae non debebat officere rei veritati; si enim vere hoc bonum perfectumque erat, quid porrigebat periculi reddere hoc in loco testimonium Deum vidisse et probavisse?

quia opus aquarum nondum consummatum erat,

Rabbinus Salomon, quaerens[379] cur non dicitur hic: *Et vidit . . . quod . . . bonum,* respondet: « Quia opus aquarum non fuit consummatum usque ad diem tertium, et in die tertio consummatum est opus aquarum et aliud; ac propterea, inquit, in die tertio geminatur: *Quod esset bonum;* bis enim dicitur: semel pro consumma-

370) *Hom. 3 in Hexaem.*, (P. G. 29, 71). 371) Ez 31, 13; 32, 4; et cf. supra pag. 156. 372) *Hom. 1 in Gen.*, (P. G. 12, 149). 373) *Hom. 3 in Hexaem.*, ibid. 29, 75. 374) *Hom. 4 in Gen.*, ibid. 53, 43. 375) *Hexaem.*, lib. 2, cp. 5, (P. L. 14, 154-156). 376) Cf. *Bereshit Rabba*, IV, 6, pag. 30: Ginzberg. op. cit. V, pag. 18-19, not. 54; S. Hieronymus *Comment. in Aggaeum*, (P. L. 25, 1389); Nic. Lyranus op. cit. f. 25[a]; Alph. Tostatus op. cit. f. 6[a]. 377) Cf. Gn 7, 2; Clarius *Critici Sacri*, t. 1, part. 1, col. 20; Cartwrightus, ibid. col. 49. 378) Lib. 1, (P. L. 23, 236). 379) Op. cit. f. 2[b].

tione operis secundae diei, et semel pro consummatione operis tertiae diei ». Hanc rationem innuit etiam *Glossa*[380], post rationem Hieronymi, dicens ideo *bonum* hic non dici, quia in hoc opere distinctio aquae non sit perfecta, quae fit in proximo.

At vero quoniam peculiare huius diei opus ipsum est firmamentum, iccirco probatur mihi magis abstinuisse Moysen, ne diceret: *Quod esset bonum*, quoniam firmamentum adhuc imperfectum erat, cum suo esset stellarum ornatu destitutum, in quo summa illius pulcritudo consistit. Hanc autem perfectionem quarta adeptum est die, ac propterea ibi dicitur: *Vidit Deus quod esset bonum.*

vel quia firmamentum adhuc imperfectum erat et sine ornatu stellarum.

Vr. 9 *Dixit vero Deus : Congregentur aquae, quae sub coelo sunt, in locum unum, et appareat arida. Et factum est ita.*

Hebraice: וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים יִקָּווּ הַמַּיִם מִתַּחַת הַשָּׁמַיִם אֶל־מָקוֹם אֶחָד וְתֵרָאֶה הַיַּבָּשָׁה וַיְהִי־כֵן׃

Chaldaice: וַאֲמַר יְיָ יִתְכַּנְשׁוּן מַיָּא מִתְּחוֹת שְׁמַיָּא לַאֲתַר חַד וְתִתַּחֲזֵי יַבֶּשְׁתָּא וַהֲוָה־כֵן׃ : *Dixitque Deus,* etc., ut supra.

Rabbinus Aben Ezra[381] exponit verbum קוה per חבר, in hithpael: colligant se aquae, sive coarcervent se, vel conveniant.

Hanc aquarum congregationem D. Ioannes Chrysostomus sic explicat[382]: « Quia enim omnia completa erant aquis, iussit in unam congregationem aquarum multitudinem concedere, ut sic appareat arida »; terra enim erat invisibilis et inculta, eo quod aquis obtegebatur. D. Basilius[383] et Ambrosius[384] idem dicunt; per aquas nanque et terram haec elementa intelligunt, quae nostris sunt obiecta obtutibus, et universam tellurem aquae operiebant; propter quod et invisibilis erat et infecunda: sed praecepto dominico ad declivia et concava terrae praeceps devoluta sit aqua, et sic apparuerit arida, quae prius aquis subiecta extitit.

Dicitur: *Congregentur,* etc., quia aquae terram operiebant, quae ideo invisibilis et infecunda erat.

Rabbinus Salomon idipsum asserit[385], dicens quod « aquae fuerunt expansae super universam terram, et congregatae sunt in oceano, quod est mare magnum inter omnia maria ». Rab-

380) Strabus *Glossa Ord. in Gen.*, (P. L. 113, 72-73). 381) Op. cit. f. 2b. 382) *Hom. 6 in Gen.*, (P. G. 53, 50). 383) *Hom. 4 in Hexaem.*, ibid. 29, 78 sqq. 384) *Hexaem.*, lib. 3, cp. 1, (P. L. 14, 158 sqq.). 385) Op. cit. f. 2b.

Aben Ezra putat verba haec coniungi praecedentibus.

binus Aben Ezra inquit[386], quod « hic versus coniungitur cum superioribus, quoniam firmamentum non est factum usquequo exaruit terra. Et testimonium est: *In die qua fecit Dominus terram et coelum*[387]; et ecce in die una facta sunt; et visio est verbum absconditum; et congregationes a sparsione non est creatio. Et ita est sensus eius: *Et iam dixerat Deus: Congregentur aquae.* Et huic simile est in lege in centum locis; et ecce in capite בראשית dabo tibi duo testimonia. Unum est: *Et posuit ibi hominem quem formaverat;* et postea inquit: *Produxit Dominus Deus*[388]; et tamen prius homine produxerat ea. Et testimonium secundum: quod praecepit homini ut non comederet *de ligno scientiae boni et mali*[389], et postea scriptum est: *Et formavit Dominus Deus hominem de terra* »[390]. Sed expositio eius est quod iam formaverat: et propterea, inquit, est quod: « *Et vidit Deus quod esset bonum*, coniungitur cum creatione secundae diei; et: *Germinet terra*, est principium diei tertiae ».

Iuxta S. Augustinum congregatio haec significat specificam et visibilem aquae formationem.

D. tamen Augustinus, quoniam superius per *aquas* interpretatus est ipsam materiam, eodem contextu id quoque exponit[391], dicens quod si quandam confusionem materiae aquae nomine appellaverat, haec *congregatio* accipienda est ipsa formatio, ut talis esset aquae species, qualem nunc esse cernimus. Et ipsum: *Appareat arida*, quod positum est, terrae formatio intelligi potest, ut hanc haberet speciem terra, quam cernimus; *invisibilis et incomposita* dicta erat, cum adhuc materiae species deesset.

Ideo significat Deum dedisse prius materiae confusae formam aquae et naturam,

Nos ergo ad D. Augustini interpretationem ita conformiter exponimus. *Congregentur aquae, quae sub coelo sunt*, idest in formam redigatur materia corporalis, ut aqua ista sit quam sentimus. Non enim fecit Deus aquas congregari, sicut prius existentes, sed sicut dans eis formam et naturam, per quam sint aptae natae in unum locum concurrere. *Et appareat arida*, idest speciem visibilem accipiat et a confusione distinctam. Non enim apparere iubetur ut prius existens, sed ut formam naturamque accipiens, qua apparere viderique posset. Itaque aquas congregari in unum aliud non est, quam

386) Ibid. 387) Gn 2, 4. 388) Ibid. vrr. 8-9. 389) Ibid. vr. 16. Vulg.: *Praecepitque et dicens... Ne comedas.* 390) Ibid. vr. 7. Vulg.: *De limo terrae*, loco: *De terra.*
391) *De Genesi contra Manichaeos*, lib. 1, cp. 12, (P. L. 34, 181–182); *De Genesi ad Litteram Liber Imperfectus*, cp. 10, ibid, col. 233.

speciem accipere unam inclinationemque simul ad locum debitum congruumque speciei. At vero quoniam iuxta formae aquarum existentiam inclinationemque ad situm sibi peculiarem, earum proprius supra ac circum terram est locus immediatus, ex eo quod nobilius minusve grave sunt elementum, sicut aer super utrumque collocatus est ut leve, superque aerem ignis ut levius; noceret autem maiori et universaliori bono si ubique terram operirent aquae: non enim posset illa producere fetus suos, nec animalia servari nec plantae potuissent; ideo Deus effecit, ut in unum aquae congregarentur locum, in terrae concavis praeruptisque sinibus receptae ac tanquam in utre congregatae, ne converterentur operire terram[392], ac in superficie altiori arida appareret.

et effecisse postea ut in sinibus terrae reciperentur, ne ubique eam operirent.

Nec tamen dicendum est vi aquas ibi detineri et proprio esse loco destitutas, cum earum proprius sit supra terram locus, ita ut, si sibi ipsis dimitterentur, super terram effluerent reverterenturque operire terram, tanquam peculiarem sibi locum adepturae; cum, ut aiunt nonnulli[393], sint in oceani medio multo altiores terra. At verum id nequaquam est. Ad oculum enim videmus aquae motum semper in decliviorem esse locum; unde aquae illae altiores ad litus defluerent, si demissior hic locus est. Naturale siquidem aquis est undequaque ad centrum aequaliter tendere; loca autem demissiora sunt propinquiora centro.

In locum unum aquae congregatae sunt et detinentur non vi, vel speciali divina virtute, sed naturaliter,

Nec dicat quis divina virtute detineri ne defluant, cum aptae sint et possint; huic enim obstat Augustinus, dicens[394] Deum sic res quas condidit administrare, « ut eas proprios motus agere sinat »; et, ut Divus Dionysius egregie docet[395], Dei non est rerum violare naturas, sed sua prudentia temperare. Sic ergo aquarum temperavit naturas, ut eas non sineret ubique dispersas universam tellurem operire eique superesse; nec tamen eas omnino proprio ac naturali loco destituit, ne aliqualiter terrae superessent: sed suae virtutis praecepto, eas in demissis imae terrae concavis profundisque cavernis congregans et recipiens, proprium eius super terram donavit locum, quatenus aquarum omnium sinus terra subiecta est.

quia Deus sic aquarum temperavit naturam, ut sua sponte *in locum unum* tanquam proprium congregarentur.

392) Cf. Ps 103, 9. 393) Cf. S. Gregorius Nazianzenus *Orat. 28*, (P. G. 36, 65); Theodoretus *Interpret. in Psalmos, Ps. 103*, ibid. 80, 1698. 394) *De Civitate Dei*, lib. 7, cp. 30, (P. L. 41, 220). 395) *De Divinis Nominibus*, cp. 4, (P. G. 3, 734).

Ita tamen aquis subiecit terram, ut arida, quam apparere iussit, aquis circumfluentibus supereemineat, iuxta illud *Psalmi*[396]: *Qui fundavit terram super aquas.* Non enim terra gravior aquis levioribus portatur; sed, ut egregie Augustinus exponit[397], terra super aquas fundata dicitur, quod aquis circumfluentibus supereminet. Semper enim tum marium tum fluviorum litora aquis altiora conspicimus; etsi in medio videantur aquae altius eminere, id non est quod super litora se elevent, sed quia earum est sinus profundior et centro propinquior. Aquarum tamen locus vel semper arida demissior est, et tum maxime ipsius oceani, quo omnes confluunt. Si enim eius non esset locus declivior, cur magis eo, quam alio, flumina currunt, si semper ad ima labuntur aquae? Hinc patet etiam hoc ipsum: nam euntes ad mare descendere dicuntur, ut Rabbinus Aben Ezra hic testatur[398], et in Scriptura pluries id reperimus, sicuti: *Qui descendunt mare in navibus*[399]; et de Iona, *cum fugeret a facie Domini in Tharsis . . ., descendit in Ioppen et invenit navem*[400].

Terra autem dicitur super aquas fundata, quia semper illis supereminet.

Sed hic rursum dubitatio oritur, quomodo omnes aquae in unum locum congregatae dicantur, cum sint plura aquarum loca. Nam praeter Oceanum, quod est omnium amplissimum, est Thyrrenum, est Adriaticum, Indicum, Aegyptium, Pontus, Propontis, Hellespontus, Euxinus, Aegeum, Ionium, Atlanticum et alia mediterranea; sed ideo in unum locum aquas inquit redactas esse, quia omnes aquae in unum tendunt, idest mare maximum, cui cuncta iunguntur; et si qui lacus in semetipsis stricti videntur, occultis tamen meatibus in mare revolvuntur. Fossores quoque puteorum id probant, quia omnis tellus per invisibiles venas aquis repleta est, quibus ex mari principium est.

Quamvis varii sint aquarum loci, in unum locum tamen congregatae dicuntur, quia occultis meatibus omnes ad mare revolvuntur.

Vr. 10 *Et vocavit Deus aridam*[401] *terram congregationesque aquarum appellavit maria. Et vidit Deus quod esset bonum.*

Hebraice: וַיִּקְרָא אֱלֹהִים לַיַּבָּשָׁה אֶרֶץ וּלְמִקְוֵה הַמַּיִם קָרָא יַמִּים וַיַּרְא אֱלֹהִים כִּי־טוֹב׃

Chaldaice: וּקְרָא יְיָ לְיַבֶּשְׁתָּא אַרְעָא וּלְבֵית כְּנִישׁוּת מַיָּא קְרָא יַמְמֵי וַחֲזָא יְיָ אֲרֵי טָב׃

396) 135, 6. 397) *Enarrat. in Ps.* 135 (P. L. 37, 1759). 398) Op. cit. f. 2b.
399) Ps 106, 23. 400) Ion 1, 3. Vulg.: *Ut fugeret in Tharsis*, etc. 401) Ms.: *Aridam* repetitur.

D. Basilius[402] et Ambrosius[403] locum hunc explicant, quod siccitas quidem, sive ariditas, aut certe *arida*, proprium quid est, quod naturam veluti delineat et exprimit ipsius subiecti; *terra* autem nuda quaedam est ac tenuis appellatio rei. Nam ut ratione quidem praeditum esse, proprium ipsius hominis est; vox autem: homo, id significat animal, cui proprium illud competit; sic et ariditas proprium est atque praecipuum terrae. Cui ergo uti proprium siccitas accommodatur atque ariditas, id appellatum est *terra;* perinde atque cui veluti proprium peculiareque quid ipsum hinnibile competit, id nuncupatum est equus. *Arida* ergo expressio quaedam naturae est; unde et illi, quae scatet aquis, inest ut habeat ariditatem. Remota enim aqua, incipit esse arida, sicut scriptum est: *Posuit flumina in desertum et exitus aquarum in sitim*[404], hoc est de terra aquosa aridam fecit.

Vocavit Deus aridam terram. Terra appellatur *arida*, quia ariditas designat naturam et est nomen terrae proprium;

Non solum autem in terra hoc ita est, sed etiam in aliis elementis. Unumquodque enim propriam habet qualitatem, per quam et a ceteris secernitur, et quale unumquodque sit cognoscitur. Et aqua quidem propriam qualitatem habet rigiditatem ; aer vero humiditatem; ignis autem caliditatem; quae primae sunt singulae singulisque elementis peculiares et propriae; quamvis nullum eorum absolute solitarium sit, sincerum ac simplex: sed terra quidem sicca est et frigida; aqua vero frigida ac humida; aer humidus et calidus; ignis calidus et siccus. Ac ita per has iugales qualitates, singula miscentur elementa; nam terra, cum sit aridae et frigidae qualitatis, connectitur aquae per cognationem qualitatis frigidae; et aqua aeri, quia humidus est aer. Ergo aqua, tanquam brachiis quibusdam duobus, frigoris et humoris, altero terram, altero aerem videtur amplecti: frigido terram, aerem humido. Aer quoque medius inter duo compugnantia per naturam, idest inter aquam et ignem, utrumque illud elementum sibi conciliat, quia et aquis humore et igni calore coniungitur. Ignis quoque, cum sit calidus et siccus natura, calore aeri annectitur: siccitate autem in communionem terrae ac societatem refunditur; atque ita sibi per hunc circuitum et chorum quendam concordiae societatisque conve-

sicut etiam cetera omnia elementa proprias qualitates habent, quibus inter se secernantur;

sed quamvis unumquodque ab alio differat, omnia tamen in societatem quandam conveniunt ob eorum similes qualitates.

402) *Hom. 4 in Hexaem.*, (P. G. 29, 90). 403) *Hexaem.*, lib. 3, cp. 4, (P. L. 14, 163).
404) Ps 106, 33.

niunt. Unde et graece στοιχεῖα dicuntur, quae latine elementa dicimus, quod sibi conveniant et concinnant.

Huc autem progressi sumus, quia Scriptura ait quod Deus *vocavit aridam terram*, hoc est quia quod principale est eius, Deus vocavit proprietatem naturae. Naturalis enim proprietas siccitas est terrae: haec ei praerogativa servata est principalis. Ergo siccitas subest etiam ut sit frigida: sed non praeferuntur secunda primis.

Appellavit maria. Sub appellatione *marium*, veniunt omnes aquae congregatae, sive salsae sive dulces.

Et congregationes aquarum appellavit maria. Iuxta idioma linguae hebraicae, omnis aquarum congregatio, sive salsae sint sive dulces, maria nuncupantur et non solum oceanus. Unde et in Evangelio frequenter legimus: *Mare Galilaeae* [405] *et Tiberiadis* [406], cum tamen quidam sit lacus, quem Lucas *stagnum Genesareth* appellavit [407]. Hanc dialecti hebraicae [408] proprietatem ignoravit Porphyrius, qui Evangelistas carpit [409], quod lacum mare dixerint, ad faciendum, ut impie asserit, ignorantibus miraculum quod Dominus super mare ambulaverit [410]. Stulte! Num miraculum minus est super stagni fluidas aquas [ambulare], quam undas calcare maris? Id miraculum est fluctus calcasse, sive maris sint sive lacus.

Congregationes aquarum maria appellantur, quia aquae omnes, licet sub diversis nominibus ex regionibus quas tangunt, unam tamen constituunt congregationem.

Sed exoritur dubium, cum supra in unum locum aquas congregari Dominus iusserit, quid est quod aquarum congregationes *maria* appellat? Rabbinus Abraham Aben Ezra inquit [411]: « Sic dictum est propterea quod non est nomen mari, quod circumdat universam terram ». Respondet D. Ambrosius [412] quod « una congregatio est aquarum, eo quod iugis unda atque continua ab Indico mari usque ad Gaditani litoris oram, et inde in mare Rubrum extrema circumfuso orbem terrarum includit oceano: interius quoque Thyrreno Adrias, Adriae cetera miscentur nominibus distincta, non fluctibus ... Unde una est generalis collectio, quae dicitur mare, et multae collectiones, quae maria pro regionibus nuncupantur. Sicut enim multae terrae, ut Africa, Hispania, Thracia, Macedonia, Syria, Aegyptus, Gallia atque Italia pro regionum appellantur vocabulis, et una est terra: ita multa dicuntur pro locorum appellationibus maria,

405) Mt 4, 18; 15, 29; Mc 1, 16; 7, 31. 406) Io 6, 1; 21, 1. 407) 5, 1.
408) Ms.: *Hebraici.* 409) Cf. S. Hieronymus *Hebraic. Quaest. in Gen.*, (P. L. 23, 939–940).
410) Cf. Mt 14, 25-26; Mc 6, 48-49; Io 6, 19. 411) Op. cit. f. 2[b]. 412) *Hexaem.*, lib. 3, cp. 3, (P. L. 14, 161-162).

et unum est mare, sicut ait Propheta dicens: *Tui sunt coeli et tua est terra, orbem terrarum et plenitudinem eius tu fundasti, aquilonem et mare tu creasti*[413] ».

Et vidit Deus quod esset bonum. Rabbinus Aben Ezra inquit[414] hoc adhaerere cum creatione secundae diei. D. Basilius[415] et Ambrosius[416] commendationem hanc ad mare referunt, quod congregatio aquarum est, non quod sermo hic indicet iucundum aliquem aspectum maris Deo apparuisse; non enim oculis aspicit pulcritudines creaturarum conditor ipse, sed ineffabili sapientia ea, quae fiunt, contemplatur. « Bonum igitur mare primum, quia terras necessario suffulsit humore, quibus per venas quasdam occultas succum haud inutilem subministrat; bonum mare, tanquam hospitium fluviorum, fons imbrium, derivatio alluvionum, invectio commeatuum, quo sibi distantes populi copulantur, quo proeliorum removentur pericula, quo barbaricus furor clauditur: subsidium in necessitatibus, refugium in periculis, gratia in voluptatibus, salubritas valetudinis, separatorum coniunctio, itineris compendium, transfugium laborantium, subsidium vectigalium, sterilitatis alimentum. Ex hoc pluvia in terras transfunditur; siquidem de mari aqua radiis solis hauritur, et quod subtile eius est, rapitur: deinde quanto altius elevatur, tanto magis etiam nubium obumbratione frigescit, et fit imber, qui non solum terrenam temperat siccitatem, sed etiam ieiuna arva fecundat ».

Bonum mare vocatur, ad manifestandas eius utilitates et permulta commoda.

Beda tamen[417], hunc locum explicans, sic inquit: « Nondum terra germinaverat, nec aqua animantia viva produxerat, et tamen dicitur Deus videre *quod esset bonum*, cedentibus aquis, apparuisse aridam, quia aestimator universitatis, praevidens quae sunt futura, quasi iam perfecta laudat ». Haec mihi plurimum arridet sententia, ut, aquis segregatis, aridam apparuisse, hic dicatur *bonum*. Manifesto enim segregationis huius patet utilitas, cum propter terrestrium animalium conservationem tum propter fructus terrae ac fruges. Posthac siquidem non amplius *inanis et vacua*, sed visui facta pervia, herbis fuit placide viridantibus ornata et plantis, fulvis quoque flo-

Iuxta Bedam non mare bonum dicitur, sed separatio aquarum a terra, ob futura bona, quae ex hac oriri debebant, et laudat quasi

413) Ps 88, 12-15. Vulg.: *Orbem terrae*, loco: *Orbem terrarum*. 414) Op. cit. f. 2[b].
415) *Hom. 5 in Hexaem.*, (P. G. 29, 91-94). 416) *Hexaem.*, lib. 3, cp. 5, (P. L. 14, 165).
417) *Hexaem.*, lib. 1, ibid. 91, 21.

Iam perfecta et praesentia. ribus decorata, ut suis fecundata fetibus, fructus suaves pastumque animantibus gratissimum redderet. Quapropter statim germinandi virtutem suapte natura a Deo accipit omnium largitore, cum subditur:

Vr. 11 *Germinet terra herbam virentem et facientem semen et lignum pomi-ferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita.*

Hebraice: וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים תַּדְשֵׁא הָאָרֶץ דֶּשֶׁא עֵשֶׂב מַזְרִיעַ זֶרַע עֵץ פְּרִי עֹשֶׂה פְּרִי לְמִינוֹ אֲשֶׁר זַרְעוֹ־בוֹ עַל־הָאָרֶץ וַיְהִי־כֵן׃ Chaldaice: וַאֲמַר יְיָ תַּדְאֵית אַרְעָא דִּיתְאָה עִישְׂבָּא דְּבַר־זַרְעֵיהּ מִיזְדְּרַע אִילָן פֵּירִין עָבֵיד פֵּירִין לִזְנֵיהּ דִּי בַּר־זַרְעֵיהּ בֵּיהּ עַל־אַרְעָא וַהֲוָה־כֵן׃ *Et dixit Deus: Germinet terra germen herbam seminificantem semen, lignum fructivum faciens fructus secundum speciem suam, cuiusque semen in ipso sit super terram. Et fuit sic.*

Germinet terra herbam, etc. Variae interpretationes iuxta Hebraeos. Rabbinus David Kimchi hoc[418] inter דשא et עשב discrimen assignat: quod דשא cum sex punctis, est germen, et vocatur sic cum incipit egredi e terra; et cum creverit vocatur עשב, idest herba, quoniam nomen דשא est initium operis in herba: proptera derivatur ab eo verbum significans actum, sicut de צמח, idest germinare, et non ex עשב fit verbum. Rabbinus etiam Aben Ezra inquit[419], quod hic תדשא est quemadmodum תצמיח: germinet. Rabbinus quoque Salomon inquit[420] « non idem esse דשא et עשב, nec דשא עשב, nec est lingua Scripturae seu Bibliae dicere: תעשיב הארץ, quia species דשאין divisae unaquaeque in substantia sua, vocantur herba aliqua. Et non est expositio verbo huic dicere germen aliquod particulare et determinatum, quoniam expositio דשא est vestimentum terrae, sicut quod est plenitudo germinum. Itaque, *germinet terra*, idest impleatur et operiatur vestimento herbarum ». In lingua latina דשא, dicitur: ערב, herba; frequentissime tamen in Scriptura דשא pro עשב accipitur, et e contra[421], quoniam inter se similia valde sunt.

418) Op. cit. sub vocibus: דשא et: עשב. 419) Op. cit. f. 2^b. 420) Ibid.
421) Pro אשב, cf. Gn 1, 29; 2, 5; 3, 18; Ex 9, 22. 25; 10, 12. 15; Dt 32, 2; pro דשא, cf. Ex 10, 15; 2 Rg 23, 4; Is 15, 6; 66, 14.

Illud quoque inferius in nostra Translatione Vulgata: *Faciens semen,* hebraice est: *seminificans semen;* similiter et inferius: *Producat terra,* hebraice est: תוצא, idest *faciat exire,* quae, sicut et alia pene infinita, prudentissime noster Interpres latinae phrasi accommodavit, quod et Septuaginta fecerunt in lingua graeca; quanquam hi sint longe in fingendis ac notandis nominibus nobis feliciores: propterea hebraico accedunt saepe propius quam nos.

Haec verba videntur significare immediatam productionem plantarum e terra divina virtute factam;

Nunc sensus nobis elucidandus est horum verborum. Ait ergo: *Germinet terra herbam,* seu *germen,* etc. Nonnulli exponunt[422]: *germinet,* idest generandi vim virtutemque accipiat habeatque; quae videtur D. Augustini fuisse sententia[423]. D. Ioannes Chrysostomus aliter exponit[424], inquiens: « Praecepit Dominus et statim terra suos partus maturans, ad germinanda semina seipsam sollicitavit: *Et protulit terra herbam foeni,* etc. animadvertens hic verbo Domini omnia facta super terram esse ». Quod aliis[425] longe visum est probabilius, tum quia id magis vocum significatio probat, tum quia Deum ostendere inquiunt voluisse, quomodo sine mediis causis poterat cunctos mediarum causarum effectus perfecte et in momento producere, utpote omnipotens et agens ex voluntate, non autem ex necessitate naturae: sicuti et hominem componere per seipsum voluit et cuncta animalium genera: perfecte id enim oportebat in initio.

D. Basilius hunc ita explicat[426] locum: « Terra, inquit, excusso a se iam ac posito aquae pondere, ut interquievit aliquantum et liberior respiravit, ordine naturae consentaneo edictum accepit, quo iubeatur germinare herbam quidem primum, dein lignum: id quod vel in hunc cernimus fieri diem. Illa enim reddita tunc vox primum illud praeceptum, veluti lex naturae quaedam ac institutum impressum insculptumque telluri, facultatem illi germinandi fructusque ferendi praestat ».

vel etiam Deum dedisse terrae legem,

Nos tamen et cum Basilio hanc germinandi legem fructusque ferendi hoc Dei praecepto terrae esse indictam, et cum Augu-

422) Cf. Procopius *Comment. in Gen.*, (P. G. 87, 79); Eustathius *Hexaem. Metaphrasis*, lib. 5, (P. L. 53, 909); Abaelardus *Exposit. in Hexaem.*, ibid. 178, 749. 423) *De Genesi ad Litteram*, lib. 5, cp.14, ibid. 34, 325. 424) *Hom. 5 in Gen.*, (P. G. 53, 51). 425) Cf. Michael Glyca *Annales*, part. 1, ibid. 158, 46; S. Ambrosius *Hexaem.*, lib. 3, cp. 10, (P. L. 14, 174); S. Beda *Hexaem.*, lib. 1, ibid. 91, 21; Strabus *Glossa Ord. in Gen.*, ibid. 113, 74. 426) *Hom. 5 in Hexaem.*, (P. G. 29, 94-95).

vim ac virtutem eas producendi, sicut et nunc fieri videmus.

s t i n o terram germinandi accepisse virtutem, simulque cum C h r y - s o s t o m o tunc eam hoc Dei iussu, nullo secundarum causarum effectu medio, terram produxisse germina herbasque ac fructus, non incongrue intelligendum esse in hoc verbo putamus. Hanc enim accepisse legem germinandi fructusque ferendi, ea, quae in hunc usque cernimus fieri diem, probant: germinandi autem accepisse tunc virtutem, ratio evidens probat, quoniam nobis ostendit effectus. Nullo enim pacto suos terra fetus ac germina produxisset, nisi virtutem a Deo omnium largitore accepisset. Statim etiam suos maturasse partus protulisseque germina herbasque et fructus, probat textus, qui mox sequitur:

Vr. 12 *Et protulit terra herbam virentem et facientem semen iuxta genus suum lignumque faciens fructum et habens unumquodque sementem secundum speciem suam.*

Hebraice: וַתּוֹצֵא הָאָרֶץ דֶּשֶׁא עֵשֶׂב מַזְרִיעַ זֶרַע לְמִינֵהוּ וְעֵץ עֹשֶׂה־פְּרִי אֲשֶׁר זַרְעוֹ־בוֹ לְמִינֵהוּ׃

Chaldaice: וְאַפֵּיקַת אַרְעָא דִּיתְאָה עִיסְבָּא דְּבַר־־זַרְעֵיהּ מִיזְדְּרַע לִזְנוֹהִי וְאִילָן עָבֵיד־פֵּירִין דְּבַר־־זַרְעֵיהּ בֵּיהּ לִזְנוֹהִי׃

Et produxit terra germen, herbam seminificantem semen iuxta speciem suam, lignum fructiferum cuius in eo semen iuxta speciem suam.

Et protulit terra herbam, etc. Iuxta Hebraeos terra, statim ac creata, produxit et maturavit fructus suos cum semine iuxta speciem uniuscuiusque.

A b e n E z r a exponit[427]: «*Cuius semen in eo iuxta speciem suam*, quia unumquodque semen custodit speciem suam». R a b - b i n u s S a l o m o n illud: *seminificantem semen*, ita exponit[428] «quod crescat in ea, scilicet herba, semen suum ad seminandum ex eo in alio loco»; illud autem: *lignum fructiferum :* עֵץ פרי, inquit esse «quasi lignum produxerit onustum fructibus: quia non est ita faciens haec. *Produxit terra lignum faciens fructum* et non lignum fructuum, exponendum est quod, quando maledictus fuit Adam super iniquitate sua, visitata est etiam ipsa, scilicet terra, et maledicta». Illud autem: *Cuius semen in eo*, inquit quod «sunt grana vel semina in omnibus fructibus, ex quibus lignum germinat, ac si quis plantasset illud». R a b b i n u s A b e n E z r a notat[429] hic quod dicitur: «תדשא הארץ, ישרצו, תוצא, *germinet, reptilificent* et *produxit,*

427) Op. cit. f. 2ᵇ. 428) Ibid. 429) Ibid.

et ecce posuit virtutem in terra et in aqua ad faciendum in praecepto Dei, et hoc est generatio ».

Vr. 13 *Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est vespere et mane dies tertius.*

Hebraice: וַיַּרְא אֱלֹהִים כִּי־טוֹב׃ וַיְהִי־עֶרֶב וַיְהִי־בֹקֶר יוֹם שְׁלִישִׁי׃

Chaldaice: וַחֲזָא יְיָ אֲרֵי־טָב׃ וַהֲוָה־רְמַשׁ וַהֲוָה־צְפַר יוֹם תְּלִיתָאי׃[430]: *Et vidit Deus quod esset bonum. Et fuit vespere et fuit mane dies tertius.*

Et vidit Deus, etc. Ratio ob quam multas herbas infructuosas et noxias voluerit Deus terram germinare, iuxta D. Augustinum.

Hic tertiae diei commendatio ponitur propter terrae nascentium utilitatem. Movet tamen multos cur Dominus multas noxias herbas, spinas ac tribulos et virgulta quaedam, quae infructuosa videntur, e terra germinari voluerit. Respondit D. Augustinus[431] multas talium herbarum esse utilitates, licet nobis inutiles et noxiae videantur, qui earum ignoramus naturas, suntque ad universi pulcritudinem requisita. Nisi forte dixerimus, post hominis lapsum ad peccati vindictam has, Deo iubente, protulisse terram, cum dictum sit a Domino ipsi Adam: *Spinas et tribulos germinabit tibi*[432].

Vr. 14-15 *Dixit etiam Deus: Fiant luminaria in firmamento coeli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa et tempora et dies et annos, ut luceant in firmamento coeli et illuminent terram. Et factum est ita.*

Hebraice: וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים יְהִי מְאֹרֹת בִּרְקִיעַ הַשָּׁמַיִם לְהַבְדִּיל בֵּין הַיּוֹם וּבֵין הַלָּיְלָה וְהָיוּ לְאֹתֹת וּלְמוֹעֲדִים וּלְיָמִים וְשָׁנִים׃ וְהָיוּ לִמְאוֹרֹת בִּרְקִיעַ הַשָּׁמַיִם לְהָאִיר עַל־הָאָרֶץ וַיְהִי־כֵן׃ hoc est: *Et dixit Deus: Sint luminaria in firmamento coeli, ad dividendum inter diem et inter noctem, et sint in signa et statuta tempora et dies et annos. Et fuerunt in luminaria in firmamento coeli ad illuminandum super terram. Et fuit ita.*

430) Ms. inseruit partem textus hebraici in textu chaldaico sine ulla distinctione: והזא יְיָ ארי טב וירא אלהים כי טב ויהי ערב ויהי בקר יום שלישי והוה רמש והוה צפר יום תליתאי

431) *De Genesi contra Manichaeos*, lib. 1, cp. 13, (P. L. 34, 182).


432) Gn 3, 18.

Chaldaeus Interpres id ita vertit: ואמר יי יהון נהורין ברקיעא דשמיא לאפרשא בין יממא ובין ליליא ויהון לאתין ולזימנין ולמימני־בהון יומין ושנין ויהון לנהורין ברקיעא דשמיא לאנהרא על־ארעא והוה־כן: hoc est: *Et dixit Deus: Sint luminaria in firmamento coeli, ad dividendum inter diem et inter noctem, et sint in signa et statuta tempora et ad numerandum in eis dies et annos. Et fuerunt in luminaria in firmamento coeli ad illuminandum super terram.*

Fiant luminaria, etc. Rab. Salomon asserit primo die luminaria esse creata, et quarto iussa apparere, sicut omnes alias res.

Rabbinus Aben Ezra inquit[433] quod dictio: יהי, est יהיה, quoniam significatum in ea est plurale et est יהיה, scilicet pro singulari et plurali, etiam pro feminino, ut est: *Si fuerit puella virgo*[434], etc. Rabbinus Salomon sic locum hunc interpretatur[435], dicens quod « luminaria iam a prima die creata fuerunt, et quarta praecepit super ea ut suspenderentur in firmamento; et sic omnis generatio coeli et terrae creata est prima die, sed unumquodque stabilitum est in die suo, sicut decretum est super ea. Et hoc est quod est scriptum: את השמים: ad multiplicandum generationes eius, et; את הארץ: ad multiplicandum eius generationes ». Inquit deinde quod « in dictione: מארת, deficit ו[436] littera, propterea quod est dies maledictionis, ut cadat squillantia in pueris: propter quod ieiunant in quarta feria propter squillantiam, ne cadat in pueris »[437]. *Ad dividendum inter diem et noctem:* inquit hoc factum esse « ad reponendum primam lucem; sed in septem diebus primis ministraverunt lux et tenebrae primae: hoc in die et hoc in nocte. *Et sint in signa:* cum luminaria eclipsantur signum malum est in saeculo, sive mundo, sicut dicitur: *A signis coeli ne timueritis*[438]: et in faciendo ita voluntatem Dei non fuit necessarium, at timendum a vindicta. *Et in stata tempora:* propter futurum, quia futurus erat Israel, qui praecipitur super stata tempora, sive festivitates, et

433) Op. cit. f. 3a. 434) Dt 22, 23. Ex hebraico 435) Op. cit. f. 3a 436) Ms.: *Vau* et infra: *Lamed*. 437) Idest ad significandum *luminaria*, scribendum fuisset: מאורות, cum littera ו; quia sine ו, מארת, significat *defectum*, *infortunium*; cf. Io. Buxtorfius *Lexicon Hebraicum*, sub his vocibus. Sed hic scribitur sine ו etiam ad significandum luminaria, quia agitur de opere quarti diei; quartus autem dies est maledictionis, quia hoc die cadit angina in pueros. Cf. Cartwightus, col. 35. 438) Ier 10, 2.



73.

ויאמר אלהים יהי מארת ברקיע השמים להבדיל בין היום ובין הלילה והיו
לאתת ולמועדים ולימים ושנים והיו למאורת ברקיע השמים להאיר על הארץ ויהי כן

hoc est et dixit Deus sint luminaria in firmamento celi ad dividendum inter diem et inter noctem et sint in signa et statuta tempora et dies et annos, et sint in luminaria in firmamento celi ad illuminandum super terram et fuit ita.

chaldeus interpres id ita convertit

ואמר יי יהון נהורין ברקיעא דשמיא לאפרשא בין יממא ובין ליליא ויהון לאתין ולזמנין ולמימני בהון יומין ושנין ויהון לנהורין ברקיעא דשמיא לאנהרא על ארעא והוה כן

hoc est et dixit Deus sint luminaria in firmamento celi ad dividendum inter diem et inter noctem, et sint in signa et statuta tempora et ad numerandum in eis dies et annos et fuerint in luminaria in firmamento celi ad illuminandum super terram. Rab Selom: [illegible]

[illegible]

Rab Abra Esra [illegible]

FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII MAGNITUDINE NATURALI

ipsa numerantur ad plenilunium lunae. *Et dies:* deservit sol mediae parti diei, et deservit luna alteri medietati eius: ecce dies perfectus. *Et annos:* a fine trecentorum sexaginta quinque dierum perficiunt cursus vel semitas suas in duodecim signis planetae eorum, et est annus; et praeter hoc deserviunt ad illuminandum mundum ». Hucusque est interpretatio horum verborum Rabbini Salomonis.

Alia expositio Rab. Aben Ezrae.

Aben Ezra vero hunc locum exponit[439] primo: « *In signa* punctorum et *in stata tempora* horarum; et quadrat ut *sint in signa* super eclipsim solis et lunae et saltum similitudinis stellarum, quia ipsae stellae sunt causa similitudinis, sive signi, quae videtur »; et in dictione למארת inquit quod « ל est littera addita et superfluit nec dicit quicquam ». Exponens de firmamento, adducit opinionem Rabbini Sepharaddi. Inquit enim quod « dixit sapiens magnus Sepharaddi, quod firmamentum dividitur in octo partes: in septem stellas, et sphaeram signorum ». Ipse autem hanc non approbat sententiam; ait enim quod hoc non quadrat « quoniam non est corpus supra sphaeram signorum. Et ecce Scriptura dicit: *In firmamento coeli,* ad docendum quod est coelum super illud; et ita: *Coeli coelorum*[440]; et: *Ad equitandum super coelum coeli prioris*[441]; et קדם in hoc loco non est oriens[442], idest manifestum. Et Gaon Rabbinus Sahadiah — memoria iusti in benedictione — fugit ex hoc loco[443]; et rectum in oculis meis quod sol et luna et omnes stellae sunt luminaria in firmamento, quia ibi videntur ». Ipse ergo Aben Ezra tenet quod firmamentum sit aer, ut supra exposuit.

Per *luminaria* intelligenda sunt corpora solis, lunae et stellarum quarto hoc die constituta tanquam propria lucis vehicula, primo die creata.

Nos tamen, a Sanctorum semita non deviantes, hunc locum ita exponimus: *Fiant luminaria in firmamento coeli,* idest corpora solis, lunae et stellarum, quae sint primariae illius lucis, primo die conditae, vehicula, nam, ut supra ex D. Basilii[444] et Damasceni[445] exposuimus, luminare lucis ac luminis vehiculum est. Luminaria ergo ex illa prima luce, quae diem faciebat et noctem, sunt quarto hoc die ex sui orbis natura constituta,[446] partibus in maiorem quandam densitatem redactis: est enim astrum densior pars sui orbis. Factum

439) Op. cit. f. 3v. 440) Cf. 3 Rg 8, 27; 2 Par 2, 6; 6, 18; Ps 148, 4. 441) Ps 67, 34. Ex hebraico. 442) Ms.: *Loco quod non est oriens* repetitur. 443) *Fugit ex hoc loco,* idest: *Non exponit hunc locum.* 444) Cf. pag. 138, not. 230 huius cp. 445) Cf. pag. 139, not. 231. 446) Ms.: *Sunt* repetitur.

est autem id divina manu, idest virtute, in modum vasis luminis primarii receptivi.

Facta sunt luminaria ad Dei gloriam et hominis commodum.

Facta sunt autem haec, etsi ut cetera omnia, ad Dei summi gloriam, *universa* enim *propter semetipsum operatus est Dominus*[447], praecipue tamen ad hominis commodum atque utile; non ut ea colat homo, sed ut ipsa homini serviant ac subministrent. Unde Scriptura ait: *Ne forte, oculis elevatis ad coelum, videas solem et lunam et omnia astra coeli et errore deceptus adores ea et colas quae creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus*[448]. Eapropter hic luminarium officia ac ministeria describuntur a Moyse. Primo: ut *diem ac noctem dividant.* Sol etenim diem efficit lucem in sese circumferens et, ut D. Basilius ait[449], non aberraverit quispiam si, diem definiens, aerem esse dixerit illuminatum a sole, aut quantitatem temporis tantam, quo sol in hemisphaerio nostro super terram motam trahit; propter quod *in potestatem diei* sol creatus dicitur, luna autem et stellae *in potestatem noctis*[450]. Et hic nox non pro tenebris accipitur, seu pro privatione lucis solaris, sicut in prima die fuit nox: nam illam noctem solaris lucis privatio efficiebat; appellatione autem noctis hic etiam quid positivum intelligimus, quoniam ipsa habet sua luminaria, quae *in potestatem noctis* facta sunt, per quae nox est: et qualitates quasdam per ipsa luminaria sortitur, ut hominum vitae serviat. Non enim semper operari potest homo, sed aliquando eum quiescere oportet tempusque, quo placido releventur membra sopore sensusque recreentur, nox ipsa praebet, postquam operandi tempus dies ipsa tribuerit. Hoc ergo primum est luminarium munus.

Luminarium officia sunt: efficere ut dies noctem sequatur, et nox diem;

ut significent vicissitudines meteorologicas;

Secundum autem: quoniam per ipsa multa persaepe significantur, ut pluviae, serenum, aestus, venti et cetera huiusmodi, quae per illa efficiuntur, quae et agricolae et nautae ac medici ut plurimum norunt et experiuntur: et hoc est quod dicitur: *Et sint in signa.* Multi hoc, quod dicitur: *Sint in signa et tempora*, intelligunt per endiadym dictum, hoc est in signa temporum, ut D. Augustinus refert[451].

Tertium autem officium est temporum, quam inducunt varie-

447) Prv 16, 4. 448) Dt 4, 19. Vulg.: *Elevatis oculis*, etc. 449) *Hom. 6 in Hexaem.*, (P. G. 29, 138). 450) Ps 135, 8-9. 451) *De Genesi ad Litteram Liber Imperfectus*, cp. 13, (P. L. 34, 326).

tatem; unde ait: *Et sint in tempora*. Tempus autem hic non accipitur quod a physicis numerus et mensura motus definitur [452], sed inquiunt nonnulli [453] intelligi tempus secundum varietates naturales, a situ atque influxu astrorum contingentes. Aliud est enim diei, aliud est noctis tempus; ideoque operis varietatem postulat, sicut mane et vespere, ita etiam aliud una dies, aliud alia: aliud unus mensis, aliud alius: aliud luna recens, aliud deficiens; et per haec dividitur annus in ver, aestatem, autumnum et hiemem. Quam nimirum temporum varietatem luminaria ipsa efficiunt per accessum et recessum ab hemisphaerio nostro ad solstitia, vel hiemale, vel aestivale.

ut indicent varietates temporum, ex astrorum motu et influxu contingentes, et varias anni partes.

Ea est omnium fere huius loci expositio, quam improbare non audeo, cum doctissimorum ac sanctissimorum pariter virorum auctoritate firmetur, quorum et solertia commendanda semper et sanctitas admiranda fuit. Hebraica tamen Veritas aliam loci huius videtur praeseferre intelligentiam ; ubi enim nostra Lectio habet: *In tempora*, ibi legitur: וּלְמוֹעֲדִים. Ea autem vox non id tempus significat, quod supra ponitur, de hoc enim potius intelligit inferius dicens: *In dies et annos ;* sed dies stati ac solemnes מועדים hic appellantur, quos ita dicunt Hebraei [454] a contestatione et admonitione, vel potius a coetus congregatione ad celebranda divina solemnia, a verbo יעד, quod congregationem temporisque constitutionem ad celebranda sacra concilia designat. Quorum dierum frequentissima est mentio in Sacris Litteris, [454a] eorumque sol et luna indices sunt; ad solis enim ac lunae cursum huiusmodi dies celebrantur ac repetuntur. Primum itaque tempus hebraice vocatur: עת; secundum vero: מועד, sive זְמָן, ut Textus etiam Chaldaicus habet. Septuaginta quoque non vertunt hic: χρόνους, quod tempus ipsum est, sed: καιροὺς, quod est rerum bene geren-

Sed iuxta dictionem hebraicam videtur magis intelligendum esse de temporibus determinatis ad divina solemnia celebranda.

quae indicantur in Scriptura iuxta solis ac lunae cursum.

452) Cf. Aristot. *Physic.*, lib. 4, cp. 11, t. 1, pag. 227. 453) Cf. S. Io. Chrysostomus *Hom. 6 in Gen.*, (P. G. 53, 59-60); S. Ambrosius *Hexaem.*, lib. 4, cp. 5, (P. L. 14, 197-198). Nic. Lyranus op. cit. f. 26a; Alph. Tostatus op. cit. f. 7b; Io. Menochius *Explicat. in Gen.*, pag. 2.
454) Cf. *Bereshit Rabba*, VI, 1, pag. 41 et loci paralleli citati in commento Theodor. Rab. Salomon ait מועדים in hoc loco futurum respicere, atque ideo dictum esse eo quod postea de festis istiusmodi Israelitae erant praecepta accepturi, quae festa iuxta ortum lunae essent computanda. Op. cit. f. 3a. *Clarius*: « Vox hebraea : *Moad*, significat tempus statutum, et quod aliquid testatur, nam venit a verbo *Jaad*, quod testari significat. Hinc solemnitates quaedam legales, ut Pascha, Tabernacula, Novilunia et aliae similes, vocantur : *Moadim* ». Col. 20.
454a) Cf. Ex 13, 10 ; 23, 15; Nm 9, 2-3. 7. 13 ; 28, 2; Dt 31, 10 ; Eccli 33, 6-9 ; 43, 6.

darum occasio et opportunitas actionum, quod a nonnulliis ἄνθος τοῦ χρόνου dicitur[455], idest flos temporis, quod sit selectissimum atque maxime opportunum.

Quartum officium luminarium est suo cursu efficere et distinguere spatia dierum et annorum.

Quartum luminarium munus est temporum varietas, per quam temporalia mensurantur eorumque duratio ac permanentia; et hoc est quod subditur: *Et in dies et annos;* dies enim ad luminarium circumvolutionem manifestissime et efficiuntur et distinguuntur ab invicem, ac numeris[456] multiplicantur. Sed et ad annos agendos sol atque luna principes sunt constituti. Nam luna, cum duodecies suum peregit cursum, effectrix est anni, excepto mense intercalari, cuius egere persaepe videtur ad exactissimum temporum agendum concursum; quemadmodum Hebraei, tempore vetustissimo, antiquissimique Graecorum, olim annum metiebantur[457]. Solaris autem annus est, cum ad idem sol punctum sive signum, unde profectus est, suapte motione redierit.

Quintum demum: illucere et res perspicuas reddere et operationes hominum dirigere.

Quintum demum luminarium officium est illucere super terram; quod item confert et ad acquirendas visu per oculos complurium rerum notitias et ad varias hominum actiones operationesque ac negotia dirigenda, quae absque luce non possent ab hominibus perfici. Hoc est quod subditur: *Ut luceant super terram. Et factum est ita;* omnia enim, ut iussa sunt, exequi nunquam destiterunt.

Vrr. 16-18

Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, ut praeesset diei, et luminare minus, ut praeesset nocti, et stellas. Et posuit eas in firmamento coeli, ut lucerent super terram et praeessent diei ac nocti et dividerent lucem ac tenebras.

Ut praesint: לְמֶמְשֶׁלֶת, *in potestatem*, sive *dominium*.

Ut praeesset, etc. Plerique Graecorum tenent solem creatum fuisse in oriente initio diei;

Septuaginta, volentes integrum hebraicum servare, transtulerunt: Εἰς ἀρχὰς τῆς ἡμέρας[458], idest *in potestates diei; et lumen minus:* εἰς ἀρχὰς τῆς νυκτός, idest *in potestates noctis.* Verum quoniam ἀρχὴ graece non solum imperium ac dominatum significat, verum etiam temporis principium, plerique Graecorum intellexerunt facta esse lu-

455) Cf. S. Augustinus *De Genesi ad Litteram*, lib. 2, cp. 14, (P. L. 34, 275); *Drusius*: « Haec vox: εἰς καιροὺς, non tam tempus significat quam ipsum articulum temporis, hoc est opportunitatem rei agendae. Florem temporis, teste Steucho, idest ἄνθος τοῦ χρόνου, appellat Plato ». Col. 34. 456) Ms.: *Numeribus.* 457) Cf. S. Basilius *Hom. 6 in Hexaem.*, (P. G. 29, 138); S. Beda *De Temporum Ratione*, cp. 11, (P. L. 90, 341); Aug. Calmet *Disquisitiones*, etc. vol. 1, pag. LIX. 458) Ms.: Εις αρχας ημερας.

minaria in principium diei ac noctis [459]; non enim ἀρχὰς pro *potestate* sumpserunt, sed pro *principio*. Unde asserunt lunam, quia in principio noctis facta esse dicitur, fuisse e diametro solis oppositam cum condita est. In inchoatione autem noctis non oritur luna nisi πανσέληνος [460], idest plena luna et rotunda, quae tunc plena nobis apparet cum e diametro soli opposita est. Unde cum utrumque luminare factum sit in mane, sol ab oriente coepit illucere: cum autem ad vesperam ad occidentis signum devenit, tunc luna coepit in oriente apparere in inchoatione noctis. Sed hoc potuit quidem esse et fuisse putamus: sed ex hoc loco non colligitur; non enim ἀρχὴ principium hic significat, sed *potestatem:* quae amphibologia in contextu hebraico non est. Unde melius habet nostra Lectio: *Ut praeesset diei ac nocti.* [Ideo] D. Augustinus, in libro *De Genesi ad Litteram Imperfecto*, hoc improbat [461], quia tunc non a prima, sed a sextadecima vel decimaquinta luna numerandi sumeretur exordium; sed factam esse *in potestatem.*

luna vero eodem tempore, sed in occidente, et apparuisse in inchoatione noctis ab oriente.

Sententia haec non videtur conformis sensui litterali Scripturae.

Rabbinus Aben Ezra hunc locum ita exponit [462]: « Vocantur *duo luminaria magna* respectu aliarum stellarum: et sic vocantur tres filii Isai magni [463] respectu posteriorum, et Eliab primogenitus magnus prae omnibus; et non est hoc maius hoc. יש לו סוד: est secretum ei. *In potestatem diei:* sol in die et non in nocte, quoniam non est ipsi, scilicet nocti, lumen; etiam lunae et stellarum non videtur lumen earum in die. Et si quaerat quis: nonne dixerunt sapientes scriptores, seu astrologi, quod stella Iovis, צדק, et omnes stellae, praeter stellam, quae dicitur מככב [464], et Venerem, sunt maiores luna? Et quomodo scriptum est *magna*, scilicet *luminaria?* Responsio est: non est expositio, *magna* propter formam in corporibus eorum, sed propter lumen, et lumen lunae duplicatur multum propterea quod est propinquior terrae, et propterea scriptum est: *luminaria, et posuit ea*, sive dedit. Ne mireris super dictione: ויתן, quoniam sic est scriptum: *Arcum meum dedi* [465]. Et *in potestatem:* dies legis est ab hora ortus solis usque ad occasum:

Iuxta Aben Ezram luminaria haec dicuntur *magna* non propter formam corporum, sed propter lumen eorum terrae propinquius.

459) Cf. S. Theophilus Caesar. Epist. de Pascha, (P. G. 5, 1368) in qua refertur haec eadem opinio Episcoporum Synodi Palaestinensis; S. Caesarius Nazianz. *Dialogus 1, Interr. 94*, ibid. 38, 959. 460) Ms.: *Pansilenos.* 461) Cf. cp. 13, (P. L. 34, 236). 462) Op. cit. f. 3ᵃ. 463) Cf. 1 Rg 17, 13-14. 464) Idest *Mercurius*. Aben Ezra sic scribit; in ms. autem est: מכוכב. 465) Gn 9, 13. Ex hebraico.

et nox a tempore, quo videntur stellae; et bene sive iuste dixerunt: *In ore trium testium*[466]. Et scias quod tempus obscurationis solis est vespere usque ad unam horam et tertium horae, quia videtur sicut est lumen in nubibus; et ita mane lumen primum ortus solis; et in ortu luminis solis in die, et lumen lunae in nocte dividunt inter lucem et inter tenebras ». Hucusque Aben Ezra.

Expositio Rab. Salomonis pura fabula est.

Rabbinus vero Salomon de luminaribus magnis ita sentit[467], quod « luminaria magna fuerunt creata aequalia; sed luna diminuta est, quia conquesta est, seu accusavit et dixit impossibile duobus regibus, ut sibi deserviant in corona una; et stellas [creavit]: propterea quod diminuit lunam, multiplicavit exercitum eius ad finiendum seu implendum opinionem eius ».

Sol et luna dicuntur luminaria magna propter eorum magnitudinem, lucem et influxum in terram.

Nos tamen hunc locum ita exponimus, ut sol et luna *magna luminaria* dicantur, nedum quia immensae fere magnitudinis corpora sunt, et quia ceteris astris plus lucent: sed praecipue secundum apparentiam, quia ceteris maiora apparent; licet corpus lunare ceteris fere astris omnibus sit longe minus; quoniam tamen propinquius terrae est, maius videtur magisque influit; unde et post solem cetera superat influendo. Posita dicuntur tamen *in firmamento coeli*, quoniam astra haec sunt suorum orbium densiores partes. Non enim firmamentum hic aer intelligitur, ut sentit Aben Ezra[468], ut secundum apparentiam tantum luminaria posita in firmamento, idest aere, dicantur, quoniam ibi videntur; sed per firmamentum hic coelum in octo partes divisum, idest octavam sphaeram cum orbibus planetarum, cum Rabbino Sepharaddi[469] intelligimus. Nec insuper probamus id, quod Rabbinus Salomon ait, solem et lunam a sua conditione aequales in claritate fuisse, lunamque locutam esse Deo, ut lucem minueret solis: et eapropter ipsam esse lumine diminutam. Neque enim astra coeli corpora sunt rationali anima praedita atque vigentia, ut loqui potuisset luna; neque ante quartum diem nox aliquando fuisset, sed continua dies si, cum sol diem luna vero noctem illuminaret, aequalis erat ipsorum luminis claritas atque splendor; nox utique non esset nox, si clareret ut dies. Sed *luminare magnum* luna dicta est, quoniam post solem ita inter astra apparet;

Luna dicitur luminare magnum, licet mi-

466) Dt 19, 15. 467) Op. cit. f. 3ᵃ. 468) Cf. pag. 175 huius cp. 469) Cf. ibid.

luminare vero *minus* respectu solis, qui eam et corporis magnitudine et luminis claritate et influendi virtute longe exuperat et superexcedit. Et quoniam sol diem illuminat, noctem vero luna, nec aliquando a sole nox, vel a luna dies illuminatur, iccirco *luminare maius* in diei dominium, ut praesit diei, *luminare vero minus* in dominium noctis facta dicuntur. Multi id quod Rabbinus Salomon inquit, ad secretiorem theologiam autumant[470] pertinere, neque hoc ita fuisse: propter hoc parabolice secretum aliquod significari.

nus aliis astris, quia maius apparet, cum sit propinquius terrae et magis influat.

Vr. 19 *Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est vespere et mane dies quartus.*

Vidit, inquit, Deus, « quoniam quae facienda placebant ut fierent, facta placuerunt ut manerent »[471]. *Et vidit . . . quod . . . bonum*, quoniam mira est iam factorum luminarium astrorumque utilitas : sunt *in signa, tempora, dies et annos ;* lucent super terram, regunt, gubernant, influunt, producunt vitamque viventibus omnibus praebent et infinita pleraque alia efficiunt bona, ad viventium utilitates et commoda.

Et hoc opus dicitur *bonum* ob luminarium utilitatem.

Vr. 20 *Dixit etiam Deus: Producant aquae reptile animae viventis, et volatile super terram sub firmamento coeli.*

Hebraice: יִשְׁרְצוּ

Vix est apud Latinos verbum quod huic verbo hebraico respondeat. Est autem שרץ in multitudine producere, et dicitur de his, quae in magna copia proveniunt seseque movent. Noster tamen Interpres, Septuaginta imitatus, qui transtulerunt: Ἐξαγαγέτω[472] τὰ ὕδατα ἑρπετά, idest: *Producant aquae reptilia*, et ipse transtulit: *Producant aquae reptile.* Quamvis *reptile* terrestrium sit, quorum est repere, reptilia tamen etiam pisces dicuntur; eodem enim fere modo pisces per aquas serpunt, quo reptilia per terram.

Producant aquae reptile, etc.
Per *reptile* intelliguntur etiam pisces.

Rabbinus Aben Ezra inquit[473] quod « שרץ, est verbum transitivum, sicuti est: *Ebulliet*, sive *producet fluvius ranas*[474], et est sensus ישרצו, *generatio cum elevatione.* Et est scriptum: *Volatile volans super faciem firmamenti*, pro: usque iuxta determinationem firmamenti. Et inquit Gaon quod על־פני, est עם פני: si est ita, facies coeli est infra ipsum; et פא, יעופף, duplicatur, sicut נ, יכונן ».

Expositio huius versus iuxta Hebraeos.

470) Cf. Munsterus, col. 2. 471) S. Beda *Hexaem.*, lib. 1, (P. L. 91, 24-25). 472) Ms.: Εξαγετο. 473) Op. cit. f. 3a. 474) Ex 8, 3.

Rabbinus Salomon inquit[475] quod « anima vivens est in quo est vita; et de שרץ, quod omnis res vivens, quae non est alta a terra, dicitur שרץ, in volatili, sicut muscae; in reptantibus, sicut formicae, vermes nigri, sive scarabaei, et vermes; et in בריות, sicut mustela et mus et limax, seu testudo, et quod egreditur simile ipsis, et omnes pisces ».

Aquae non ex sese producere iubentur animalia, sed hac iussione Dei virtutem ea producendi acceperunt.

Nos vero hunc locum ita exponimus. *Producant aquae reptile,* sive *reptilificent reptile,* si *repere* ad aquatilia transferamus, hoc est producant aquatilia animalia in magna copia ac multitudine. Animadversione tamen dignum est, non iuberi aquas reptilia producere ex se efficiendo, sed virtutem hac Dei iussione accepere, ut ex eis pisces generentur. Nec ex aquis tantum; omnia nanque simul elementa animalibus naturam praebent, et de terra magis participant; sed quoniam in aquis degunt pisces ibique sunt et continentur, ideo aquatilia animalia dicuntur, quasi ex aquis originem trahant. Et mox, facto divino praecepto, oppletae sunt piscibus aquae et, post terram ac coelum, proprium ac peculiarem accepere ornatum.

Volatilia ex aquis producta dicuntur, quia humor aqueus et vapor aereus, ex quibus originem trahunt, sicut et pisces, ex aqua emanant.

Movet autem quomodo et aves ex aquis proficiscuntur, cum aquatilia animalia non sint, sed aerea potius, cum in aere vitam degere perspiciantur. Hoc autem iuxta Vulgatam Editionem movet. Quam quidem dubitationem Hebraica Veritas solvit, quae habet: וְעוֹף יְעוֹפֵף עַל־הָאָרֶץ: *Et volatile volet super terram.* Non ergo admiscentur volatilia inter ea, quae ex aquis producta sunt; sed ubi haec facta sunt narrantur, scilicet super terram; nam et inferius numerantur aves inter animantia terrae. Ait enim: *Formatis igitur . . . de humo cunctis animantibus terrae et universis volatilibus coeli*[476], etc.; nisi forte dicamus, iuxta nostram Editionem, propterea aves ex aquis proficisci dicantur, quod in aquis non tantum humor est, unde pisces originem trahunt, sed et vapor, qui cum aerea modo quodam natura convenit et ex vapore quasi aereo aves originem traxerint. Cum autem subditur: *Sub firmamento coeli,* vel, iuxta Lectionem Hebraicam, *super faciem firmamenti coeli:* per *faciem firmamenti* aerem intelligimus; per *firmamentum* autem a sidereo coelo omnes orbes usque ad aerem; et huius coeli facies aer est, qui etiam

Per *faciem firmamenti* aer intelligitur, qui dicitur etiam aliquando *coelum.*

475) Op. cit. f. 3a.   476) Gn 3, 19.

non raro coelum vocatur. Sic enim dicuntur *volucres coeli*[477]. Et sic aer quoque suum avium accepit ornatum.

Vr. 21 *Et creavit Deus cete grandia et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquae in species suas, et omne volatile secundum genus suum.*

L i t t e r a H e b r a i c a habet: *Et creavit Deus serpentes magnos et omnem animam viventem, reptile, quod produxerunt*, vel *reptilificaverunt aquae iuxta speciem suam, et omnem avem alae secundum speciem suam.*

Et creavit Deus cete grandia, etc. Interpretatio litteralis huius versus iuxta Hebraeos.

Illud הרמשת, inquit R a b b i n u s A b e n E z r a[478], quod « est sensus eius sicut הולכ'; et sunt qui dicunt, quod ש est loco ס »[479]. R a b b i n u s S a l o m o n inquit[480] « quod התנינם sunt pisces magni, qui sunt in mari. Et in verbis historiae est leviathan et filius coniugis eius: quia creavit eos masculum et feminam, et occidit feminam et salvat eam pro iustis saeculi futuri; quia si fructificassent et multiplicati fuissent, non stetisset mundus in facie eorum ». *Animam viventem*, explicat animam, in qua est vita.

Per *cete* intelliguntur omnes species piscium immanium et monstra marina.

Nos ita exponimus. I n t e r p r e s noster הַתַּנִּינִם, *cete* transtulit, S e p t u a g i n t a imitatus, qui ita transtulerunt: Καὶ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὰ κήτη τὰ μεγάλα, idest: *Et fecit Deus cete grandia*, sensum potius quam verbum transferens. Hoc enim loco vox illa non pro terrestribus, sed pro marinis et aquaticis serpentibus accipi debet; neque enim cete et maximi pisces aliud in aquis sunt, quam dracones in terra. Unde alibi legimus ingentes pisces *dracones* vocari, ut *Psalmo*[481]: *Dracones et omnes abyssi:* per abyssos aquas copiosisimas intelligens, per dracones maximos pisces. Neque per *cete* una eorum piscium species intelligitur, sed omnes grandiores pisces sic vocantur, sicut T h e o d o r e t u s[482] inquit[483]. Illud autem quod R a b-

477) Gn 6, 7; 9, 2; Iob 28, 21; 35, 11; Ps 8, 9; 103, 12; Ez 38, 20; Dn 3, 80; 4, 9; Mt 8, 20; 13, 4; Mc 4, 8; Lc 8, 5; 9, 58; 13, 19. 478) Op. cit. f. 3a. 479) Ms.: *Scim*, et: *Samech*. 480) Op. cit. f. 3a. *Nic. Lyranus*: « Dicunt hic Hebraei quod istud genus piscium est incredibilis magnitudinis, propter quod si eorum multiplicata fuissent individua, destructum fuisset saeculum, quia mare non esset navigabile, nec alii pisces possent stare in mari. Ideo postquam Deus creaverat hanc speciem in sexu masculino et femineo, occidit femellam ne multiplicarentur individua, et reservat eam iustis ad comedendum in futuro saeculo. Ex quo patet Iudaeos cecidisse in errorem Saracenorum, qui beatitudinem futurae vitae ponunt in delectationibus corporalium et venereorum ». Op. cit. f. 27a. Cf. etiam Dionysius Cartusianus, *Enarrat. in Gen.*, a. 13, pag. 46-47. 481) 148, 7. 482) Ms.: *Theodorus*. 483) *Interpretat. in Psalmos, Ps. 148*, (P. G. 80, 1990).

binus Salomon de huiusmodi piscibus affert, absurdum omnino est, si intelligatur ad litteram; sed parabolice dictum secretiores theologi asserunt. De qua re nihil ad praesens.

Vrr. 22-23 *Et vidit Deus quod esset bonum benedixitque eis, dicens: Crescite et multiplicamini et replete aquas maris, avesque multiplicentur super terram. Et factum est vespere et mane dies quintus.*

Quod Interpres noster transtulit: *Crescite*, imitatus Septuaginta, qui αὐξάνεσθε, *crescite*, transtulerunt, hebraice est: פְּרוּ, idest *fructificate*, a nomine פְּרִי, idest *fructus*. Sensus tamen idem est; nam quod est fructificare in arboribus est crescere in animalibus. Illud autem: *Replete aquas maris:* aqua in maribus est in fonte, sicut etiam Septuaginta transtulerunt: Ὕδατα ἐν ταῖς θαλάσσαις [484], idest *aquas in maribus;* quia tamen sensus nil discrepat, *aquas maris* Interpres noster transtulit.

Rabbinus Aben Ezra inquit [485] quod « *crescite et multiplicamini*, est: crescetis et multiplicabimini, sicut et: *Morere in monte* [486], idest morieris, quia hoc non est in eorum virtute et manu »; et inquit etiam quod « *anima vivens* est omne quod ignis et aqua et terra germinant, etiam homo; et quod *iumenta* sunt quae sunt cum filiis hominum, pro necessitatibus eorum, ad equitandum et comedendum; et *reptile* sunt animalia parva, quae ambulant super terram; et *bestiae terrae* sunt quae sunt in campis, ubi non est habitatio; et quod in dictione: וחיתו, ו posterius redundat, sicut: למעינו מים, *in fontes aquarum* » [487]. Rabbinus Salomon hanc benedictionem ad multiplicationem refert [488], « quia diminuunt eos, scilicet homines, et fugant, sive piscantur et comedunt eos; propterea necesse fuit ut benedicerentur. Et etiam bestiis necesse fuit benedicere; sed propter serpentem, qui futurus erat in maledictionem, propterea non fuerunt animalia benedicta, ne et ipse esset in collectione ». Inquit etiam quod פרו idem est ac *facite fructus et multiplicamini*.

Crescite et multiplicamini, etc. Expositio horum verborum iuxta Aben Ezram

et Rab. Salomonem.

Nos quoque hanc benedictionem in eo praecipue consistere intelligimus, nimirum in ea virtute et inclinatione, quam eis ad generandum largitus est Deus, ut species suas conservarent. Ad generationem

Benedictio Dei significat virtutem.

484) Ms.: Ὕδατα εν θαλασσαις. 485) Op. cit. f. 3a. 486) Dt 32, 49. 487) Ps 113 (hebr. 114), 8: לְמַעְיְנוֹ־מָיִם. 488) Op. cit. f. 3a.

ergo multiplicationemque directio ab intellectu non errante ordinatioque Dei haec benedictio est. quam animantibus indidit ad generandum.

Vrr. 24-25 *Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem in genere suo iumenta et reptilia et bestias terrae secundum species suas. Factumque est ita. Et fecit Deus bestias ... iuxta species suas, et iumenta et omne reptile in genere suo.*

Producat terra, etc. Expositio iuxta Rab. Salomonem.

Illud *producat*, hebraice est: תּוֹצֵא, *exire faciat;* unde Rabbinus Salomon inquit[489]: « Hoc est quod exposui, quod omnia creata sunt a prima die, et non fuit necessarium nisi educere ea, sive exire facere ». *Animam viventem,* exponit: in qua est vita; *et reptile:* רמש, inquit quod « sunt reptilia, quae sunt depressa et repunt super terram, et videntur, sicut quae se trahunt, quorum non cognoscitur ambulatio. Omne significatum רמש, est שרץ ».

Statim ac Deus dedit terrae virtutem producendi ex elementis animantia, illico terra ea produxit divina iussione.

Nos hunc locum ita exponimus. *Producat,* idest virtutem producendi accipiat, ceteris etiam elementis concurrentibus pro materiali principio. Statimque produxit terra quod sibi a Deo et praecipiente et sua virtute efficiente imperatum erat, suumque assecuta est ornatum terrestrium animalium, iumentorum scilicet, reptilium: *et bestias,* quae terrestria animalia dicuntur, cum non ex eo tantum elemento constent, sed simul ex omnibus; sed quia inde trahunt originem, ibi vitam degunt, morantur, pascuntur et continentur, ipsumque in eis terrae praedominatur elementum, propterea terrestria nuncupantur. Ita tamen hic horum animalium genera exprimuntur: *iumenta, reptilia et bestiae terrae.* Iumentorum nomine, quae in usu hominum sunt animalia designantur, sic dicta quasi usus humanos iuvantia. Sub hoc nomine autem etiam pecora comprehenduntur. Reptilis autem voce omnia animalia significantur, quae non impulsu, sed tractu moventur, quaeque vel pedibus sunt omnino destituta, vel habent perbreves, ut non possint se super terram attollere[490], dum ambulant, sed corpore sunt ad ima depresso. Ea demum animalia bestiarum nomine exprimuntur, quae cum impulsu ac progressivo motu agantur, indomita sunt tamen semper atque ferocia, nec mansuescere suapte natura norunt, sed in vastis silvis degere et commorari et unguibus ac ore saevire.

Per *iumenta* intelliguntur omnia animalia domestica; per *reptilia,* omnia quae reptant licet, minutis pedibus; per *bestias,* omnia fera et indomita.

489) Ibid. 490) Ms.: *Attolle.*

Vr. 26 *Et vidit Deus quod esset bonum et ait : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram ; et praesit piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae omnique reptili, quod movetur in terra.*

Hebraicus Textus habet: *Faciamus hominem in imagine nostra, iuxta similitudinem nostram.*

Septuaginta tamen praepositionem mutarunt, qui *in* verterunt in πρός, *ad*, sicut et noster Interpres eos imitatus. Nil tamen refert.

Faciamus hominem, etc. Expositio huius loci iuxta Rab. Aben Ezram,

Rabbinus Aben Ezra, circa loci huius expositionem, inquit[491] quod « sunt qui dicunt, quod dictio נעשה, est nomen hatoar de coniugatione niphal, sicuti et omne, quod נעשה, factum est prima die; et dicunt quod: *in imagine nostra et similitudine nostra*, sunt verba Moysis ». Et sua expositio est, quod « creavit Deus hominem בצלמו, *in imagine sua*, quia ו[492] vertitur ad hominem; et exponunt: *in imagine Dei*, quod *Deus* adiungitur cum *fecit;* quasi dicant quod Deus fecit hominem in imagine. Et haec expositio est deficientis corde, quia fuisset primo evidens, ut esset: et dixit Deus: sit factus homo; et sic fecit eum in imagine sua. Praeterea ו, בצלמו, quomodo revertitur ad hominem ? Ecce est ei imago prius quam sit. Et quae est ratio ut, *effundens sanguinem hominis in homine, effundatur sanguis ipsius, propterea quod creatus est homo in imagine ?*[493] Etiam omnes animae viventes habent imaginem. Et inquit

qui affert et reprobat sententiam Rab. Gaon

Gaon quod expositio est : in imagine nostra, iuxta similitudinem nostram; et sensus eius est: in imagine, quae videtur in sapientia; quoniam bonum est, et propter honorem hominis et coniunctionem eius ad Deum. Et sic *de terra eius egressi sunt*[494], quia *Domini est terra et plenitudo eius*[495]. Et dicit in dictione נעשה, si est numeri pluralis, [hoc esse] ex more loquendi regum, et sicut est: *Et dabimus tibi etiam hanc*[496]; *Dicemus coram rege*[497]*; Si forte potero percutiemus eum*[498]. Et haec testimonia sunt testimonia falsa, quoniam ונתנה, est coniugationis niphal et est quemadmodum: *Et civitas dabitur*[499], etc.; et ו est conversivum futuri, iuxta regulam omnis verbi praeteriti; et sensus est: et dabitur tibi; et illud: *Percutiemus eum :*

491) Op. cit. f. 3a. 492) Ms.: *Vau*, et infra. 493) Gn 9, 6. Ex hebraico.
494) Ez 36, 20. 495) Ps 23, 1. 496) Gn 29, 27. Ex hebraico. 497) Dn 2, 10.
498) Nm 22, 6. 499) Ier 38, 18.

ipse et exercitus eius; vel est nomen hapoal, quemadmodum: ונקה לא אנקך; et etiam quia invenimus: לא נכו, quoniam non venit coniugatio, cuius non memoratur nomen hapoal, tum quia a gravi », scilicet coniugatione. « Et Moyses sacerdos hispanus erravit in suo libro in dictione: *Dicemus coram rege*, quod est chaldaica: et quomodo loquetur Daniel in lingua magna [500] coram Nabuchodonosor, qui erat rex regum? Et nunc exponam. Scito quod omnia opera Genesis sunt ad honorem hominis creata in praecepto Dei, et omnia germina, quae produxit terra, et aquae et omnes animae et bestiae : et postea dixit Deus angelis: *Faciamus hominem!* Nos opera dabimus in eo, et non aquae, vel terra; et postquam cognovimus quod lex loquitur secundum linguam filiorum hominum, quia loquens est homo etiam audiens, et non potest loqui vir verba altiora se, vel inferiora, sed super viam similitudinis hominis, et ita dicitur: *os terrae* [501], *manus Iordanis* [502], et *caput pulverum orbis terrae* [503]. Et absit, absit, ut sit similitudo Deo! Et propterea quod elevatus est homo super ea, quae non sunt homo, praefectus est bestiis terrae pro Deo; et quia non est corpus, sed plenitudo omnium et corpus hominis est, sicut parvus mundus – sit Deus benedictus – qui in magno incepit et in parvo finivit. Et sic inquit Propheta, qui vidit gloriam Dei quasi visio hominis; et Deus est unus et est formator omnium et est omnia ». Haec omnia Aben Ezra.

et Rab. Moysis.

Rabbinus Salomon etiam [504] identidem sentit, cuius haec sunt commenta. Inquit enim: « *Faciamus hominem :* humilitatem Dei docet nos hinc, quia homo in similitudine angelorum est, et invidissent ei: propterea consuluit eos; et propterea quod est iudicium angelorum, ipse consuluit familiam suam. Quemadmodum invenimus in Achab, quod dixit ei Michaeas: *Vidi Dominum sedentem super solium suum et omnes exercitus coelorum stantes iuxta eum a dextris et a sinistris* [505]. Et quomodo est dextera et sinistra in conspectu eius? Sed hi sunt a dextera, qui sunt ad iustificandum, et hi a sinistra, qui ad condemnandum; sicut est in iudiciis civitatum sententia et in sermone Sanctorum petitio. Atque ita in familia sua tulit li-

Rab. Salomon asserit Deum inisse consilium cum angelis ut hominem conderet.

500) Ms.: *Magno. In lingua magna*, idest plurali numero. 501) Gn 4, 11. 502) Nm 13, 30. Ex hebraico. 503) Prv 8, 26. Ex hebraico. 504) Op. cit. f. 3b. 505) 3 Rg 22, 19. Vulg.: *Omnem exercitum coeli assistentem ei*, etc.

centiam, dicens eis: Est in superioribus similitudo mea: si non est in inferioribus, ecce invidia in operibus creationis: *Faciamus hominem.* Licet non auxiliati sint eum in formatione eius, non destitit Scriptura docere viam terrae et exemplar humilitatis, quod si quis est magnus consulat et petat licentiam a parvo. Et si esset scriptum: *Faciam hominem :* non doceret nos quod est verbum cum domo concilii, sed cum semetipso. Verum scribit postea: *Et creavit hominem,* et non: creaverunt, בצלמו, *in imagine sua,* idest in exemplari, typo vel forma, quae nobis est, *iuxta similitudinem nostram,* ad intelligendum, seu mente et intellectu, et prospiciendum ».

Hae sunt expositiones, quas loci huius Hebraeorum praefati doctores afferunt, quas redarguere oportet, posteriores maxime; nam priores, ut falsas, omnino ipsimet respuentes redarguunt. Litteram nos advertamus et videbimus omnia Hebraeorum figmenta corruere.

Expositiones hae falsae sunt, quia ipsi Hebraei sentiunt angelos secunda die esse creatos, ne putarentur coadiutores Dei in creatione.

Haec est littera: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,* sicut ex Rabbino Aben Ezra et Rabbino Salomone perspeximus; statuamus nunc quaedam, secundum Hebraeos. Primo: angelos non esse creatores, unde propterea asserunt [506] eos secunda die creatos, ne putaremus Dei coadiutores fuisse in mundi creatione. Secundo : imaginem et similitudinem non secundum corpus, sed animam, mentem et intellectum hominis hic debere intelligi, ut Rabbinus Salomon hic asserit [507] et Rabbinus Moyses, in suo מורה הנבוכים [508]. Tunc dico: quomodo Deus angelos alloquitur, dicens: *Faciamus,* si angeli non sunt Dei coadiutores in creatione? Non dices secundum corpus: non enim corpus, sed anima ad imaginem et similitudinem Dei facta est, quae in instanti a Deo creatur, iuxta illud: *Formans spiritum in medio eius* [509]. Deinde num una eademque est Dei et angelorum imago et similitudo, ut dicat Deus: *Ad imaginem et similitudinem nostram ?* Praeterea, nunquid homo ad angelorum imaginem similitudinemque creatus est, et non magis angeli ad eandem imaginem creati sunt, ad quam ipse homo? Et cur non subintulit postea: *Et creaverunt dii hominem ad imaginem,* etc., sicut: *Et creavit*

***Imago* Dei in homine non secundum corpus, sed secundum animam intelligi debet, ad quam et angeli creati sunt.**

506) Cf. not. 99 et 258 huius cp. 507) Op. cit. f. 3ᵃ. 508) *More Nebuchim,* part. 1, cp. 1, pag. 2. Ms.: *More hanibilum.* 509) Zach 12, 1. Ex hebraico.

Deus, si simul cum Deo angeli hominem ipsum creavere? Neque enim una est Dei angelorumque operatio.

Sed inquit Rabbinus Salomon quod angeli non sunt cooperati Deo in hominis creatione, propterea dicitur: *Et creavit Deus hominem;* sed tamen illis verbis: *Faciamus,* etc., angelos allocutus est, consilium petens ab eis ut hominem crearet ad imaginem et similitudinem suam; ut sicut Dei similitudo in superioribus est, sic et in inferioribus esset, ne inviderent superioribus inferiora. Sed adhuc dico: cur inquit: *Ad imaginem et similitudinem nostram,* cum ad Dei similitudinem creatus sit homo, et non angelorum? Nam, ut ipsemet inquit, similitudo Dei iam in superioribus erat, idest in angelis, qui Dei similitudinem habent. Deinde num insipiens Deus est, ut consilium petat ab alio? Consilium enim petere non summe sapientis cognoscentisque omnia est, sed eius, qui quod melius est ac praestat magis, ignorat.

Deum petere consilium ab angelis non est summe sapientis;

Sed inquit quod hoc fecit, ut doceret nos humilitatem. Sed quem hominem docebat si adhuc factus homo primus non erat, sed cogitabat ut faceret eum Deus? Sed nonne multo maius, clarius et evidentius fuisset humilitatis exemplum, si homines aliquando consuluisset Deus, cum aliquid agere proposuisset? Certe fidelissimus Dei famulus et amicus fuit Moyses, qui in agendis rebus Deum saepissime consulebat. Nunquam tamen legimus quod ipsum consuluerit Deus ad aliquid peragendum.

nec dici potest sic Deum locutum esse ut doceret hominem humilitatem, quia homo adhuc non erat;

Nec exemplum, quod adducit, id probat. Vidit enim Michaeas Dominum in similitudine aliqua ipsum Deum repraesentante, vel exterius formata vel interius in imaginatione Prophetae. Sed exercitus angelorum, quos circa ipsum stantes vidit, non omnes boni sunt angeli; et hi, qui Dei sententiam iustificant, a dextris, qui autem damnant, a sinistris eius esse dicuntur. Sed qui a dextris, hi boni sunt; a sinistris autem, mali qui Deo dicuntur assistere, eo quod in pluribus executores sunt divinae iustitiae. Et apud B. Iob legimus[510] quod, *cum... venissent filii Dei ut starent coram Domino, affuit inter eos et satan.* Et certe spiritus ille, qui dixit: *Egrediar et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius*[511], cum Dei sententiam iustificarit, qui ait: *Quis*

nec quicquam probat testimonium allatum.

510) 2, 1. Vulg.: *Et starent... venisset quoque satan,* etc.

511) 3 Rg 22, 23.

decipiet Achab? [512] etc., secundum ipsum a dextris Dei statui debuisset, cum tamen spiritus nequam fuerit. Sed quid [513] absurdius, quam nequissimos spiritus a dextris Dei statuere? Nec probavit Deus illud mendacium, cum dixit: *Vade et praevalebis*, cum sit prima ac summa veritas, sed certe permisit. Iusto enim Deus iudicio permittit malos homines a daemonibus decipi, qui tamen agere nihil possunt, nisi agere permittantur.

Iuxta nostros interpretes in hoc verbo: *faciamus*, clare enuntiatur SS.ma Trinitas.

Restat igitur ut nos verum atque catholicum sensum in medium afferamus eius, quod dicitur: *Faciamus hominem.* Hic ergo, ut sanctissimi quique viri doctissimique interpretes asseverant [514], divinarum Personarum pluralitas designatur estque sermo Patris ad Filium et Spiritum Sanctum; siquidem una omnium divinarum Personarum est indivisaque ad extra operatio. Ait ergo Pater ad Filium: *Faciamus*, et non: *Fiat*, sicut in praecedentium productione dictum conspeximus. Illa etenim omnia ex primigenia illa materia constant indeque eorum etiam formae educuntur, de eius scilicet potentia ac virtute. At cum ad hominem devenit, non ait: *Producat terra*, sed: *Faciamus.* Nam etsi ex primaria illa materia corpus etiam hominis constat, anima tamen eius, quae formarum nobilissima est, non inde educitur, sed a Deo suapte natura creatur; et quia homo eatenus homo est, quatenus rationali anima praeditus est, sensuque ac ratione viget, propterea dicitur: *Faciamus hominem.*

Adam etymologice a terra nomen accepit, quia de terra homo factus est.

Homo autem אָדָם, *Adam*, hebraice dicitur, ab אדמה, adama, idest terra, vel ab אדום, rubro, quod de terra rubra factus sit, ut Iosephus existimavit [515]: fictum enim esse hominem in agro damasceno asserit eamque terram, ex qua compactus fuerit, rubram extitisse. Sacrae tamen Litterae ab אדמה dictum esse

512) Ibid. vr. 20. 513) Ms.: *Quod.* 514) Cf. B. Hieronymus *Dialogus De Sancta Trinitate*, (P. G. 40, 858); S. Basilius *Hom. 9 in Hexaem.*, ibid. 29, 206-207; S. Greg. Nyssenus *In Scripturae Verba: Faciamus Hominem*, etc. *Orat. 1*, ibid. 44, 259; Theodoretus *Quaest. in Gen.*, *Interr. 19*, ibid. 80, 99-102; Procopius *Comment. in Gen.*, ibid. 87, 114; S. Hilarius *De Trinitate*, lib. 4, (P. L. 10, 110-112); S. Ambrosius *Hexaem.*, lib. 6, cp. 7, ibid, 14, 257; *De Dignitate Conditionis Humanae*, cp. 1-2, ibid, 17, 1015-1017; S. Augustinus *Confess.*, lib. 13, cp. 22, ibid. 32, 858; *De Genesi ad Litteram*, lib. 3, cp. 19, ibid. 34, 291-292; *De Civitate Dei*, lib. 16, cp. 6, ibid. 41, 484; *De Trinitate*, lib. 12, cp. 6, ibid. 42, 1001-1002; lib. 15, cp. 19, ibid. col. 1055-1056; S. Fulgentius *De Fide ad Petrum*, ibid. 65, 674; S. Beda *Hexaem.*, lib. 1, ibid. 91, 28-29; Rabanus Maurus *Comment. in Gen.*, lib. 1, cp. 7, ibid. 107, 459; Rupertus *De Trinitate*, etc. *In Gen.*, lib. 2, cp. 1-2, ibid. 167, 247-249; Hugo de S. Victore *Adnotat. in Pentat.*, cp. 7, ibid. 175, 37; S. Ephrem Syrus *In Gen.*, t. 2, pag. 54.
515) *Delle Antichità Giudaiche*, lib. 1, cp. 2, f. 2ª.

Adam docent [516]. Quod si homo latine ab humo dictus est, convenit cum etymologia hebraica. Verissima igitur hominis etymologia adque eius proprietatem maxime accedens est, ut a terra vocetur. Sicut enim humanum corpus a terra ductum factumque est, ita nomen hominis duci par erat.

Duplici modo vocatur homo, quia duplex eius origo: secundum corpus dicitur *Adam*, quia de terra sumptus; secundum animam dicitur *vir*, quia ratione praeditus.

Verum, quia etsi homo secundum corpus de terra est, et iccirco sic dictus est, quasi terrenus: cum tamen secundum animam est illi coelestis origo a summo Deo, et ex anima et corpore totus constat homo, simul tamen coniunctis; ideo propter hanc duarum naturarum coniunctionem, duo sunt in praecipuis linguis ad illum significandum nomina. Nam in lingua hebraica non solum אדם, sed איש etiam dicitur [517], sicut latine non solum h o m o, cui in hebraeo respondet אדם, sed etiam v i r, cui respondet איש; vir propter animi fortitudinem rationisque vigorem; quamvis אנוש etiam hebraice post lapsum dictus sit [518], quod deploratum ac calamitosum significat, propter miseriam et poenas, quas ob peccatum incurrit. In graeca lingua pariter βροτὸς dicitur, idest t e r r i g e n a atque m o r t a l i s, ratione corporis; ἀνὴρ autem, idest v i r, ratione mentis; et ratione utriusque dictus est: ἄνθρωπος, ab ἄνω καὶ ρέπων, quasi sursum vergens, seu aspiciens [519], tanquam aliquid habeat a terra, propter quod ibi sit, et aliquid a coelo, ad quod aspiciat et aspiret; vel sit ita dictus, ut Socrates in *Cratylo* P l a t o n i s ait [520], quasi: ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε, idest c o n s i d e r a n s q u a e v i d i t. Hominis enim proprium est invisibilia ex visibilibus considerare, idest a sensibus, secundum quos terrenus est terrenaque videt, ea accipere, ut inde se iterum ad invisibilium cognitionem per intellectum erigat.

Hoc nomen: *Adam*, non solius primi hominis proprium est, sed totius speciei; primus tamen sic semper appellatur, propter eius excellentiam;

Scire etiam oportet nomen hoc: *Adam*, non esse primi illius hominis proprium, sed totius speciei humanae sexumque utrumque complectitur; sicut apud Latinos h o m o, et Graecos ἄνθρωπος. Ait enim Scriptura quod, *in die, qua creavit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum; masculum et feminam creavit eos et benedixit illis et vocavit nomen eorum Adam.* Primus tamen ille homo eo semper appellatus nomine fuit, ex praeeminentia et excellentia quadam.

516) Cf. Gn 3, 19. 517) Cf. ibid. vrr. 6-16; Ps 1, 1; 141, 4. 518) Cf. Gn 13, 8; 14, 24; Nm 13, 3; Dt 1, 35; 1 Rg 17, 12; Ps 8, 5; 54 (hebr. 55). 14. 519) Cf. *Etymologicum Magnum*, sub vocibus: βροτός, ἀνήρ, ἄνθρωπος. 520) T. 1, pag. 399.

Ipse enim principium totius humani generis extitit, et in eo tota virtualiter continebatur natura humana in semine, ab eoque universum hominum genus propagatum est. Et eapropter D. Augustinus[521], considerans tale nomen ut illius hominis proprium, post D. Cyprianum[522] dixit, sic illum fuisse appellatum, quod terra illa, ex qua compactus formatusque fuit homo ille, ex quattuor mundi partibus sumpta fuerit, quae in quattuor eius nominis litteris exprimuntur in lingua graeca: A, Ἀνατολή: oriens; Δ, Δύσις: occidens; A, Ἄρκτος: aquilo; M, Μεσημβρία: meridies[522a]. Ex lingua tamen hebraica non[523] satis hoc exploratum est; nocere tamen nihil potest si credatur, etiamsi verum non sit.

et quia formatus fuit de terra ex quattuor mundi partibus sumpta, ut sentiunt Augustinus et Cyprianus.

Sed ad rem nostram redeundo, dicimus quod, quando Dominus dixit: *Faciamus hominem:* per hominem intellexit primum illum hominem, et in eo totam simul naturam humanam, tanquam iam in eo contineremur omnes, a quo eramus postea propagandi. Nec simpliciter dixit: *Faciamus hominem,* sed addidit: *Ad imaginem et similitudinem nostram.* Unde considerandum nobis est quomodo *ad imaginem et similitudinem Dei* creatus homo dicatur.

Ad imaginem et similitudinem nostram. Imago et similitudo Dei in homine non est secundum substantiam.

Putarunt hic aliqui[524], longe aberrantes, animam nostram esse de substantia Dei, ac propterea dici *ad imaginem et similitudinem* Dei factam, quoniam prima ac praecipua similitudo in eadem natura est. Sed hoc existimare amentis est. Dei siquidem substantia facta non est, nec patitur Deus aliquid extra se simile in eadem natura habere. Scriptum est enim: *Cui . . . similem fecistis eum?*[525] Et alibi: *Domine, quis similis tibi?*[526] Et: *Non est similis tui in diis, Domine*[527]. Non est enim hoc prorsus invenire.

Sed age, ponamus quod similitudo haec secundum naturam sit. Quaero: secundum quam naturam? Genericam, specificam, an individuam? Profecto cum Deus extra et supra omne genus sit, infinita siquidem substantia et totius est compositionis expers, ut simpli-

521) *Tract. 9 in Ioannis Evang.*, (P. L. 35, 1465); *Tract. 10* ibid. col. 1473. 522) *De Montibus Sina et Sion*, ibid. 4, 411-412. 522a) Ms.: Voces hae graecae in accusativo ponuntur. 523) Ms.: *Non* repetitur. 524) Gnostici, apud Tatianum *Oratio adversus Graecos*, (P. G. 6, 838); Cerdon et Marcion, apud Theodoretum *Haereticarum Fabularum Compendium*, lib. 1, cp. 24, ibid. 83, 374; Manichaei, apud S. Augustinum *De Genesi contra Manichaeos*, lib. 2, cp. 8, (P. L. 34, 292); Priscillianistae, apud eundem *Contra Mendacium*, cp. 5, ibid. 40, 532; cf. G. Hergenröther *Storia Universale della Chiesa*, *Evo Medio*, lib. 2, part. 3, cp. 9, vol. 4, pag. 423-424 et not. 1. 525) Is 40, 18. 526) Ps 70, 19. 527) Ps 85, 8.

cissima actusque purissimus: non est quomodo aut secundum genus, aut secundum speciem, vel secundum individuum ei assimilemur; sed per analogiam quandam similitudo haec accipienda est.

sed est tantum secundum mentem qua homo excellit inter omnes creaturas irrationales.

At contra hunc errorem fuit Anthropomorphitarum vesania, qui existimaverunt [528] Deum et corpus habere et animam, sicut et nos; et eapropter asseverant dici factum hominem ad imaginem et similitudinem Dei, non solum secundum animam, sed etiam secundum corpus. Sed et hoc pariter absurdissimum est et secundum veram theologiam etiam ridiculum ; *Spiritus est* enim *Deus* [529], nec potest corporeis ullis aut lineamentis, aut figuris [530] circumscribi, aut definiri. Omnes Sancti Doctores hanc imaginem et similitudinem Dei in homine, non secundum corpus, sed secundum mentem asserunt esse intelligendam, secundum quam homo irrationabilibus suapte natura antecellit. Quod insinuans Scriptura subiungit statim: *Et praesit piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae.*

Omnes creaturae habent quoddam *vestigium* Patris ratione originis;

Scholastici autem theologi [531] circa hoc tria diligenter considerant, quae sunt: v e s t i g i u m, s i m i l i t u d o e t i m a g o. V e s t i g i u m primo: si quis, verbi gratia, pede humum calcaverit, relinquit sui vestigium, ut quodammodo nosci valeat fuisse hominem qui illac transierit et vestigium illud impresserit: quod tamen neutiquam imago aut similitudo hominis dicetur. Sic omnes creaturae, in quantum creatae sunt et participant esse, sunt quasi v e s t i g i u m quoddam Dei in se habentes: Deum enim indicant eas produxisse. Et quatenus quidem esse omnes participant, v e s t i g i u m quoddam Patris habent expressum, qui principium, fons et origo est totius esse; ut quodcumque sit res aliqua, aut persona, ab ipso sit. Praeterea quatenus creatura omnis suam praesefert speciem et pulcritudinem, quasi ante sit facta, v e s t i g i u m quoddam Filii repraesentat, qui ars est Summi Patris, per quem facta sunt omnia [532], plenaque ratio omnium rationum viventium. Insuper quia in re qualibet propensio quaedam ac prona reperitur cupiditas naturalis, qua vel ad suam perfectionem acquirendam, vel ad seipsam alteri commu-

***vestigium* Filii, ratione pulcritudinis;**

***vestigium* Spiritus Sancti, ratione incli-**

528) Cf. S. Augustinus *De Haeresibus ad Quodvultdeum, Haeres. 50*, (P. L. 42, 39); Cassianus *Collatio 10*, ibid. 49, 821, et not. b; cf. etiam supra not. 21 *Dissert. 3*. 529) Io 4, 24. 530) Ms.: *Ulli... figuri*. 531) Cf. Alexander Halensis *S. Theolog.*, t. 2, inq. 3, tract. 2, q. 3; S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 3, a. 1, ad 2; q. 45, a. 3; q. 9, a. 2-9; S. Bonaventura *Sentent.*, lib. 2, dist. 16, a. 1, q. 1. 532) Cf. Io 1, 3.

nationis ad se communicandas. nicandam [movetur] – omne quippe bonum suapte natura est suiipsius communicativum ac diffusivum, – eo fert quoddam Spiritus Sancti v e s t i g i u m , qui communis [est] Patris ac Filii amor ab ipsis procedens, quo et seipsos diligunt et creaturas, quo etiam se in creaturas diffundunt.

Solus homo habet *similitudinem* Dei, Talia tamen vestigia non gerunt in se similitudinem naturae divinae. Cum enim irrationales creaturae sint ratione intellectuque expertes, licet intellectum ipsum summum significent, cum ab intellectu non errante agantur, non possunt eius similitudinem repraesentare; sicut fumus ignem quidem indicat, non tamen repraesentat nobis speciem ignis. Sola igitur intellectualis natura quodammodo Dei similitudinem habet, quatenus intellectualis est et arbitrio libera et per seipsam potestativa; quae conditiones summo et eminenti modo in Deo sunt suapte natura.

ratione animae intellectualis et liberae; Homo ergo, quatenus Deum ipsum repraesentat in mundo, ad Dei similitudinem factus dicitur secundum animam. Sicut enim Deus cognoscit omnia: sic homo omnium suapte natura cognoscitivus est; sicut Deus est ad agendum liber : ita et homo; sicut Deus in mundo unus est: ita anima una in corpore; sicut Deus in mundo omnia movet, immotus in se permanens: ita anima totum movet corpus, manens ipsa immota; sicut immortalis est Deus in mundo : sic anima in corpore; sicut non dormit Deus in mundo: sic nec anima in corpore; sicut Deus regit mundum : sic anima corpus; et sicut Deus non eget cibo aut potu in mundo, nec cibum accipit aut potum : ita nec anima in corpore; sicut Deus totus est in toto mundo et totus in singulis eius partibus : sic anima in corpore; sicut videt Deus omnia, et non videtur in mundo : sic anima in corpore; sicut Deus, cum in omni sit loco, a locorum sordibus non foedatur : sic anima in corpore; sicut Deus totum replet mundum : sic anima totum corpus; sicut Deus in mundo, quamvis sit ubique per potentiam, essentiam et praesentiam, diversa tamen in diversis mundi partibus operatur : sic anima in corpore; et sicut Dei operationes perfectius percipiuntur in loco beato et coelo, propter quod ibi dicitur Deus specialiter esse et habitare et regnare : sic anima in capite et corde; et sicut Deus dominatur in omnia: sic homo secundum mentem et rationem, sicut hic dicitur: *Et praesit piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae.*

Perfecta tamen Dei *imago* in his non consistit; quoniam licet in praedictis sit anima nostra Deo persimilis, accidentalis tamen similitudo haec censetur, cum circa animae accidentia utrumque consistat. Imaginem autem in ipsa animae substantia et naturalibus potentiis statuunt, memoria scilicet, intelligentia et voluntate: et in his ipsam Dei imaginem, ad quam factus est homo, consistere necesse est. Quemadmodum enim Deus unus est, in tribus tamen Personis, Patre, Filio et Spiritu Sancto: ita anima nostra, una secundum substantiam, in his tribus potentiis consistit; et in memoria quidem relucet Patris imago, quia memoria fecunda cum actu dicendi producit verbum: in intelligentia vero imago exprimitur Filii, quia Filius per modum intellectus et naturae gignitur, unde Filius in divinis est notitia genita, qua se Pater cognoscit et cognoscendo, alterum se, idest Filium producit: in voluntate autem imago Spiritus Sancti insinuatur, quia Spiritus Sanctus per modum voluntatis a Patre et Filio, tanquam ab uno principio, procedit. Quare Spiritus Sanctus non est nisi amor, quo se mutuo Pater Filiusque amant; et sicut Filius gignitur a Patre et Spiritus Sanctus ab utroque procedit, sic intelligentia oritur a memoria, intelligentiam pro potentia et actu accipiendo, et voluntas ab utraque, hoc est a memoria et intelligentia originem habet, voluntatem tam pro ipsa potentia, quam pro actu sumendo. Ipsa quippe Divinae Trinitatis imago, ut posterioribus praesertim theologis placet, non in solis primis animae actibus consistit, sed in primis et secundis simul sumptis. Sic enim nedum divinarum Personarum distinctio, origo atque productio, ut dictum est, optime refulgent: verum ipsarum quoque identitas ac divinae essentiae unitas expresse repraesentatur.

et habet *imaginem* Dei ob animae potentias, idest memoriam, intellectum et voluntatem, quae imago quaedam sunt SS. Trinitatis.

Ratione memoriae est imago Patris; ratione intelligentiae, imago Filii; ratione voluntatis, imago Spiritus Sancti;

D. Augustinus post hanc aliam assignat [533] imaginem: in mente, notitia sive verbo, et amore; quae etiam iure optimo divinarum Personarum exprimit tum productionem tum distinctionem. Mens enim verbum gignit, et cum verbo postmodum producit amorem; et sic mens Patrem, verbum Filium, amor Spiritum Sanctum optime repraesentant; essentiae autem unitatem, quoniam haec omnia unius sunt animae. Verum quamvis haec verissima sunt, intellectus tamen quiescere adhuc non valet, propterea quod dicitur *ad imagi-*

et quia hae sunt tres animae potentiae, quae una substantia sunt, ideo anima repraesentat unitatem Dei.

533) *De Trinitate*, lib. 12, cp. 16, (P. L. 42, 1001-1003); lib. 14, cp. 4, ibid. col. 1040.

nem et similitudinem Dei factus homo, quasi prius aliqua praecessisset imago ad quam formatus sit homo. Eapropter, cum Veritas Hebraica sic habeat: נַעֲשֶׂה אָדָם בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ: *Faciamus hominem in imagine nostra, quasi similitudine nostra,* et Targum [Chaldaicum] etiam sic transfert: נַעֲבֵיד אֱנָשָׁא בְּצַלְמַנָא כִּדְמוּתַנָא, hoc est: *Faciamus hominem in imagine nostra, quasi similitudinem nostram:* nos idem per *imaginem* et *similitudinem,* iuxta hanc litteram, possumus intelligere, ut sit sensus: *Faciamus hominem in imagine nostra,* idest in natura humana imprimamus imaginem nostram, ut sit quoddam simulacrum divinitatis nostramque repraesentet naturam: ut sicuti in numismate excusa regis aut principis imago, iuxta illud: *Cuius est imago haec et superscriptio?* [534] et in ligno, aut lapide, vel aere formata Caesaris effigies et figura expressaque imago, quoddam ipsius est simulacrum: ita in nobis imago Dei, expressa quaedam Dei similitudo ac simulacrum est. Et ad hunc prope modum omnia, quae superius dicta sunt, his verbis insita exprimuntur; praecipue tamen id, in quo Deum repraesentat rebus omnibus praesidentem ac dominantem; dum et ipse natura sibi inferioribus praeficitur, superque ea constituitur. Ac propterea statim subditur: *Et dominetur piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae.* In fonte est: וְיִרְדּוּ, *et dominentur:* sexum includit utrumque, omnes homines circumplectitur; naturae etenim dignitas haec est.

Potest etiam intelligi quod *imago* et *similitudo* hic synonyma sint,

ut tota natura humana sit quoddam simulacrum divinitatis, et ideo praefecta universis creaturis.

Notat hic Rabbinus Salomon [535] dictum esse ita, « quoniam in hac lingua est רידוי, idest descensus, et ירידה, idest praesidentia sive dominium [536]; ut si meruisset, sive mundus fuisset [537], dominaretur in bestias et iumenta; si non meruisset, fieret descendens in afflictionem, et bestiae dominarentur in eum ».

Naturale est homini dominium in inferiores creaturas, ob praestantiam suae naturae;

Dicimus tamen nos huiusmodi dominium homini esse naturale. Est enim homo natura praestantior, nobilior et perfectior. Semper

534) Mt 22, 20. 535) Op. cit. f. 3b. 536) Cf. Pagnini op. cit. sub radice: יָרַד, col. 1053. 537) Ms.: *Meruisse.*

autem imperfectiora quaeque sunt ad perfectiora directa et ordinata, sicut ad finem eisque subserviunt: terra plantis, plantae animalibus, haec omnia homini; quorum regimen homo mentis prudentia rationisque perspicacia ac Dei sacratissima imagine exornatus, exercere commodissime potest et in cetera dominari. Et quamvis merito primae illius culpae, omnium sequentium originis, actu sit destitutus homo in complura animalia dominari, quae in hominem saeviunt vitaeque hominum insidiantur: ius tamen dominandi in omnia nunquam amisit. Nam etsi complura eius evadunt dominatum de facto, attamen semper homo natura talis est, ut ius habeat in illis, et actu nonnunquam suae subiicit potestati; sicut D. Iacobus in sua *Canonica* ait [538]: *Omnis enim natura bestiarum et volucrum et serpentium . . . domantur, et domita sunt a natura humana.*

et quamvis ob culpam hoc dominio partim destitutus sit, ius tamen non amisit; imo multis actu etiam dominatur.

Vr. 27 *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos.*

Rabbinus Salomon illud בצלמו, exponit [539]: « בדפוס, *in typo*, seu *forma fecit eum ;* quia omnia creata sunt in dicto Dei, et ipse creatus est in manibus, sicut dicitur: *Tu formasti me et posuisti super me manum tuam* [540] ». Puto parabolice eum hic loqui, alioquin absurdum et risu dignum est quod dicit. « Factus est: בחותם, *in sigillo*, sicut moneta, quae fit per impressionem, quae dicitur cuneus: קוניין; et fuit dicens: convertatur, sicut materia sigilli. *In imagine Dei creavit eum :* expono tibi quod eum formavit praeparata ei imagine effigiei; formavit eum, *masculum et feminam creavit eos.* Et ultra, sive infra, dicit: *Et accepit unam de costis eius*, etc. [541] Et in *Midrash Aggada :* quod creavit eum duarum facierum creatione prima, et postea divisit et extendit operimentum, ut non cognoscatur quod creati sunt ambo simul. Et non exponam tibi quomodo formavit creaturas, et exponam in loco alio ». Rabbinus Aben Ezra id non probat [542]; ait enim hic: « Et non potero exponere quod Adam creatus est in principio in duabus faciebus, et sunt una, et est etiam duo; et ecce in imagine Dei creatus est: מלאך; et ipse creatus est masculus et femina ».

Et creavit Deus hominem, etc. Expositio huius loci iuxta Rab. Salomonem.

Aliqui Hebraei dicunt primum hominem creatum fuisse bifrontem.

Nos tamen hunc locum, a sanctissimorum virorum semitis nullate-

538) 3, 7. 539) Op. cit. f. 3a. 540) Ps 138, 5. 541) Gn 2, 21. Vulg.: *Tulit*, loco: *Accepit.* 542) Op. cit. f. 3b.

Ad imaginem Dei creavit illum, etc. Ex his verbis patet hominem creatum fuisse immediate a Deo ad imaginem suam, vel etiam ad imaginem Christi, ut sentiunt aliqui Patres.

nus deviantes [543], ita exponimus. *In imagine Dei creavit illum.* Patet hinc non angelos hominem creasse, sed Deum: *Et creavit,* inquit, *Deus hominem, et ad imaginem Dei creavit illum.* Sed si Deus creavit, ad cuius dei imaginem creavit? D. Augustinus id sic putat [544] dictum quasi ad imaginem suam; Origenes vero [545], D. Hilarius [546], Cyrillus [547], Theodoretus [548] et D. Hieronymus etiam, *super Ezechielem* [549], et etiam *Glossa Ordinaria* in eodem loco [550], hoc asserunt referri ad Christum, qui est Deus, ad cuius imaginem specialiter homo creatus est: ut formarit Deus hominem ad imaginem illam, quam Dominus in praedestinatione sua crearat, sicut scriptum est: *Ab initio et ante saecula creata sum* [551], fueritque ipse Christus archetypus humanae naturae, quae descripta fuerit ad similitudinem verae illius imaginis Christi, *qui est imago Dei invisibilis* [552].

Recte homo creatus ad imaginem Christi dicitur, idest ad imaginem illius formae a Verbo assumendae, qualiter concepta fuerat in mente divina.

Adverte hic, pro huius loci intelligentia, quod primus in mente divina praedestinatus est Christus, sicut dicitur: *In capite libri scriptum est de me* [553]; propterea *primogenitus* dicitur *omnis creaturae* [554]. Est autem destinatus, non secundum naturam divinam, sed humanam, quapropter primo omnium in mente divina concepta est forma illa quam assumpturum erat Verbum incarnandum; et ad imaginem et similitudinem illius formae creavit Deus primum hominem. Propterea dicitur quod Deus *ad imaginem Dei*, scilicet incarnati, idest Christi, qui est Deus, *creavit eum.*

Et sic quemadmodum configurandi sumus Christo in aeterna beatitudine, ita prius configurari illi debemus in natura humana.

Creavit ergo Deus hominem ad imaginem Dei Christi: ad eam scilicet formam et effigiem, quae praedestinata erat Christo Dei Filio, ante omnium creaturarum formationem, qui *primogenitus* dicitur *omnis creaturae, in quo condita sunt omnia* [555]. Secundum eam ergo speciem in mente divina praeformatam, assumendam a Verbo, homo ipse, nobilissima mundi creatura, formatus et productus [est]. Fateor, arridet admodum haec expositio. Commodissime enim atque admirabiliter illustrem atque perfectum sensum videtur exprimere

543) Ms.: *Hunc locum* repetitur. 544) *De Genesi ad Litteram Liber Imperfectus*, cp. 16, (P. L. 34, 244). 545) *Hom. 1 in Gen.*, (P. G. 12, 56). 546) *Tract. in Psalmos., Ps. 118*, (P. L. 9, 566-567). 547) *Contra Iulianum*, lib. 1, (P. G. 76, 535); *Adversus Anthropomorphitas*, cp. 5, ibid, col. 1086-1087. 548) *Quaest. in Gen., Interr. 19*, ibid. 80, 102. 549) Lib. 9, (P. L. 25, 269). 550) Strabus ibid. 113, 80. 551) Eccli 24, 14. 552) Col 1, 15. 553) Ps 39, 8. 554) Col 1, 15. 555) Ibid. vr. 16.

de toto homine tum secundum corpus tum secundum mentem; ut sit ipse Christus archetypus, ad quem primo nos debemus cum secundum corpus tum secundum animam et mentem exprimi, sicut sumus ei configurandi in aeterna beatitudine. Quod clare expressit Apostolus, dicens: *Nam quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui*[556]; et alibi: *Sicut gestavimus imaginem terrestris, sic et gestabimus imaginem coelestis*[557]. Qui ergo ad imaginem Christi creatus est, vere ad imaginem Dei creatus dicitur, quoniam in Christo *inhabitat... plenitudo Divinitatis corporaliter*[558].

Masculum et feminam creavit eos. Respuendum omnino est figmentum illorum qui asserunt Adam et Evam creatos simul fuisse copulatos a latere; hoc enim opponitur verbis S. Scripturae.

Masculum et feminam creavit eos. Considerandus loquendi modus hic est. Prius enim dixerat: *Creavit eum;* nunc autem: *Creavit eos.* Figmentum omnino respuendum est quod Hebraeorum nonnulli hinc asserunt, marem simul et feminam fuisse creatos et copulatos quasi unum a latere, sed postea ab invicem divisos. Quod etiam recentiores Hebraeorum respuunt, sicut in eorum expositione iam vidimus[559]. Et si id ita est, quid, quaeso, est illud quod infra dicitur: *Tulit unam de costis eius et aedificavit... in mulierem... et replevit carnem pro ea?*[560] Quod si dices debere intelligi secundum Litteram Hebraicam: *Tulit unum de latere eius et replevit carnem in loco suo:* mitto quod vox illa: צלע, principio vel maxime costam significat; quomodo latus illud *in mulierem aedificavit,* si iam mulier erat ab initio aedificata in latere viri? Aut quomodo Adam non inveniebatur simile[561], si mulier ei simillima iuxta ipsum erat? Aut quomodo dixit Adam: *Hoc nunc os de ossibus meis et caro de carne mea:* et *vocabitur* אִשָּׁה: *vira* seu *virago, quia de viro sumpta est?*[562] Non enim mulier magis de viri latere, quam vir de latere mulieris sumptus diceretur. Mitto etiam quod non debuit Deus a monstruoso opere naturam humanam exordiri; huiusmodi enim monstra sunt.

Dicitur tamen: *masculum et feminam creavit eos,* quia in mente Dei decretum

Nos ergo locum hunc ita exponimus. *Masculum et feminam creavit eos:* quia in Adam mulier quoque creata est; non quod iam reipsa esset formata, sed quia, iam decreta in mente Dei, mox condenda erat. Quanquam et recte dicere possumus vere dici creatam

556) Rom 8, 29. 557) 1 Cor 15, 49. Vulg.: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus,* etc. 558) Col 2, 9. 559) Cf. pag. 197, not. 541 huius cp. 560) Gn 2, 21-22. Vulg.: *Et replevit carnem pro ea et aedificavit... in mulierem.* 561) Cf. ibid. vr. 20. 562) Ibid. vr. 23. Vulg.: *Ex ossibus..., quoniam de viro.*

fuerat ut ex Adam Eva crearetur,

mulierem simul, cum in viro iam creato quodammodo contineretur, de cuius carne et ossibus producenda erat. Ergo possumus id cum D. Basilio[563] exponere, ut id, quod dicitur, ad imaginem Dei referatur. Cum enim dixisset: *Ad imaginem Dei creavit illum*, ne putaremus virum tantum ad Dei imaginem et similitudinem esse formatum, statim subdidit: *Masculum et feminam creavit eos*. Siquidem et femina ad imaginem Dei creata est secundum mentem, et in Christo similiter; quoniam in illo, ut Apostolus ait[564], *non est mas neque femina*, idest non est haec distinctio, ita ut mas acceptetur femina autem repudietur: nam et ipsa ad imaginem Dei est. Nec tamen inficior posse dici hic, Moysen per anticipationem posuisse formationem mulieris, expositurus mox divinam benedictionem in genus humanum multiplicandum et adaugendum; id autem per maris ac feminae coniugium futurum erat; ac propterea formationem mulieris praeoccupans, eius mox formandae meminit, postea formationis ordinem explanaturus.

et ut intelligatur etiam mulierem ad imaginem Dei creatam fuisse.

Vel forte Moyses sic loquitur quasi enuntians futuram mulieris formationem.

Vr. 28 *Et benedixit[565] illis Deus et dixit: Crescite et multiplicamini et replete terram et subiicite eam et dominamini piscibus maris et volatilibus coeli et universis animantibus, quae moventur super terram.*

Littera Hebraica habet: *Fructificate et multiplicamini*: sensus idem est, ut supra diximus[566]. *Et subiicite eam:* וְכִבְשֻׁהָ.

Crescite et multiplicamini, etc. Interpretatio huius loci iuxta aliquos Hebraeos.

Rabbinus Salomon inquit[567] quod « deficit ו, ad docendum quod vir subiicit mulierem, et quod non erit egrediens[568]; et adhuc ad docendum quod vir est qui dirigitur ad subiiciendum praecepto super fructificatione et multiplicatione, et non mulier ». Rabbinus Aben Ezra inquit[569], quod « dictio: פרו ורבו: *fructificate et multiplicamini*, non potest exponere quod sit in homine benedictio, sicut in creaturis aquarum: sed est praeceptum, quod transtulerunt antiqui — זל, memoria eorum in benedictione, — et posuerunt hunc versum memoriale ad dicendum ».

Nos tamen locum hunc ita exponimus. *Et benedixit illis Deus*

563) *De Hominis Structura, Orat. 1*, (P. G. 30, 34-35). 564) Gal 3, 28. 565) Vr. 28. Vulg.: *Benedixitque... et ait*, etc. 566) Cf. supra pag. 184. 567) Op. cit. f. 3ª.
568) Verbum t. יצא, *egredi*, significat etiam *producere, edere*, etc. Cf. Io. Buxtorfius *Lexicon Hebr.* sub hac voce. Hoc sensu sumitur hic a Rab. Salomone ad indicandum opus generationis, in quo vir est agens principalis, non mulier, et ideo vir, non mulier, *est egrediens*. Cf. etiam Maimonides *More Nebuchim*, part. 1, cp. 23, pag. 28. 569) Op. cit. f. 3ª.

et dixit: Crescite et multiplicamini. Consistit haec benedictio primo quidem ac praecipue in acceptione virtutis ad propagandum, ut species multiplicaretur humana in subsistentiarum numero, ne prima ac nobilissima specierum deficeret. Nam, etsi homine non peccante, potuisset in primis illis geminis naturae humanae suppositis ipsa perpes fieri; et aeternos cum creaverit illos Deus, etsi natura mortales, ut non mori tamen potuissent, nec fuisset ad speciei conservationem necessaria ad propagandum virtus; fuisset tamen propagatio ad Dei gloriam, ut multis communicaretur ea natura praeelectis a Deo ad gratiam et gloriam consequendam. Unde iam primi illi homines a Deo benedicti [fuerunt] et maximorum iam copia donorum dotati a suae formationis initio, in optimis quibusque bonis, tum naturae tum gratiae: et propagaturi erant, iique, qui ex eis nascerentur, tantorum erant donorum benedictionem accepturi, earundemque benedictionum futuri participes, cum nullum obstitisset peccatum.

His verbis clare innuitur Deum dedisse Adae virtutem ad propagandum genus humanum.

Si Adam non peccasset, species humana pariter propagata fuisset ad Dei gloriam, cum omnibus tum naturae tum gratiae donis.

Quo in loco notandum est matrimonium fuisse factum sacramentum, quia benedictum a Deo; ut consequenter intelligamus fuisse gratiam datam ad sobolem Deo procreandam decenter, ut qui inde venirent, sanctificati prodirent. At vero post hominis lapsum, necessaria omnino propagandi virtus fuit, ne humana species omnino deficeret, cum ob peccatum homo necessitatem incurrerit moriendi.

Haec benedictio significare videtur institutionem sacramenti Matrimonii ad conferendam gratiam.

Non inficior benedictionem hanc etiam in iustitiae originalis et gratiae largitione ceterarumque omnium virtutum, cum moralium et cardinalium, tum etiam theologalium, necnon et aliorum quorumlibet gratuitorum condonatione donorum, quibus vel maxime fuerunt primi homines a benignissimo Deo ditati et exornati, posse intelligi. Sed, ut iam diximus principio, vel maxime in procreativae virtutis largitione consistit, propter id quod sequitur: *Crescite et multiplicamini et replete terram et subiicite eam.* Replenda siquidem propagatis hominibus terra erat, quibus dicitur, ut eam subiiciant colendo eam, fructusque ab ea quasi debitos exigendo.

Sed maxime significat largitionem procreativae virtutis ad replendam terram hominibus.

Hebraei ex hoc loco eos, qui ex christicolis *semetipsos propter regnum coelorum castraverunt* [570] caelibem vitam ducentes, redar-

Ex his verbis iniuste Hebraei et hae-

570) Mt 19, 12. Vulg: *Qui seipsos castraverunt.*

retici redarguunt christianos caelibem vitam ducentes.

guunt [571], asserentes divinum eos violare praeceptum, cum his verbis coniugium homini praecipiatur; et haeretici [572] ex hoc loco vehementer exultant in sui perditionem, coenobitas carpentes. At profecto locum hunc frustra obiiciunt; quoniam in his verbis: *Crescite et multiplicamini*, vel non est praeceptum, sed solum concessio facultatis et benedictio in eo opere approbando; aut si praeceptum sit, quod non abnuo confiteri, praeceptum est pro tempore, ab initio, cum esset terra hominibus vacua; nunc vero repleta iam nimis est. Addo non esse praeceptum hoc singulis, sed universis; quod satis quidem perficitur cum a multis servatur. Sic enim dicitur: *Et subiicite eam*, nimirum terram colendo, et tamen non obligantur ad hoc singuli.

Vrr. 29-30

Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram et universa ligna quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam et cunctis animantibus terrae omnique volucri coeli et universis, quae moventur in terra et in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum. Et factum est ita.

Ecce dedi vobis omnem herbam, etc. Expositio huius loci iuxta Rab. Salomonem

Rabbinus Salomon inquit [573] hic, quod « adaequavit eos iumentis et bestiis in cibo, et non dedit licentiam Adam et uxori eius ad blandiendum creationi, seu pinguedini, ad comedendum carnem: sed omne olus herbae comederunt simul omnes. Et quando quieverunt filii Nohac, fecit eis licitam carnem, sicut dicitur: *Et omne, quod movetur et vivit, erit vobis in escam* [574]*: quasi olera* herbarum, quae licita feci in primis hominibus, *dedi vobis omnia* ».

et Aben Ezram.

Rabbinus Aben Ezra et ipse hic idem sentit [575]. Ait enim quod « licitum fecit filiis hominum ex omni, in quo est anima vivens, comedere, omnem herbam et omnem fructum ligni licitum fecit homini, et herbam olerum bestiis et omni reptili: et usque huc non fecit eis licitam carnem usque post diluvium ».

His verbis Deus assignavit homini et animantibus

Nos ita exponimus. Cum prius hominem propagativa virtute munierit ad speciei conservationem, nunc hominum generi, sicut et ceteris animantibus, praestituit certum cibum de fructibus terrae, quos comederent, cum quibus et vitam servarent. Nec tamen putan-

571) Cf. Aben Ezra not. 569 huius cp. 572) Ex. g. Wicleffitae et Lutherani. Cf. G. Hergenröther *Storia Universale della Chiesa*, *Evo Medio*, lib. 3, part. 2, cp. 7, vol. 5, pag. 192; *Epoca Terza*, lib. 1, part. 1, cp. 2, vol. 6, pag. 43 sqq. 573) Op. cit. f. 3b. 574) Gn 9, 3. Vulg.: *In cibum*, loco: *In escam*. 575) Op. cit. f. 3b.

dum est eosdem terrae fructus homini assignatos, qui et reliquis animantibus; sed provisum homini de nobilioribus esse: viliores autem herbas et fructus animalibus derelictos. Hoc perspicue Hebraica Littera videtur astruere. Sic enim habet: *Ecce dedi vobis omnem herbam seminificantem semen super faciem universae terrae et omne lignum, in quo est fructus, lignum seminificans semen erit vobis in escam. Omni autem bestiae terrae et omni volatili coeli et omni reptili terrae, in quo est anima vivens, erit omnis viriditas,* seu *olus herbae in escam.* Plane videtur assignare hominibus et bestiis distincta ciborum genera, quibus vescebatur homo et cetera animalia. Usum enim carnium non indulsit Deus homini ante diluvium, sicut Sancti Doctores [576] omnes affirmant, et Hebraei [577] etiam idipsum affirmant. Sed post diluvium concessus est homini carnium esus, dicente Domino: *Omnes pisces maris manui vestrae traditi sunt. Et omne, quod movetur et vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia.*

suum cibum de fructibus terrae, reservans homini nobiliores.

Ante diluvium esus carnium concessus non fuerat.

Vr. 31 *Et vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona. Et factum est vespere et mane, dies sextus:* יוֹם הַשִּׁשִּׁי.

Inquit Rabbinus Salomon quod [578] « additur littera ה [579] in sexto die, dum perficeret opus בראשית, ad dicendum quod pactus est cum eis hac conditione, quod recipiat super se Israel quinque partes legis », seu *Pentateuchum.* « Verbum aliud, seu expositio: יום הששי: omnia pendent et stant usque ad diem sextum; est ו ad designandum locum ad expectandum legem ».

***Dies sextus.* Interpretatio huius loci iuxta Rab. Salomonem et Aben Ezram.**

Rabbinus Aben Ezra aliter [580] sentit. Ait enim: « Sunt dicentes quod יום coniunctum est, et sensus sive ratio est ad circuendum הששי, *sex*; et sic: יום השביעי [581], *dies septimus.* Et non est hoc verum. Et habet dies sextus, iuxta opinionem virorum, felicitatum approbationem ». Sed expositio eius est: « Dies,

576) Cf. Origenes *Hom. 1 in Gen.*, (P. G. 12, 159); S. Basilius *De Hominis Structura, Orat. 2*, ibid. 30, 46; S. Io. Chrysostomus *Hom. 27 in Gen.*, ibid. 53, 245-246; Theodoretus *Quaest. in Gen., Interr. 39*, ibid. 80, 139; *Interr. 55*, ibid. col. 158-159; S Hieronymus *Adversus Iovinianum*, lib. 1, (P. L. 23, 216); Strabus *Glossa Ord. in Gen.*, ibid. 113, 111, Angelomus *Comment. in Gen.*, ibid. 115, 161; Guilbertus *Moralia in Gen.*, lib. 1. ibid. 156, 58; Abaelardus *Exposit. in Hexaem.*, ibid. 178, 764-765. 577) Cf. *Talmud Babyl. Sanhedrin*, f. 59b; Ginzberg op. cit. V, pag. 93, not. 56. 578) Op. cit. f. 3a. 579) Ms.: *He*, et infra: *Bereshit, Vau.* 580) Op. cit. f. 3a. 581) Idest coniunctum est cum ה, quod non invenitur in aliis diebus hic enumeratis, nisi in sequenti die septimo: השביעי, ut in cp. 2, 2.

qui est sextus [respective] ad diem primum, et sic dies septimus. Et sic invenitur etiam: *vir* הישראלי[582], *israelita*, et multa similia; quemadmodum etiam: *firmamentum* השמים, *coeli*, idest firmamentum, quod est coeli ».

Ultima hac benedictione, potius quam singula opera, universitas rerum commendatur.

Nos autem, ista praetermittentes, hunc locum ita exponimus. *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona*, vel *bonum valde*, ut Littera Hebraica habet. Hic autem universitatem operum, magis quam singula per se commendat Deus. Etenim singula per se natura bona sunt; at simul omnia, prout universum ipsum constituunt, quodammodo unum et valde bonum sunt, idest optimum propter admirabilem ordinem universi. *Et factum est vespere et mane, dies sextus* : dies sextus a prima die, coelo iam sexies in orbem revoluto.

CAPUT SECUNDUM

Vrr. 1-3

Igitur perfecti sunt coeli et terra et omnis ornatus eorum. Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat. Et benedixit diei septimo et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus ut faceret.

Perfecti sunt coeli et terra, etc. Expositio huius loci iuxta Rabbinos hebraeos

Aben Ezram

Rabbinus Aben Ezra inquit[1] quod « ויכלו est de coniugatione, quae dicta est nomine puhal, et ומשקלו, *ponderati sunt*, et ויכסו, *operti sunt omnes montes*[2]; et sensus eius est: נשלמו, *completi*, vel *perfecti sunt*, et mare in universa terra, quia est quasi una collectio[3]. *Et complevit Deus* in *die septimo*. Sunt dicentes quod dies creati sunt, et in creatione diei septimi perfectum est opus: et est haec expositio insipida seu insulsa. Et sunt dicentes quod est ב[4], quia sensus eius est: ante : quemadmodum: *Non obturabis bovem dum triturat ipse*[5]. Verumtamen dies, in quo primo quie-

582) Lv 24, 10, ubi invenitur ה quod necessarium non erat, sed ponitur ad meliorem indicationem. *He* enim, quod hic praeservit voci : הששי, est *He* emphaticum et demonstrativum, quod Hebraei vocant : הידיעה, idest *He* notificationis, seu demonstrationis.

1) Op. cit. f. 3b. 2) Gn 7, 19. 3) Idest : cum aquae a terra adhuc divisae et segregatae non essent, unum corpus formabant : *una collectio*. 4) Ms.: *Beth*. 5) Dt 25, 4. Vulg. : *Non ligabis os bovi terenti*.

et Salomonem.

vit, relinquitur; et quomodo hoc formavit et perfecit opus? Non est opus, sicut hoc dictum est, non fecit opus. Et ita expositio est: ויכל, idest: וישבת, *et cessavit*, et est sensus: ab opere suo, quod fecit in die sexto, ante diem septimum. Et sensus est: et cessavit in die septimo ab omni opere suo ex omnibus creaturis, quas creavit ». Rabbinus Salomon super hoc[6] adducit expositionem Rabbini Simeonis, qui dixit quod « caro et sanguis, idest homo, non cognoscit tempus suum et momentum suum, sive punctum, necesse est addere de quotidiano super sanctum Dei benedicti, qui cognoscit tempus eius et punctum eius, in quo ingreditur ut filum pili, et videtur sicut haec perfecit *in die*, etc. ד״א, expositio alia, quod mundus fuit deficiens a quiete futura, sabbatum futurum a quiete perficit et consummatur opus[7] ».

Verba haec insinuare videntur Deum aliquid fecisse die septimo, ad complendum opus creationis;

Nos autem ita locum hunc exponimus. *Igitur perfecti sunt coeli et . . . omnis ornatus eorum*, vel, ut Littera Hebraica habet, *et consummati sunt*, seu *completi coeli et omnis exercitus eorum*. Epilogus ac compendium quoddam id est omnium, [quae] sex iam praemissis diebus facta sunt, suorumque ornatuum, qui per *exercitus* insinuantur. *Et complevit Deus die septimo opus suum, quod fecerat*. Is loci huius videtur esse sensus, ut die septimo fecerit Deus aliquod opus, quo facto, completa iam essent omnia conditionis opera. Sic enim D. Hieronymus ait[8] hic: « Pro die sexta – ש[9] enim habebat antiqua translatio, – diem septimam in hebraeo habet. Arctabimus ergo Iudaeos, qui de otio sabbati glorientur, quod iam tunc in principio sabbatum dissolutum sit, dum Deus operatur in sabbato, complens opera sua in eo ». Mulierem nonnulli[10] in die septima ex viri costa formatam asserunt, quoniam in operibus sex dierum eius formationis series non exaratur; sed post septimae diei

id etiam sentit D. Hieronymus.

Non est admittenda sententia asserens die septima

6) Op. cit. f. 3b. 7) Idest: Homo mortalis (qui formatus est *carne et sanguine*) addere debet de communi die ad sacrum; sabbatum enim, *dies sacra*, incipit dum adhuc dies profanus est, idest ab occasu solis feriae sextae; Deus autem, cum tempora et momenta exacte cognoscat, *in eo ipso die:* בך ביום, *eo ipso momento* quo sabbatum intravit, opus suum perficit cum, iuxta computum humanum, sabbatum incepit, idest vespere feriae sextae. *Alia expositio:* Mundo deerat quies, cum nondum sabbatum intrasset, quia creatio nondum perfecta erat; sabbatum intravit et quies venit, et ita consummatum fuit opus Dei. 8) *Hebraic. Quaest. in Gen.*, (P. L. 23, 940). 9) Ms.: *Sim.* 10) Cf. Origenes *Hom. 1 in Gen.*, (P. G. 12, 158); S. Io. Chrysostomus *Hom. 10 in Gen.*, ibid. 53, 86; S. Gregorius M. *Moralium*, lib. 32, cp. 12, (P. L. 76, 645); S. Thomas *S. Theolog.*, 1a, q. 73, a. 1, ad 3; Pererius *Comment. in Gen.*, lib. 1, vol. 1, pag. 173.

formatam esse mulierem.

praemissum adventum. Alii [11] vero ipsum septimum diem fecisse et in eius factura opus suum complesse intelligunt: quod, eo facto, mensuram iam et numerum perfecit dierum, quorum circuitu omnia saecula volvuntur.

Complevit Deus die septimo, etc. Intelligendum est die septimo Deum complevisse opus suum, quia operibus iam factis nullum aliud addidit.

Mihi vero ea magis probatur sententia, ut dicatur Deus septima die opus suum complesse, quia operibus iam factis in praemissis diebus opera nulla nova addidit, cum tamen posset multa addere: sed complevit sua opera, quia non addidit nova, ut sit hoc idem cum eo, quod sequitur: *Et requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat.* Quid est: *Requievit ?* Nunquid operando lassus est? Sed requievit, quia novam creaturam facere cessavit. Requiescere enim cessare dicitur, ut in *Apocalypsi* legimus [12]: *Requiem non habebant dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus,* idest dicere non cessabant. *Requievit* ergo, quia ultra nova non condidit, et nova creaturarum genera his, quae facta iam erant, non adiunxit. Quaecumque enim postea facta sunt, iam in suis generibus ab initio factis praecesserant, in quibus et facta sunt. Usque nunc tamen operatur administrationem eorundem generum, quae tunc instituta sunt. Creatoris enim virtus causa subsistendi est creaturae. Unde Salvator ait: *Pater . . . usque modo operatur et ego operor* [13], universae creaturae continuam administrationem ostendens. Die ergo septima *requievit,* ut novam creaturam non conderet, et *usque modo operatur,* ut, quod condidit, continere et gubernare non cesset.

Deus usque modo operatur res creatas conservans et gubernans.

Et benedixit diei septimo et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit ut faceret. Rabbinus Salomon [14]: « Benedixit eum in manna, quia omnibus diebus septimanae descendebat eis unum *homer per singula capita* [15], et in sexto panis duplicabatur; et sanctificavit eum in manna, quae non descendebat omnino. Et versus scriptus est super futuro ». Rabbinus Aben Ezra exponit [16]: « Bene-

Et benedixit diei septimo, etc. Expositio huius loci iuxta Rab. Salomonem.

11) Cf. Theodoretus *Quaest. in Gen., Interr. 21,* (P. G. 80, 118-119); Procopius *Comment. in Gen.,* ibid. 87, 142; S. Augustinus *De Genesi ad Litteram,* lib. 4, cp. 20, (P. L. 34, 311); S. Beda *Comment. in Pentat.,* ibid. 91, 202-203; Rabanus Maurus *Comment. in Gen.,* lib. 1, ibid. 107, 464; Angelomus *Comment. in Gen.,* ibid. 115, 125; Remigius *Comment. in Gen.,* ibid. 131, 57-58; S. Bruno *Exposit. in Gen.,* ibid. 164, 160; Philo Iudaeus *De Mundi Opificio,* t. 1, pag. 18. 12) 4, 8. 13) Io 5, 17. 14) Op. cit. f. 3ᵇ. 15) Ex 16, 16 sqq. 16) Op. cit. f. 4ᵃ.

dictio addit bonitatem, et in die isto renovabitur in corporibus similitudo virtutis in generatione et in animalibus virtus magnae admirationis et intellectus; et sanctificavit eum, ut non fiat opus in eo ». Illud vero, quod sequitur, ita exponit : « *Quae creavit Deus ut faceret*, radices in omnibus speciebus, in quibus posuit virtutem ad faciendum simile; et expositio לעשות, *ut faceret*, pro עשה, *fecit*, etiam fecit pro *creavit*, non est ita, iuxta opinionem meam. Et dixit Gaon quod benedictio diei et sanctificatio eius convertitur ad custodientes, qui sunt benedicti et sanctificati ». Rabbinus vero Salomon inquit[17] quod « opus, quod erat visum ad faciendum in sabbato, duplicavit et fecit in sexta die, sicut exponitur in *Bereshit Rabba* »[18].

Secundum Rab. Aben Ezram hac benedictione Deus contulit creaturis virtutem reproductivam.

Nos tamen locum istum ita exponimus. *Benedixit Deus et sanctificavit.* Circa tempus benedictio ac sanctificatio ista consistit idque videtur habere momenti, ut eo in tempore, idest die septima, quam sabbatum dicimus, Deus praecipue maximeque coli ac sanctificari voluerit, diemque hunc septimum ad divina obsequia applicarit, iusseritque sanctum haberi totumque cultui divino sacratum, et ab omnibus profanis operibus remotissimum vel contrariis divino cultui vel extraneis, qualia sunt cuncta opera quae in hominum fiunt aut voluptatem, aut commodum atque servitium; sed sanctificaret homo diem hunc Deum colendo, qui fide, spe et caritate maxime colitur, operareturque in eo opera Dei, ut tandem aliquando vero sabbato potiatur.

Verius tamen dicendum his verbis significari diem septimum cultui et obsequio divino applicatum esse.

Sed quid illud est: *Quod creavit Deus ut faceret ?* Nonnulli referunt[19] illud *ut faceret*, non ad Deum, sed ad opus Dei, ut creaverit Deus opus suum et hominem vel maxime ad operandum, tanquam ad finem, ut non sit creatura otiosa. Alii ad Deum referunt[20], *quod creavit Deus ut faceret*, quia complacuit sibi Deus in opere suo; vel quia duo sunt praecipua Dei opera: creatio et recreatio; illud ponitur ad distinguendum hoc opus creationis ab opere recreationis;

Quod creavit Deus, etc. Alii tenent his verbis creaturarum otiositatem reprobari; alii vero opus creationis ab opere recreationis distingui.

17) Ibid. 18) Ibid. *Bereshit Rabba*, XI, 9, pag. 96; Ginzberg op. cit. V, pag. 107, not. 3. 19) Cf. Caietanus, apud Pererium *Comment. in Gen.*, lib. 1, t. 1, pag. 179-180; Fagius, col. 60-61; Clarius, col. 82. 20) Cf. S. Augustinus *De Genesi ad Litteram*, lib. 4, cp. 10, (P. L. 34, 303); cp. 16, ibid. col. 306-307; Rabanus Maurus *Comment. in Gen.*, lib. 1, cp. 9, ibid. 107, 475; Strabus *Glossa Ord. in Gen.*, ibid. 113, 83; Rupertus *De Trinitate*, etc. *In Gen.*, lib. 2, cp. 18, ibid. 167, 263; Drusius, col. 88, Cartwrightus, col. 107.

Rectius tamen referri videntur ad Verbum, in quo omnia creata fuerunt.

et sic *quod creavit Deus ut faceret,* idest quod creavit faciens, non reficiens. Mihi vero maxime probatur ut, quod dicitur: *creavit,* referatur ad Verbum, in quo disposuit Deus omnia, in quo *erant* omnia *et creata sunt*[21]*;* illud vero *ut faceret,* referatur ad opus operatum ad extra in sex diebus creationis.

Vrr. 4-5

Istae sunt generationes coeli et terrae, quando creatae sunt, in die qua creavit Dominus Deus coelum et terram et omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, antequam[22] *germinaret.*

Istae sunt generationes, etc. Variae lectiones iuxta Rab. Salomonem.

Rabbinus Salomon locum hunc[23] ita exponit: « *Istae,* idest quae dicta sunt supra, *generationes coeli et terrae, quando creatae sunt, in die qua fecit Deus,* etc. Docet te quod omnia creata sunt in principio. Expositio alia: *quando creatae sunt:* בהבראם, hoc est: בהי בראם: in הי creavit ea, sicut dicitur in יה: ביה ה צור[24]: *Deus formavit duos mundos,* in duabus litteris his nominis Dei formavit duos mundos; et docet te quod, quemadmodum mundus iste creatus est in הי[25], declarat quod descendit infra ad videndum corruptionem[26], sicut הא ista clausa est ex omnibus lateribus et infra aperta ad descendendum viam ibi ». Explicat etiam dictionem טרם, et inquit quod « una eius significatio est: עד לא, antequam, et non: קדם, quia non solet dici: הטרים, sicut: הקדים ». Adhuc aliam assignat eius significationem: « עדין לא, adhuc non, sicut est illud: כי טרם תיראון: *Priusquam timeretis*[27], idest: עדין לא תיראון: *Adhuc non timebitis.* Et sic exponetur hic: Adhuc non fuit in terra, quousque completa est creatio mundi in die sexto, antequam crearetur homo, et omnis herba agri adhuc non germinavit; et quod in tertio scriptum est: *Producat terra*[28], super aperitionem herbae steterunt usque ad sextum diem ».

Aben Ezra exponit sic[29]: « *Istae sunt generationes:* sensus est:

21) Apc 4, 11. 22) Vr. 4. Vulg.: *Priusquam,* loco: *Antequam.* 23) Op. cit. f. 4ª. 24) Sic scribit Rab. Salomon; in Ms. autem est: צורי. 25) Cf. *Bereshit Rabba, XII,* 11, pag. 108-109, *Fagius:* « Argutantur Hebraei, in hac voce: *Cum crearentur,* dicentes per duas litteras *Jod* et *He* conditos esse duos mundos, praesentem et futurum: quod colligunt ex isto loco Isaiae 26, 4: בטחו ביהוה כי ביה צור עולמים: *Sperate in Domino, quoniam per Iod et He creavit saecula.* Atque inferiorem hunc mundum per *He* litteram creatum dicunt, eo quod sit corruptibilis, quae corruptibilitas significatur per *He,* quae littera, cum undique clausa sit, infra aperta et corrupta est ». Col. 65. 26) Cf. Gn 18, 21. 27) Ex 9, 30. Ex hebraico. 28) Gn 1, 12. Vulg.: *Protulit,* loco: *Producat.* 29) Op. cit. f. 4ª.

haec sunt, quae sunt genita, *quando creatae sunt,* cum esset firmamentum et videretur terra. Et dictio: *In die qua fecit:* ביום עשות, est adaptata, et testimonium est: וימהר לעשות אותו: *Et festinavit ad faciendum eum*[30]; et sic: *creavit eum,* et postea: *formavit eum,* et deinde: *fecit eum. Et omne* שיח, est עץ, *lignum,* et sic inter germina vocantur; et iuxta opinionem meam est lignum fructiferum: propterea quod praeficitur homo super lignum; et ecce שיח, *frutex,* seu germen; et ניב, *folium,* seu palea; et סעיף, *palmes,* seu surculus; et בד, *linum;* et אמיר, *ramus superior;* et סעיף, *ramus communis* ».

Alia expositio Rab. Aben Ezrae.

Nos tamen ita exponimus. *Istae sunt generationes coeli et terrae.* Epilogo ac compendio quodam quaecumque supra dicta exarataque sunt, coeli ac terrae generatione comprehendit, ut extremis positis, supremo ac infimo, intermedia etiam, ac demum ea omnia, quae coeli ac terrae ambitu continentur, intelligi utique debeant. Generatio autem hic ipsa intelligenda creatio est, ut denuo subditur: *Quando creatae sunt,* productae ex nihilo infinita opificis virtute: *In die qua creavit,* seu ut est in fonte, *fecit Dominus Deus terram et coelum.* Frequentissimum in Sacra Scriptura est ut singularis vox pluralis loco usurpetur, quod hic quoque factum existimamus, ut *in die* dicat pro *diebus;* nisi forte quis dicat: in primordialibus creaturis, quae prima die suum esse acceperunt: quoniam virtute quadam, quaecumque dierum sequentium successu formata sunt, simul producta concreataque sint et comprehensa in illis, et propterea *in die* dicat, et non *diebus, qua fecit Dominus Deus.*

***Istae sunt generationes,* etc. His verbis exhibetur compendium ac epilogus totius operis creationis.**

Dicitur: *in die,* loco: *in diebus,* quia in S. Scriptura singularis pro plurali frequentissime sumitur.

In hoc loco primo omnium sacrum illud ac ineffabile Dei nomen, quod τετραγράμματον graece, שם מפורש[31] autem hebraice dicitur, יְהוָה, positum reperimus, nec unquam antea. Cuius quidem rei

Hic primo Deus appellatur *Iehovah,* quae est per-

30) Gn 18, 7. Vulg.: *Festinavit et coxit illum.* 31) Cf. Io. Drusius *Tetragrammaton, sive de Nomine Iod, He, Vau, He. Critici Sacri,* t. 1, part. 2, pag. 333-359. *Sem hammephorash,* idest ineffabile dicebatur, quia a solis sacerdotibus pronuntiabatur et non ubique, sed tantum in templo, cum populo benedicerent. Loco eius nominis ab Hebraeis proferebatur: *Adonai.* Ibid. pag. 338. *Io. Buxtorfius:* « שם מפורש, idest *nomen expositum.* Cabalistae sic vocant nomen *tetragrammaton:* יהוה; saepius tamen dicitur: המפורש ». *De Abbreviaturis* pag. 203. Dicebatur etiam *nomen separatum, divisum, occultum, mirabile, declaratum,* iuxta varias interpretationes vocis מפרש. *Maimonides:* « Nomen Dei *Schem hammephorasch:* Nomen Dei proprium, nomen expositum, quia clare et citra ullam aequivocationem de substantia Creatoris docet... Gloriosum istud nomen quod, ut nosti, non proferre licet nisi in Sanctuario et a sacerdotibus Dei sanctis, solum in benedictione vel sacerdotali, quae habetur Nm 6, 23 sqq., ut a sacerdote magno in die ieiunii ». *More Nebuchim,* part. 1, cp. 61, pag. 106-107.

fecta Dei appellatio, quia iam perfectum est opus creationis.

causam Hebraeorum nonnulli hanc afferunt [32] cur hic, nec unquam ante positum sit: ut ibi perfecta sit Dei appellatio, ubi perfectum opus exprimitur. Etenim summum Dei hoc nomen est et maximum et apprime proprium, quod nulli unquam creaturae donatum est. Divinam siquidem essentiam, et quaecumque ad intra divinae naturae competunt, arcano quodam mysterio ac secretissimo mirabiliter explicat, de quo nos, Deo vitam simul et gratiam praestante, super *Exodum* aliquid afferemus in medium.

Coelum et terram. Coelum creatum non fuit prius terra, sed utraque simul et unico Dei verbo.

Coelum et terram. Hebraica Lectio *terram* hic *coelo* praeponit, ne ex quo coelum antea praeposuerit terrae, putaremus illud quidem prius conditum, hanc autem posterius: sed simul semelque creata sunt unico et eo quidem potentissimo Dei verbo, quamvis non possint a nobis simul explicari, sed unum post alterum exprimimus; facta tamen simul cum sint, cum antea coelum praeposuerit terrae, illi nunc hanc simul creatam praeposuit dicto, non facto.

Per virgultum intelliguntur omnes herbae et ligna, etiam non fructifera.

Et omne virgultum agri, antequam esset . . . , omnemque herbam, antequam germinaret. Virgultum, hebraice est : שִׂיחַ, quod Chaldaeus Paraphrastes אִילָנִי, *arborem* transtulit. Rabbinus Aben Ezra [33] עֵץ פְּרִי, lignum fructiferum exponit; non incongrue tamen *virgultum* etiam dici potest, nam et *herbam* non raro significat [33a]. Sed quidnam illud est, quod dicitur: *Antequam esset ?* Quomodo produxit ea Deus *antequam essent ?*

Dicitur: _Antequam esset,_ quia non existebant ligna cum ea Deus crearet;

Eiusmodi dicti duplex potest intellectus assignari; primo quidem: ut cum non essent, iam omnino produxerit ea Deus, et sic produxit ea *antequam essent,* idest quando non erant; alter vero intellectus est : ut fecerit sua omnipotentia Deus virgultum et omnem herbam *antequam essent,* idest ex causis naturalibus, quibus virgultum et omnis herba apta erant ut forent, productaque sunt divina virtute in esse ante suas naturales causas, a quibus naturaliter producenda essent.

vel ut significetur non causis naturalibus fuisse producta, sed divina virtute.

Oriuntur enim haec communi naturae cursu ex aqueo humore, quo per pluvias superfunditur terra, adiuvante ac disponente hominum agricultura, pollentium industria et arte. Tunc tamen quando producta sunt haec, necdum pluvia fuerat, nec

32) Cf. *Bereshit Rabba, XIII,* 3, pag. 115 et loci paralleli. 33) Op. cit. f. 4a. Ms.: פירי.
33a) Cf. Pagnini op. cit. sub vocibus : שׁוּחַ et שִׂיחַ, col. 2889. 2948.

homo, qui terram coleret. Et hunc intellectum videtur magis Scripturae sensus habere; subditur enim statim has removens causas:

Vr. 6 *Non enim pluerat Dominus Deus super terram, et homo non erat, qui operaretur terram; sed fons ascendebat de terra irrigans universam superficiem terrae.*

Quod nostra Editio *fontem* habet, a Septuaginta acceptum est; ipsi enim sic habent: Πηγὴ δὲ ἀνέβαινεν ἐκ τῆς γῆς: *Fons autem ascendebat de terra.*

Hebraica autem Lectio וְאֵד[34] habet, quod est *vapor* aut *nubes.*

Chaldaeus quoque Interpres עֲנָנָא, idest *nubes,* transtulit.

Non enim pluerat, etc. Variae interpretationes iuxta Rab. Salomonem.

Rabbinus Salomon inquit[35] hic qua ratione *non pluerat Dominus Deus;* « propterea quod non erat homo ad colendum terram, et aestimaret bonitatem corporum; et quando venit homo, cognovit quod ea necessaria erant mundo, et oravit super ea, et descenderunt, et germinaverunt ligna et herbae. ה אלהים: *Dominus Deus:* ה, idest יהוה est nomen eius; אלהים est nomen potestatis et iudicii super omnia; et ita expositio haec in omni loco, iuxta simplicitatem eius: *Dominus:* יהוה, *qui est Deus:* אלהים ». *Et vapor ascendebat.* Inquit Rabbinus Salomon[36] quod « vapor ascendebat propter creationem hominis; ascendit abyssus et irrigavit nubes ad infundendum pulverem et creatur homo, sicut pistor aliquis, qui dat aquam et postea miscet fragmenta; etiam hic irrigavit et postea formavit ». Rabbinus Aben Ezra inquit[37], quod « vapor ascendebat sicut fumus de terra, virtute luminarium et irrigabat terram et germinavit. Et Gaon inquit quod eius expositio est: Et vapor non ascendebat de terra ».

Aben Ezram et Gaon.

Ostendit Moyses vegetalium productionem divina virtute factam, antequam humor aqueus ad eorum generatio-

Nos vero ita exponimus, ut cum posuerit Moyses primariam germinum herbarumque omnium productionem, non ex naturalibus causis, sed divina id iubente et efficiente virtute factam, eiusmodi positionem in praesentiarum probet, ostendens naturales fruticum germinumque causas tunc defuisse, quando haec

34) Ms.: איד. 35) Op. cit. f. 4a. 36) Ibid. 37) Ibid.

nem concurreret.

primo auctore Deo facta sunt. Etenim aqueus humor praecipuus ac necessarius terrae, nascentium fomes et origo, non erat cum facta sunt haec. Id patefacit asserens quod adhuc *non pluerat Dominus Deus super terram*, nec homo erat, qui terram excoleret; siquidem haec, quae oriuntur ex terra, agricolarum diligentia et labore plurimum adiuvantur, nec his poterant utique iuvari cum homo non esset.

Sed et fons, etc. Sensu negativo accipienda sunt verba haec,

secus enim non conspicitur primam rerum productionem divina virtute factam fuisse, cum iam existerent causae naturales.

Id vero quod sequitur: *Sed fons ascendebat*, placet admodum si negative exponatur: alioquin supra positam Moysis destruit rationem. Nam si *fons ascendebat et irrigabat universam superficiem terrae*, habebat utique terra aqueum humorem, quo posset germina producere atque fovere; atque ita non defuisset prima germinum naturalis causa atque origo. Aut si, iuxta Hebraicam Litteram, *vaporem* hic intelligamus, qui ascenderet et irrigaret *universam superficiem terrae*, quomodo verum est quod adhuc *non . . . pluerat Dominus Deus super terram ?* Sed si negative exponatur, cessat utique omnis obiectio constatque solidissima ratio, ut conspicue prima germinum productio Deo sit auctore exorta, cum causae penitus naturales eorum non essent. Nam Deus non pluerat, et sic non erat terra aqueo humore infusa; nec poterat terra agricolarum labore iuvari ad germinandum, cum homo non esset, qui eam excoleret; nec demum ascendebat de terra vapor ad modum nubis, qui resolutus in aquam, in pluviam fieret irrigaretque aridam; nec fons aliquis ascendebat, qui terram irrigaret.

Vel si accipiantur sensu affirmativo, referenda sunt ad futurum: Sed et vapor ascendet, etc.

At vero ne longius a communi omnium expositione deviemus, nec etiam Sancti Prophetae rationem destruamus, assertive id quidem exponimus, sed de futuro. Sic enim Hebraica Littera habet: *Et vapor ascendet et irrigabit universam superficiem terrae :* ut non referatur hoc ad eorum germinum fruticumque productionem, quae tertia die facta est [38], sed ad eam, quae postmodum virtute naturae fiet. Est ergo sensus Moysis: primaria virgultorum germinumque productio divina virtute facta est; at quae postmodum fiet virtute naturae, sic fiet: ascendet vapor,

38) Cf. Gn 1, 11.

et resolutus in aquam in coeli nubibus, pluvia fiet et universam terrae superficiem irrigabit; terram humore aqueo infundens, ipsam fecundabit.

Vr. 7 *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem.*

In Hebraeo: *Finxit igitur Dominus Deus hominem pulverem de terra et insufflavit in faciem* sive *nares eius spiritum vitarum, et fuit homo in animam viventem.*

Chaldaeus Paraphrastes vertit: *Creavit Dominus Deus hominem pulverem de terra, et factus est homo in spiritum locutionis:* ut ostenderet factum esse hominem in animam viventem, vita rationali et intellectiva; solis enim intellectu praeditis competit loqui.

Formavit igitur, etc. Interpretatio huius loci iuxta Rab. Salomonem, qui ait pulverem ad formationem hominis collectam fuisse ex quattuor partibus terrae.

Rabbinus Salomon in verbo: וייצר, inquit[39] «significare duas formationes: formationem huius saeculi, et formationem resurrectionis mortuorum; sed in iumento, quod non resurgit ad iudicium, non scribuntur in eius formatione duo י[40]». *Pulverem de terra:* inquit quod «collegit pulverem eius ex omni terra, a quattuor ventis, quia omnis locus, ubi moritur homo, est eius retentio pro sepultura. Expositio alia: tulit pulverem eius de loco, quod dicitur in eo: *Altare terrae facies mihi*[41]; et adiunxit illi operimentum, et potuit stare. *Et inspiravit in faciem eius;* et fecit eum ex inferioribus et superioribus: corpus ex inferioribus, et animam ex superioribus. Iuxta quod in prima die, creati sunt coeli et terra; in secunda, creavit firmamentum, pro superioribus; in tertia, apparuit arida, pro inferioribus; in quarta, creavit luminaria pro superioribus; in quinta, produxerunt aquae, pro inferioribus; coniunxit in sexta creationes in superioribus et inferioribus. Et non est invidia in operibus creationis, quia erunt haec multa super ea, quae sunt in creatione diei primae[42]. *In animam viventem:* et iumentum et bestia vocantur *animal vivens;* veruntamen haec hominis vita, quae est in omnibus, adiungit in eo scientiam et rationem».

39) Op. cit. f. 4a. 40) Ms.: *Jod.* 41) Ex 20, 24. Ex hebraico. 42) *Et non est invidia in operibus creationis,* idest nulla creatura praefertur ceteris, quia omnes simul prima die creatae fuerunt. Cf. supra pag. 174, not. 435 cp. 1; et pag. 208, not. 25 huius cp.

et Aben Ezram, qui tenet locum, ubi Adam formatus fuit, propinquum fuisse horto Eden.

Aben Ezra inquit[43], quod « sensus: *Inspiravit in nares eius*, est quia in ipsis vivit homo, quoniam ipsi educunt aerem calidum a calore cordis et introducunt alium aerem; et sensus: *In animam viventem*, est quod ambulavit statim, sicut bestiae et non sicut infantes ». Inquit etiam hic doctor[44] locum terrae, de qua creatus est homo, propinquum esse horto Eden, quia sunt qui dicunt terram illam fuisse terram Israel; et ecce obliti sunt: *Et factum est, cum proficiscerentur ab oriente*[45].

Discrimen inter animam sensitivam, rationalem et vim irascibilem, secundum aliquos Hebraeos.

Hebraeorum nonnulli[46] hoc ponunt discrimen inter נשמה, et רוח, et נפש; quod primum quidem, anima sit sensibilis et rationalis[47], et locum habet in מוח, idest cerebro, significat etiam flatum; secundum vero, est spiritus habens sedem in corde[48], quod est origo vitae, complectiturque הכעס, idest vim irascibilem; tertium vero, sit anima sive vis מתאוה, idest concupiscibilis[49], situm habens in כבד, idest iecore.

***Formavit igitur*, etc. Haec verba significant Deum immediate plasmasse corpus hominis, quia hoc loquendi modo tantum in hominis creatione S. Scriptura utitur.**

Nos vero ita exponimus. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae*, sive *pulverem de terra*, iuxta id quod infra dicitur: *Pulvis es et in pulverem reverteris*[50]. Corpus hominis hic Deum formasse vel, ut significantius dixerim, finxisse intelligimus; more etenim figuli ex argilla quodvis figmentum formantis, omnium artifex Deus humanum corpus de limo formavit, singulare ac nobile figmentum, quod divina manu effinctum est. Siquidem de nulla alia creatura habetur expressum eius formationi Deum astitisse; dictum quippe in aliis est: *Producat terra*[51], *producant aquae*[52], *fiat firmamentum*[53], *fiat lux*[54], *fiant luminaria*[55]. Hominis autem corpus Dei manu effinctum atque plasmatum Divina testantur Eloquia: *Formavit*, inquit, *Deus hominem*. Unde merito exclamabat B. Iob, dicens[56]: *Manus tuae, Domine, fecerunt me et plasmaverunt me;* et David Sanctus identidem asseverabat[57]: *Manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me.*

Poterat utique

Nil tamen dubitarim non omnino Deum per semetipsum, nulla alia causa prorsus mediante, corpus hominis formasse: sed ange-

43) Op. cit. f. 4^{a}. 44) Ibid. ad vr. 15 huius cp. f. 4^{b}. 45) Gn 11, 2. Ex hebraico. 46) Cf. Aben Ezra op. cit. f. 4^{a}; Pagnini op. cit. sub voce נשם, col. 1715. 47) Cf. Gn 2, 7; Iob 32, 8; 34, 14; Eccle 3, 21. 48) Cf. Gn 6, 17; 7, 15. 49) Cf. ibid. 9, 5; 23, 8; 35, 18. 50) Ibid. 3, 19. 51) Ibid. 1, 24. 52) Ibid. vr. 20. 53) Ibid. vr. 6. 54) Ibid. vr. 3. 55) Ibid. vr. 14. 56) 10, 8. 57) Ps 118, 73.

lorum etiam ministerio usum esse. Nam quid prohibet aliqua suo ministerio operatos esse angelos, ad quae eorum se virtus et ars extendebat? Siquidem in novissima hominum resurrectione, angelorum ministerio utetur Deus ad hominum corpora reformanda [58]; ipsi siquidem cineres colligent corporaque formabunt. Nec dubium apud me est ullum, quin et ipsi angeli plurimum desideraverint hominis creationem adiuvare, quo maiori nos amore prosequerentur et vigilantius, tanquam opus suum ex parte, custodirent.

Deus ministerio angelorum uti in formatione corporis humani.

Et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, seu *spiritum vitarum*, iuxta Litteram Hebraicam. Corpus exanime primum Deus condidit, quo mox formato, animam hominis creavit simulque infudit corpori. Non enim de potentia materiae ipsa quoquo pacto educitur, nec potest utique educi: sed a Deo immediate per creationem efficitur simulque infunditur, tanquam forma hominis substantialis actusque corporis naturalis. Nec tamen ipsum informans corpus, ad corporis molem extenditur; non enim quantitate molis mensurari potest, cum spiritus sit; sed ubique tota indivisa impartibilisque manet, tota in toto ac tota in singulis partibus totius.

***Et inspiravit*, ect. In corpus de terra formatum Deus infundit animam a se immediate creatam, tanquam formam substantialem et actum ipsius corporis.**

Sed quid illud est: *Spiritum vitarum ?* Quoniam vivit utique homo vita plantarum, qua vegetantur artus et membra; vivit vita sensus, qua sensibilia quaeque percipit, sive [quae] extrinsecus sive quae intrinsecus recipiuntur; vita [59] etiam secundum locum motiva progressivaque vivit, qua sibi necessaria perquirat ad vitam; vivit demum vita rationali et arte, qua a brutis discernitur praestatque universis. Sed has omnes vitas unus efficit homini a Deo spiritus insufflatus ; non enim quattuor sunt in homine animae hos exequentes effectus, sed unius tantum animae virtutes sunt et potestates. Quod enim in plantis est anima, in homine potestas animae, non anima est; et quod in brutis pariter anima est, in homine potestas ac virtus animae est. Animae itaque plantarum et animalium, vegetativa, sensitiva et secundum locum motiva, in hominis anima virtute ac potestate continentur, sicut trigonum in tetragono; hoc est, hominis anima virtutem habet ac potestatem eos omnes pro-

Dicitur: *Spiritus vitarum*, quia in una anima rationali continentur virtualiter etiam anima sensitiva brutorum et vegetativa plantarum.

58) Cf. Mt 13, 41 ; 24, 31. 59) Ms.: *Vivita.*

ducendi causandique effectus in homine, quos vegetativa in plantis, sensitiva et secundum locum motiva in animalibus, una existens anima harum omnium virtutes complectitur nobilius et excellentius, ac propterea dicitur: *Insufflavit . . . spiritum vitarum.*

In faciem eius, etc. Sic dicitur quia in facie inveniuntur omnes sensus;

Sed *in faciem* dicitur insufflasse Deus hunc spiritum, quia in facie sensus omnes percipiuntur vigere indeque perspicitur ratio et intellectus, in qua etiam interni affectus propalantur. Verum enimvero quia hominis una, praecipua ac prima vita est, qua ratione arteque vivit et quae homini propria est, propterea adiungitur: *Et factus est homo in animam viventem,* seu in animam vitae, scientia scilicet, arte et ratione pollentis. Prius dixit: *vitarum:* nunc autem *vitae;* ut illa solum vita, quae est ab intelligentia rerum, significaretur; et propterea Chaldaeus Paraphrastes vertit: *In spiritum locutionis,* sive loquentem: sermo enim et eloquium proprie ad rationalem et intellectualem creaturam pertinet; vel: *Factus est homo in animam viventem,* idest *in animal vivens:* recepto etenim spiritu in exanime corpus iam finctum, factus est homo vivens animal. Nam nec corpus animal est, nec anima; sed ex anima simul et corpore, tanquam informante et informabili, constat rationale hoc animal homo. *Factus est* itaqua *homo,* ut primum anima infusa est corpori, *in animam viventem,* hoc est *in animal vivens;* nam et *anima* pro toto composito frequentissime in Sacra Scriptura sumi consuevit [60].

In animam viventem, ad significandam vitam intellectivam.

Formavit [61] *igitur Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem.* Admirabilis humanae [62] naturae conditio hic nobis attentius ac maiori cum discussione consideranda [63] est, tum quoad corporis formationem et structuram, tum quoad animae multiplices potentias, vires, facultates et operum functiones, tum quoad totius ex his compositi rationem, quo conspici possit quam admirabile Dei opus homo sit. In hoc autem ea nobis series servanda est, quam littera ponit, ut de humani corporis formatione, secundo vero loco de animae virtutibus, tertio de totius hominis ratione discussio

De humanae naturae conditione quoad corpus, quoad animam et quoad totum compositum.

60) Cf. Gn 12, 5; 17, 14; 36, 6; 46, 15. 27; Ex 1, 5; 12, 4. 15. 19; 16, 16; Lv 7, 20. 27; 18, 29; 19, 8; Nm 9, 13; 31, 40. 61) Fragmentum hoc de humana natura, quod in codice ad f. 224a-229a invenitur, hic apposuimus. Cf. ea quae diximus in *Praefat.* 62) Ms.: *Huma.* 63) Ms.: *Nobis* repetitur.

nobis habenda sit. Hunc enim ordinem nobis Moyses proponit: *Formavit*, inquit, *Dominus Deus hominem de limo terrae:* ecce corpus; *et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae:* ecce anima, corporis actus et forma vivificans; *et factus est homo in animam viventem:* ecce constitutus ex his.

Variae praecipuae partes corporis humani.

Humanum autem corpus ex his tunc constitisse necessum est, in quae nunc quoque resolvitur, distrahitur atque dirimitur. Universum autem corpus in caput, thoracem, ventrem et artus dirimitur; haec ipsa rursus in alia: caput quidem in calvam, faciem, oculos, frontem, nasum, auriculas aliaque plura; thorax in pectus, latera et pulmones; venter in abdomen subditaque viscera; artus in tota crura et brachia, atque haec in humeros, cubitos et manus; rursum vero haec singula minutius conciduntur, ut manus in digitos et palmas, digiti in alia, ut in cutem, venas, carnem, arterias, nervos, tendones, vincula, cartilagines, membranas et ossa; similiter cetera membra, qui penitus introspiciet, unumquodque in haec omnia, vel certe plurima dissolvi. Hae vero partes sunt similares et homogeneae, undique similes et unam parilemque substantiam omnino adeptae; ex quibus dein partes, quae heterogeneae ac dissimilares dicuntur, simul compactis constant; ipsae vero, etsi simplices dici possunt, ex elementis tamen constare perspicuum est, in quae etiam resolvuntur. Cum ergo in haec omnia universum corpus dirimatur, ex his omnibus a sua formatione constitisse necessum est.

Prima elementa omnium corporum sunt quattuor: terra, aqua, aer, ignis;

At vero, quoniam oppositus est compositionis ac resolutionis progressus, ex his, in quae resolvitur ultimo, primo constitit ac, cum ultimo in elementa solvatur, ex his constitisse primo perspicue redditur. Confluxerunt enim primo elementa quattuor: terra, aqua, aer et ignis [64]; quae rebus omnibus gignendis sese ut primordia atque principia accommodant et concurrunt, et mixtione quadam compacta sunt ad hominis corpus formandum, sicut ceterarum rerum, quae corpore constant.

64) De hac opinione communissima inter philosophos antiquos circa primordialia elementa corporum animalium et eorum qualitates et temperamenta eorumque mixtionem et contrarietatem, etc. loquitur *Aristoteles* passim in suis libris, praesertim vero in 2 *De Generatione et Corruptione*, cp. 2-7, t. 1, pag. 317-322. Cf. Galenus *In Libros Hippocratis Commentarii*, *De Temperamento*, lib. 1, cp. 1 sqq., t. 1, f. 11 sqq.; *De Elementis*, lib. 1, cp. 1 sqq, ibid. f. 2 sqq.

Confluxerunt autem elementa non absque suis viribus et qualitatibus praesertimque primis, quae sunt: calor, frigus, humor et siccitas. Hae principes sunt, ex quibus aliae oriuntur, quae in molli, duro, crasso, tenui, levi, aspero sunt corpore, quae variae dicuntur et quasi multiformes; illae autem, ex quibus hae oriuntur, omnium sunt primae et potentissimae. Elementa igitur, ex quorum concursu compactum ac finctum est corpus, cum mutationibus et conversionibus sese plurimum exagitent, ut his qualitatibus polleant necesse est eaeque ipsae singulis singulae summae insunt corporibus, ut igni quidem summus calor, aeri summus humor, aquae vero summum frigus, terrae demum summa siccitas; adeo ut puro igne nil sit calidius, nec levius; puro aere nil humidius, nec aqua quidem; nam etsi humectat magis, non tamen ob pleniorem humorem id accidere putandum est; sed quod is in crassiore fluxaque substantia positus, dum in vias recessusque corporum inseritur, consistit retentusque diutius illa afficit, quae humectat madidioraque reddit, quod aer prae tenuitate efficere nequit. Non ergo aere humidior aqua est, sed e contra, humidi summum gradum aer tenet, aqua autem frigoris, ut nil ea pura frigidius sit, nec gelu quidem. Terra demum quicquam siccius non est, etsi ignis magis exiccat: id autem per accidens est caloris interiectu, quatenus suo calore corporum humorem exhaurit et dissipat; at terra affusum humorem combibens per se exiccat. Est deinde suo cuique elemento retusior altera qualitas, simplex quidem, sed quae sui generis summum gradum non impleat: ea in igne siccitas est caloris comes, in aere calor, in aqua humor, in terra frigus siccitati copulatum.

quibus respondent quattuor item primae horum qualitates: siccitas, frigiditas, humiditas, calor.

Elementa haec in mixto integra manent, sed unita ac vincta a forma,

Cum omnibus ergo his viribus confluxere elementa ad corporis constitutionem una cum suis substantiis; neque enim solae elementorum vires sine eorum substantiis in nobis asservantur: sed et vires et substantiae permixtae manent; sed vires quidem totis totae se permiscent et mutua quadam pugnantia sese vicissim ad moderationem quandam redigunt, fitque illarum confusione temperamentum quoddam per universam compositi molem diffusum. Substantiae autem continua quadam appositione connexae sunt ac in exiguas portiones se distrahunt eoque se ordine componunt, ut quaeque tandem alterius diversique generi cuipiam cohaerescat; sensu notari non possit

et a concinnis qualitatibus mutuo copulatis et sibi cohaerentibus.

quod non sit ex his quattuor constans [65]. Manent igitur elementorum in mixto exiguae particulae et in suis integrae formis consistunt; non tamen liberae aut sui iuris, sed implicitae, vinctae et quasi interceptae mutua qualitatum pugnantia et dignioris formae praesentia. Unde pristinas sibique inditas vires expromere non valent, nec ignis urere, nec aqua impendio refrigerare; quapropter solum potestate insunt, ita tamen ut, temperamento per obitum soluto, ad se redeant et in libertatem vindicentur. Temperamentum autem elementorum, tum virium tum substantiarum dico, non ipsam mixtionem, sed rationem mixtionis, et in mixtis elementis principum qualitatum concentus quidam et harmonia.

Elementa in mixto et eorum qualitates oportet aequa proportione temperatas esse,

Consequitur autem mixtionem temperamentum veluti eius propago ac soboles; et si illa elementorum vel maxime propria est, istud vero qualitatum, ita tamen se consequuntur ac iuncta sunt, ut sicut mixtio [non] citra efficientium qualitatum opem, ita nec temperamentum sine elementorum substantia induci potest. Quocirca temperamentum concentus quidam est quattuor principum qualitatum ex omnium elementorum mixtione; unde tum in elementorum tum in qualitatum concinna quadam ac consona proportione consistit [66].

Ex his autem quattuor temperaturae simplices exurgunt, quae vicissim in quattuor alias dividuntur, quae *coniugatae* dicuntur.

Quattuor igitur naturarum cum aequales vires in unum coierint, ut calidi, frigidi, humidi siccique pares sint portiones, temperies illa conficitur, quae iustum temperamentum dicitur, ceterorum lex et regula. Si vero unum vel ad summum duo reliquis excellant, cum intemperie quadam ipsum temperamentum exurgit: cumque quattuor sint, ex quibus temperamentum absolute conficitur, singulorum exuperatione quattuor simplices fiunt temperaturae: calida quidem, in qua calor frigori antecellit: humoris autem et siccitatis aequalitas est; frigida, in qua dominatur frigus; humida, cuius humor primas obtinet; sicca, ubi humore siccitas potentior est. Paribus his, quae in altera oppositione sunt, contrariis, sunt et quattuor aliae, quae coniugatae temperaturae dicuntur, quae duorum simplicium exuperantia processerunt. Hae sunt: calida et humida; calida et sicca; frigida et humida; frigida

65) Galenus op. cit. *De Elementis*, lib. 1, cp. 1, t. 1, f. 2.

66) Idem *De Temperamento*, lib. 1, cp. 3, ibid. f. 11; *De Usu Partium Corporis Humani*, lib. 1, cp. 9, ibid. f. 199.

et sicca; plures esse non possunt cum duae sint oppositiones limitibus quattuor conclusae et unius utraque extremitas non possit principatum obtinere.

Quando octo hae temperaturae aeque perfecte proportionatae sunt, fit *temperamentum ad pondus*.

Octo igitur sunt temperaturae intemperatae, unum vero[67] temperamentum. Cum paribus omnium conflatum portionibus extremorum medium possideat, temperatissimum est, et temperamentum ad pondus dicitur, quo humanum corpus vel maxime temperatum est, ut multorum fert opinio[68], tum maxime primi hominis. In homine enim nobilissimum ac temperatissimum omnium temperamentum perspicitur, quod vel maxime in sensu tactus apparet, qui discernendi temperamenti lex est et iudicium; sensu autem tactus homo longe alia quaevis animalia superat.

Elementis et qualitatibus sic temperatis superveniunt innatus calor, spiritus ac primigenium humidum, ceu vincula quibus anima corpori ligatur;

Post elementorum vero tum substantiarum cum virium mixtionem et temperamentum, innatus calor, spiritus ac primigenium humidum sequuntur[69], quibus ceu vinculis anima corpori ligatur, et consumptis, necesse est a corpore emigrare. Insiti enim vi caloris natura animalibus contraditum est ut vitam agant, et ex eius extinctione mors statim sequitur. Quare non frigus, tanquam contrarium ei opponitur, sed extinctio, quae eius privatio est: ceu lumini contrarium nil est, sed adversae tenebrae illius sunt privatio, atque si vel minimum luminis corpus illustret, illuminatum dicimus; sic vitalis calor quantuluscumque corpus possideat ipsum regit.

iis iterum dissolutis, statim mors sequitur.

Neque calorem hunc prorsus elementarem dico, sed supra elementorum naturam; una enim omnium philosophorum consensio calore vitam definit, mortem autem caloris extinctione: unde Aristoteles mortem caloris extinctionem definivit[70]; quare demortuum animal calore hoc omnino destitutum

67) Ms.: *Unum vero* repetitur. 68) De hac quaestione cfr. Conimbricenses *De Generatione et Corruptione*, cp. 8, q. 2, a. 1. Dicitur *temperamentum ad pondus*, quando est omnino aequale, quasi aequo pondere libratum, in quo nimirum omnes quattuor qualitates: siccitas, humiditas, frigiditas, caliditas, paribus a medio intervallis coeunt et nunquam excedit ulla alteram. E contra dicitur *temperamentum ad iustitiam*, quando pondus hoc aequale non est, seu quando temperamentum concretum existit disparibus qualitatum portionibus. Cf. etiam Boyvin *Philosophia Scoti*, *Physicae*, part. 2, cp. 3, *De Elementorum Mixtione*, q. 4, t. 3, pag. 594, not. 3. 69) Cf. Galenus op. cit. *De Hippocratis et Platonis Decretis*, lib. 8, c, 7, t. 1, f. 188; *De Dynamidiis*, t. 7, f. 105; *De Humoribus*, *Comment. 1*, t. 8, f. 3. 70) *De Iuventute et Senectute*, cp. 4, t. 1, pag. 445.

est. Quod si elementaris huiusmodi calor esset, cum in partibus singulis cadaveris aliqua supersit quattuor elementorum permixtio, haberet omnino adhuc demortuum animal vitalem calorem.

Calor autem hic spiritum habet sedem ac vehiculum, quo tanquam corpore fluxo ac profluente continetur, ut per omne corpus permeare ac per arterias singulis partibus possit impartiri. Quare cum spiritus substantia sit aerea vel aetherea, corporea, tenuissima, pernicitate velox, quae universum corpus potest velocitate traiicere, calori materia sternitur, cum sit etiam substantia calori in fovendo amica. Spiritus autem cum tenuis sit aethereaque substantia calore perfusa, non potest aut esse aut diutius permanere citra humoris opem. Quapropter primigenius ac vitalis humor tum spiritus tum innati caloris fundamentum sternitur et substantia prima [71], ceu flammae quidem lucernae vapor ille et halitus efflatus et ex olei substantia suscitatus sternitur, sicut calori spiritus; olei autem humida substantia in ellychnio, tum flammae tum halitus fundamentum ac pabulum est et utrumque alit ac fovet alimentario humore suffulta; ita est primigenius humor ad spiritum et calorem. Et sicut flamma illa non potest sine aut halitu aut humore sustentari, sine quo nec halitus; ita nec innatus calor nec spiritus possunt sine primigenio humido manere. Quare innatus calor humidum est spiritu et calore perfusum, spiritus vero tenuis aethereaque substantia calore perfusa.

Calor enim regitur et vehitur a spiritu, qui totum corpus permeat; spiritus autem, ut possit permanere in corpore, humore primigenio opus habet;

sicut flamma in lampade olei substantia opus habet, ut ardeat.

Humidum autem primigenium ac vitale humor quidam aereus est, pinguis et oleo perquam similis, innati caloris sedes ac substantia, qui in partium similarium substantiam consertus omnem effugit aciem oculorum. Quare non is adeps est, quo partes quamplurimas oblini cernimus: sed alius multo dissimilis; nec alimentarius humor est: sed hoc, qui advenit, fovetur et resarcitur; neque ille est aqueus humor, cuius interventu similares corporis partes sibi cohaerent ac firmae in soliditate consistunt. Humor autem iste vitalis non unus ac simplex est, nec spiritus ac innatus calor, quo-

71) *Aegidius Romanus:* « Spiritus hic definitur a Costabelluce, in libro *De Differentia Spiritus et Animae:* Spiritus est quoddam corpus subtile, quod in humano corpore oritur ex corde et fertur in venis pulsus ad vivificandum corpus, anhelitum operatur, quia vita anhelitum atque pulsum habet ». *De Formatione Corporis Humani*, cp. 9, pag. 59-61.

niam haec cum temperamenta sequantur, quae in similaribus partibus sunt, nec omnes similares partes uno ac eodem temperamento tenentur: cum quaedam sint frigidae et aridae, sicut os, nervus, membrana; aliae aliis temperamentis temperatae; diversa temperamenta diversi etiam tum spiritus tum innati calores tum humores vitales [72] consequuntur.

Praeter calorem et spiritum et primigenium humidum, tres alii spiritus inveniuntur in corpore: *naturalis*, qui emittitur e iecore in cor; *vitalis*, e corde in cerebrum; *animalis*, qui e cerebro in corpus diffunditur.

Deinde praeter spiritus, qui stabiles et in unaquaque parte fixi sunt, iuxta partis illius temperamentum, tres insuper errantes et vagi alii ponuntur: n a t u r a l i s, v i t a l i s et a n i m a l i s. N a t u r a l i s, qui e iecore per venas in corporis extrema diffunditur [73]; v i t a l i s, quem cor assiduo per arterias emittit; a n i m a l i s, qui a cerebro per nervos profectus partes irrigat sensus motusque compotes [74]. Hi autem influentes spiritus ex alimento innati sive insiti spiritus vi generantur. Alimenti enim purior magisque aerea pars concoctione in tenuiorem sanguinis substantiam transit, quae vaporis speciem quandam exhibet [75]; ea tamen a spiritu iecoris ingenito vim accipiens, spiritus fit naturalis, reliquo sanguine tanto praestantior, quanto iecoris molem vis ei naturaliter insita praecellit. Huius spiritus quantum per venam cavam una cum sanguine in cor invehitur; illic denuo caloris vi accuratius attenuatum in aeris prope speciem mutatur atque a dextro cordis sinu, per communes arctissimosque aditus, in sinistrum permeat;

72) Ms.: *Vitale.* 73) *Galenus:* « Naturalis spiritus in iecoris venis continetur ». *Methodi Medendi*, lib. 12, cp. 5, t. 6, f. 75; *De Humoribus* t. 8, f. 2-4. 74) Idem: « Animalis spiritus in cerebri sinu con'inetur ». *De Hippocratis et Platonis Decretis*, lib. 1, cp. 2, t. 1, f. 143-144. *Aegidius Romanus:* « Sicut spiritus oritur in cerebro, in nervis, et operatur sensum atque motum, similiter dicere possumus quod spiritus oritur ex epate in venis et operatur nutrimentum membrorum, secundum illum modum distinguendi quod spiritus naturalis, sive nutrimentalis est in epate, vitalis in corde, animalis, sive sensibilis in cerebro... Ideo cor est origo et fons cuiuscumque spiritus, sive sit spiritus naturalis, qui deservit nutritioni, sive pulsatilis, qui deservit vitae, sive animalis, qui deservit sensui: radix enim et origo omnium istorum est cor, in quo principaliter est virtus vitalis, nutritiva et sensibilis; attamen, quia virtutem nutritivam communicat cor epati, ita quod in nutriendo epar deservit cordi; sensitivam communicat cerebro, ita quod cerebrum in sentiendo subservit cordi; pulsatilem autem virtutem, quae dicitur esse virtualiter, retinet cor sibi; ideo dictum est quod spiritus vitalis est in corde, naturalis, sive nutrimentalis in epate, animalis, sive sensibilis in cerebro ». Op. cit. pag. 59-60. *Cf.* etiam Boyvin op. cit. *Physicae*, part. 3, cp. 1, q. 2, t. 3, pag. 693.

75) *Galenus:* « Spiritus tenuis et levis et citus... Stoici quidem hunc ipsum spiritum animae esse substantiam autumant. Nos sane de animae substantia non admodum pronuntiare quippiam audemus. Quamquam nos iam ante spiritum innatum, etiam si non sit animae essentiam, saltem primum esse eius instrumentum demonstravimus, vegetativum in epate, sensitivum in cerebro, vitalem in corde ». *De Usu Part. Corp. Hum.*, lib. 6, cp. 10, t. 1, f. 60.

ubi, hausto per pulmonem aere temperato, materia quaedam fit, cui calor et vis concessa vitalis, spiritum profert vitalem per arterias toto corpore diffusum. Portio autem istius, quae per cervicis arterias in cerebri basim rapitur tertio contextus illius admirabilis anfractu mitigata, mox in cerebri ventriculos per contextum alium, χοροειδῆ [76] appellatum, confertur; illic, exhausto per nares elaboratoque aere, fomentum incrementumque recipit et vi spiritus qui cerebro est ingenitus, spiritus fit animalis, ad motum, ad sensus ad omnesque animales functiones apte comparatus [77].

Admirabilis humani corporis structura, in singulis eius partibus.

His positis quae in universi corporis partibus singulis constituuntur, nunc ut admirabilis humani corporis structura, quae Deo auctore facta est, clarius inspiciatur, de singulis tum homogeneis tum heterogeneis partibus corporis quaedam afferre operae pretium visum est. Et aridas ac osseas primo partes extruemus; deinde vinculis, nervis, lacertis, venis, arteriis, cute ac reliquis tum internis tum externis partibus integrum reddemus.

Spina omnium sedes et origo est ossium, quae singula enumerantur.

Omnium autem ossium sedes et origo spina est, quae carinae in navigio primo iactae comparatur; huius enim ope corporis moles stat et erigitur, ceu carinae latera, prora puppisque innixa cohaerent. Spina autem ad necessitatem actionum, cum hominem flecti curvarique oporteat, pluribus coagmentata est ossibus tanquam nodis, quae vertebrae nobis dicuntur, omnes osse sacro suffultae. Universa autem spina quattuor in partes fusa est: os sacrum, lumbos, dorsum et collum. Os sacrum sex quasi vertebris constat; ab eius ima parte os aliud dimittitur appensum, quod κόκκυξ graece, latine autem c a u d a dicitur, quattuor ossibus teretibus, gracilibus et magna ex parte cartilaginosis compactum. Supra os sacrum lumbus quinque ossibus consedit, cui dorsum insidet, vertebris structum duodecim; proxime cervix, septem. Unde triginta sunt in spina vertebrae, omnes mira compage contextae ac diversarum figurarum; hae quidem rotundae, ut quae ad intestina vergunt, unde σπονδύλαι dicuntur, extra vero multiplices efferunt productiones: aliae e medio prominentes, aliae transversae utrinque addi-

76) Ms.: *Coroidem*, et infra: *Coccix*, *spondili*, *spongoides*, *ethmoides*, *ecphisis*.

77) Cf. Galenus *De Hippocratis et Platonis Decretis*, lib. 7, cp. 3, t. 1, f. 180.

tae, aliae sursum deorsumque ductae, per quas vertebrae texuntur et cohaerent. Vertebrarum autem processuumque omnium extrema cinguntur cartilagine, in quam vincula crassa et valida inseruntur, quorum beneficio interiores vertebrarum nodi cohaerescunt.

De capitis ossibus

Deinde sunt capitis ossa, cuius verticem calva globosa et rotunda integit, introrsum concava: cuius una pars, quae coronaria dicitur, a temporibus utrinque ad verticem viam capessit; altera in occipite posita est, a capitis imo et posterioribus utrinque partibus sursum contendens; tertia in capitis longitudinem porrigitur, angulo in mediam coronam excurrens. Id maximo foramine perterebratum est, per quod medulla e cerebro in spinae fistulam delabitur. In his sunt dentatae more serrae connexiones suis dentibus pectinatim intextae; subter haec duo sunt ad suam quodque auriculam, quae a lapidis specie et duritia p e t r o s a dicta sunt, in quorum cavo duo ossa malleo similia visuntur; ab utroque processus quasi surculus introsubit in foramen et, quo soni admittantur, ad cerebrum introfertur [78]. Os sextum frontis est, quod in superciliorum sede, ubi eminet, duplex est concluditque gemina facie inanem capacitatem in nares derivatam; pars superior coronaria sutura cingitur, inferior in oculorum cava reflexa, summum in his parietem facit. Iam his totique cerebro, ceu basis, quodam substernitur os, in quo utrinque foramina cernuntur, per quae sentientium nervorum propagines dimanant in sensus. Sub interiore eius facie capacitates duae latent, in quibus est rete admirationis plenum aliaque cerebri arcana [79].

Post haec sunt faciei ossa, quam totam geminam ea commis-

78) *Galenus:* « Breve est cerebri ad aurem spatium. Et eius foramen a petroso osse incipit, quod medium est inter os et petram, sicut conchae piscium, et propter hoc utriusque suscipit denominationem... Item quidam panniculus exit a nervo descendente cerebri, qui interius investit os petrosum et totam praestat ei sensibilitatem quam habet: et est foramen ad ipsam aurem ». *De Anatomia Virorum*, t. 7, f. 41.

79) Idem « Quod anatomici nuncupant: Δικτυοειδὲς, idest *plexum retiforme*, maximo omnium, quae illic sunt, admirabile, ibi est collocatum, complectens quidem in orbem et ipsum adena, pertingens autem retro longissime. Toti enim propemodum cerebri basi plexus hic subiicitur. Est autem non simplex rete, sed eiusmodi, ut si vulgaria haec piscatorum retia plura alia aliis cumulata superiicias. Inest tamen naturali huic reti id eximium, quod alterius replicationes alterius replicationibus sint connexae, quodque ex ipsis seiunctum nihil omnino capere queas. Nec certe ex quavis materia conflatum est, sed natura maximam portionem eorum arteriarum, quae a corde sursum ad caput feruntur, materiam plexui huic admirabili subiecit ». *De Usu Part. Corp. Hum.*, lib. 9, cp. 4, t. 1, f. 254.

sura discernit, quae ab intervallo superciliorum per medias nares inter medios dentes producta, palatum in longitudinem secat. Maximum in ea est os malae, in quo dentium superiorum radices figuntur; ad primorum autem dentium, qui secant, radices ossa duo sita sunt, lineis distincta, rursumque duo perexigua, quo loci interstitium est narium, unde superius labrum enascitur. Inter oculum et aurem est os iugale, durum quidem, et temporum musculus. Tanquam propugnaculum nasus ossa duo gestat quadrangula, a iugo nasi per illius longitudinem ducta, in quorum extrema cartilagines inseruntur, alae vocatae. Utriusque oculi fossae tria substituuntur ossa, praeter ea, quae veluti parietes sunt inter palatum et cerebri basim usque ad nares; utrinque diversa disiecta sunt ossa, tenera quidem atque tenuia, quae varie contexta spongiae formam ferunt, unde graece σπογγειδεῖς dicuntur. Praeter id, aliud ad summam nasi radicem intus fixum haeret, latum et tenue, quod varie pertusum more cribri Graecis ἠθμοειδής dicitur, e cuius medio mittitur ad cerebrum quasi verruca perdura; deorsum vero ἔκφυσις, laminae specie, quae narium interstitium est, cui cartilago innascitur nasi pars infima. Maxillam interiorem duo conficiunt ossa mento extremo strictissime agglutinata; utraque autem maxilla crebro perfossa quibusdam quasi alveolis, in quibus singuli dentes infiguntur, qui fere sexdecim sunt, raro plures, pauciores nonnunquam; ex his quaterni primores dicuntur; post hos canini sunt utrinque duo, ultra quos maxillares utrinque quaterni. et faciei.

Thorax toto dorso innititur, articulos habens duodecim et costas utrinque duodecim, quarum septem superiores integrae atque perfectae ad pectoris os nectuntur in leves illius ossis sinus: quare os ipsum pectoris ex septem constat ossibus in transversum cohaerentibus, cum singulis integris costis singula pectoris ossa respondeant. Ab huius autem ossis extremo oblonga cartilago pendet, quod malum punicum dicitur; reliquae autem quinque costae inchoatae et quasi mutilatae in cartilagines finiunt; unde nothae et adulterinae dicuntur, quoniam inter se retortae sursum quasi conglutinatae cohaerent. Scapularum autem ossa sunt duo, figura triquetra; brachii autem ossa tria sunt: humerus, cubitus et manus; humerus osse uno continetur; cubitus duo habet; manus in palmam et digitos De thorace, scapulis,

dividitur; et palma quidem ossibus duodecim constat, digiti autem quindecim ossibus continentur.

Sunt deinde coxarum ossa valentissima processibus, quos os sacrum emittit, astricta; utrique autem coxendici femoris ossa convolvuntur. Post hoc sunt cruris ossa duo; sequuntur patella, malleoli, talus et pedis ossa, quae viginti tres vel quattuor sunt. Circa omnium autem fere ossium extrema cartilagines obducuntur: etsi aliud sit etiam cartilaginum genus solitarium ac per se subsistens vixque ulli ossi impactum, ceu eae sunt quae in ciliis, auriculis, in faucibus, epiglottide, in laringe, in aspera pulmonum arteria et in cordis basi, quae solidi roboris gratia tantum conditae sunt.

coxis, cruribus et cartilaginibus.

Est deinde ossium connexio multiplex, altera per articulum, altera per coitum: per hanc ossa, quorum non est motus, nexu indissolubili cohaerent; per articulum autem ossa mobilia vinciuntur. Multa etiam sunt ossium vincula, quae nervosum ac perdurum corpus sunt, solidum et exangue. Haec autem et multa sunt, nec unius generis omnia; quaedam enim ad instar solidae membranae sunt, quaedam vero ceu cartilaginosi nervi.

De ossium connexione et vinculis

Musculi autem atque tendones valde plurimi sunt. Conditus est autem sic musculus: nervorum fibris ad motum accommodatis caro circumcrescit illarum fulciens robur; venae et arteriae conspersae; omnia vero tenuis membrana complectitur musculumque definit. Unde tres sunt eius in longitudine partes: origo, medium et exitus; et origo quidem nervosa est; medium autem his, quae dixi, omnibus constat; extremus tendo contextis atque confusis nervorum et vinculorum fibris concrevit ut, natura media donatus, durior et robustior fieret ad motum, quam nervus: at vinculo mollior et infirmior; hoc rursum sensus acumine superaret, ab illo autem deficeret.

deque musculis.

Vr. 8 *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat.*

In Hebraeo est: *Plantavit Dominus Deus hortum in Eden ab oriente, et posuit ibi hominem quem finxerat.*

Chaldaeus Interpres: *Et plantavit prius*, seu *ab antiquo.*

Septuaginta transtulerunt: Καὶ ἐφύτευσεν ὁ θεὸς παράδεισον

ἐν Ἐδὲμ κατὰ ἀνατολάς [80]: *Et plantaverat Deus paradisum in Eden ad orientem.*

Plantaverat autem Dominus, etc. Variae lectiones.

Tanta interpretum diversitas hinc ortum habuit, quoniam duae sunt hic in Hebraeo Textu voces ambiguae: עֵדֶן et קֶדֶם. Et עדן quidem *delicias et voluptatem* saepissime in Sacra Scriptura significat [81]; aliquando vero *loci* cuiusdam ac *provinciae* nomen est [82]; קדם etiam *temporis prioritatem* non raro designat in Scriptura [83], et est eius etiam frequentissima acceptio pro *oriente* [84]. Nostra Editio has duas voces iuxta priores acceptiones habet, quamvis infra eas iuxta alterum significatum accipiat, cum de Cain dicitur: *Et habitavit ad orientalem plagam Eden* [85]. Hebraei vero iuxta posteriora significata has voces interpretantur, ut Rabbinus Aben Ezra [86] et Rabbinus Salomon [87] hic testantur, asserentes Deum plantasse hunc hortum in loco, qui dicitur Eden, ad orientalem partem eius loci, quod etiam ב [88] servilis indicat.

Ab oriente, communiter accipitur pro locali situ horti, idest in regione quae dicitur Eden, ad plagam orientalem illius regionis.

Littera ergo Hebraica haec est: *Plantavit Dominus Deus hortum in Eden, ab oriente,* seu a plaga orientali. Locum ergo, ubi plantaverit hunc hortum Deus, seu paradisum voce persica, vel potius hebraica, a פרדס, idest *paradisus,* Sacra Scriptura insinuat, Eden videlicet regionem, quae ab amoenitate et deliciarum ubertate sic dicta est. Deinde ad quam plagam eius regionis situs sit declarat, *ad orientalem* videlicet *plagam.*

Quae in S. Scriptura de paradiso hoc dicuntur, ad litteram principaliter accipienda sunt;

secus omnis historia subverteretur, et veritas in fabulam converteretur.

Ex quo licet advertere quod, quae hic de hoc paradiso dicuntur, non adeo sunt spiritualiter intelligenda, ut pereat sensus historiae, quemadmodum recte D. Augustinus admonet his verbis [89]: « Quae commode dici possunt de paradiso intelligendo spiritualiter, nemine prohibente dicantur: dum tamen et illius historiae fidelissima veritas rerum gestarum narratione credatur ». Etenim si paradisus non est sensibilis et corporeus, non est etiam fons; si non fons, non est flumen; si non flumen, neque in quattuor dividitur

80) Ms.: Κατα τας ανατολας. 81) Cf. Gn 18, 12; 2 Rg 1, 24, Ps 36, 9; Ier 51, 34; Ez 28, 13. 82) Cf. 4 Rg 19, 12; Is 37, 12; Ez 27, 23; Am 1, 5. 83) Cf. 1 Rg 24, 14; 42, 2; Is 43, 18; Mal 3, 4. 84) Cf. Gn 11, 2; Ex 27, 13; 10, 19; 11, 1; 47, 18; Ioel 2, 20; Zach 14, 8. Cf. Pagnini op. cit. sub his vocibus, col. 187-189. 2409-2416.
85) Gn 4, 16. 86) Op. cit. f. 4ª. 87) Ibid. 88) Ms.: *Beth.* 89) *De Civitate Dei*, lib. 13, cp. 21, (P. L. 41, 395).

capita; non est Phison, non Gehon, non Tigris, neque Euphrates [90]; non ficus, neque folia quae *consuerunt*, ut facerent *sibi perizomata* [91]; nec comedit Eva ex arbore; nec erant ibi animalia viventia, quae adducerentur ad Adam, nec eis nomina Adam imposuit; sed omnis veritas in fabulam vertitur.

Plantavit ergo *Deus paradisum* sensibilem et corporeum, omnibus deliciis cumulatissimum locum, omnibus suavissimis herbis ac floribus et plantis repletum, ubi amoenissimae invenirentur arbores omnigena fructuum ubertate refertae, qui essent et aspectu pulcherrimi et gustu suavissimi; ibique *posuit hominem, quem* [92] *formaveral*, ut felicem ibi ac propemodum beatam duceret vitam: ut sicut perfectum formaverat hominem, ita et locum primae eius perfectioni daret convenientissimum, divinamque regionem eius conversatione dignam, qui *ad imaginem . . . Dei factus est* [93].

Vr. 9 *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulcrum visu et ad vescendum suave; lignum etiam vitae in medio paradisi et lignum scientiae boni et mali.*

In Hebraeo: *Et germinare fecit Dominus Deus de terra omne lignum concupiscibile visui et bonum ad vescendum et lignum vitarum in medio horti et lignum scientiae boni et mali.*

Chaldaeus Interpres etiam habet: *Lignum concupiscibile;* nam quod in hebraeo est: כָּל־עֵץ נֶחְמָד, habet ipse: כָּל־אִילָן דִּמְרַגַּג, idest: *Omne lignum concupiscibile.*

Rabbinus Salomon inquit [94] haec verba esse dicta

Produxitque Dominus, etc.

propter paradisum. Rabbinus etiam Aben Ezra, exponens [95] יצמח per הצמיח, *germinare fecit*, in hiphil, inquit quod germinare fecit omne lignum in horto.

Hic ergo incipit Moyses paradisum describere declarans

Quia etiam ante peccatum necesse erat homini cibum sumere, describitur hic a Moyse paradisus et varietas

primo: quomodo erat consitus omni genere arborum, quas Dominus de humo produxerat, gustu suaves et delectabiles, ac concupiscibiles visui, quibus vesceretur homo. His enim vesci necesse fuit homini etiam antequam culpa illa labefactaretur, ut vitam servaret et ne moreretur. Etenim natura mortalis factus est homo, quippe qui ex

90) Cf. Gn 2, 10-14. 91) Ibid. 3, 7. 92) Ms.: *Quae* 93) Gn 9, 6.
94) Op. cit. f. 4ᵃ. 95) Ibid.

corruptibilibus elementis fuit compositus, quae vicissim in se invicem agunt et a seinvicem patiuntur; et omne tale corrumpi necesse est, cum nullum violentum possit esse perpetuum. Homo ergo cum ex elementis constaret intra seinvicem contrarietatem habentibus, corruptibilis erat naturaque mortalis: dono tamen gratiae factus immortalis erat, hoc est, ut posset non mori; providerat enim ipsi Deus contra vim mortis remedia, ut in eo perseverans statu, in quo eum condiderat ac statuerat Deus, moriendi necessitati non esset obnoxius.

fructuum, quibus hominem vesci oportebat;

nam licet dono gratiae immortalis, natura tamen mortalis erat.

Poterat autem tunc homo tribus vel maxime vim mortis subire: vel ab elementorum contrarietate et intemperie humorum, unde infirmitates et mors nunc originem habent; vel ab alimenti nutrimentique defectu, et humidi radicalis deperditione deficienteque virtute; vel demum a laedente extrinseco: poterat enim et igne consumi, et aquis praefocari, et gravi super eum mole cadente conteri, et aeris iniuriis affici; pluraque alia extrinsecus posita, vel a quibus non poterat homo caveri, vel quibus se ipse libito traderet, mortem ei atque exitium afferre utique poterant. Adversus haec omnia benignissimus Deus hominem ipsum munierat, ut, si ipse voluisset, a nullo unquam potuisset mortis exitio e vita demi.

Tria genera causarum quae mortem homini inferre poterant: intemperies humorum, alimenti defectus, laedens extrinsecum.

Siquidem contra primum, originali iustitia eum donaverat, quae elementorum virtutes aequabilissima semper proportione servasset humoresque ipsos in temperie semper pacatissima, in qua Deus condiderat hominem: per quam prima mortis tollebatur causa. Contra alterum vero, ut animalem vitam cibis indigentem servaret, *omne lignum pulcrum visu et ad vescendum suave* homini providit. Ac ne aliquando ex defectu humidi radicalis per actionem calidi naturalis deperditi homo senesceret vitamque finiret, cum alimenta, quibus vesceretur, non possent humidi virtutem deperditam ex aequo reficere — inde ortum habet senectus ac vitae defectus, quod per alimenta generata caro impurior semper est, virtuteque debilior, quod facile in senectute cernimus, in qua carnes et impuriores et debiliores sunt, quod utique non esset si alimenta ex aequo virtutem deperditam a calido restaurarent, — eapropter *lignum . . . vitae in medio paradisi* apposuit Deus, quod eam humidi virtutem perpetuo servaret in homine: cum eius alimento tanta humido apponeretur virtus, quanta naturalis calor absumpserat. Inde *lignum vitae* dictum

Contra primum, originalem iustitiam homini Deus contulit;

contra secundum, fructus suavissimos praebuit, qui virtutem deperditam reficerent radicalis humidi;

est, quod suo alimento hominis vitam animalem perpetuo servaret senectutemque arceret. Unde recte Augustinus ait[96]: «Cibus aderat homini, ne esuriret; potus, ne sitiret; lignum vitae, ne eum senectus dissolveret». Contra tertium denique, prudentia perspicacem homini condonaverat, qua sibi nociva caveret; a quibus autem sua prudentia non potuisset cavere, communitus angelica custodia erat providentiaque divina sibi assistente et praecavente corrumpentia quaeque ab extrinseco, eumque ab omni violentia praeservante ac custodiente; et ne aeris afficeretur iniuriis, eum in paradiso locavit, ubi et aeris erat temperies lenissima et loci sedes amoenissima.

contra tertium, perspicaci prudentia hominem donavit et insuper angelica custodia ac assistentia divina eum munivit.

In hoc ergo paradiso *produxit... Deus... omne lignum pulcrum visu*, ad hominis solatium et voluptatem, *et ad vescendum suave*, ad gustum deliciosum, ne famem aliquando sentiret; *lignum etiam vitae*, ne illum senectus gravaret ac demum dissolveret. Ut Beda[97] et Strabus[98] testantur, «lignum vitae sic dictum est, quia divinitus accepit hanc vim, ut qui ex eius fructu comederet, corpus eius stabili sanitate et perpetua soliditate firmaretur, nec ulla infirmitate vel aetatis imbecillitate in deterius, vel in occasum laberetur».

Lignum vitae virtutem divinitus acceperat, qua homo, ex eo comedens, nullam infirmitatem vel aetatis imbecillitatem sentiret.

Lignum etiam *scientiae boni et mali*, ut ad virtutem exerceretur meritumque haberet, Deumque ut suum dominatorem cognosceret. Dictum autem illud *lignum* est *scientiae boni et mali*, non a natura, sed ab occasione rei postea secutae. Cognovit enim homo bonum et malum, etiam antequam de ligno hoc acciperet: sed bonum per prudentiam et experientiam, malum autem per prudentiam tantum, non autem per experientiam; quod per experientiam novit, cum lignum vetitum degustavit: per quem esum cognovit etiam obedientiae bonum et inobedientiae malum, quod per experientiam

Lignum scientiae sic dictum fuit ab effectu, quia ex eo comedentes cogniturí erant bonum, quod perdiderant et malum, quod incurrerant, Deo non obtemperando.

96) *De Civitate Dei*, lib. 14, cp. 26, (P. L. 41, 434). 97) *Hexaem.*, lib. 1, ibid. 91, 44-45.
98) *Glossa Ord. in Gen.*, ibid. 113, 86-87. *Moses Bar-Cepha*: Sunt autem qui ideo *vitae* arborem appellatam putent quod ea esset ipsius conditio atque natura ut vitam immortalem iis conciliaret, qui se vescerentur... Ibi arborem *scientiae boni et mali* pari quoque ratione dictam volunt, quia cognitionem boni malique iis pareret, qui ipsam ederent... Hanc sententiam firmat Numysius philosophus christianus... Iacobus Sarugensis, oratione sua de electo Adamo ex paradiso, dicit fieri posse ut arbor illa vitam allatura fuerit immortalem Adamo si de ea edidisset, propterea quod mysterium Christi in illa lateret, ac proinde occulta quadam efficientia ipsius fructus ramique pollerent, cum Christus ipse suapte natura vita sit... Hanc sententiam probat etiam divus Severus, oratione 33 de epithronio». *De Paradiso*, part. 1, cp. 20, (P. G. 111, 507-509).

non cognoverat prius. Arbor ergo illa *scientiae boni et mali* dicitur, non propterea quod in ea ulla vis inesset inducendi in huiusmodi notitias, nisi forte dispositive id fieri potuisset, cum anima per organa corporis sumat rerum scientias et notitias: hoc autem non fuisset nisi per accidens; sed quia illam degustantes cognituri per experientiam erant quid bonum, quidve malum: bonum, quod amitterent: et malum, quod incurrerent.

Vr. 10 *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quattuor capita.*

In Hebraeo : *Et fluvius egreditur de Eden ad irrigandum hortum, et inde dividitur et est in quattuor capita.*

Chaldaeus Interpres habet: *Et fuit in quattuor principia fluviorum.*

Rabbinus Aben Ezra notat hic [99] quod, antequam crearetur homo, fuit fluvius irrigans hortum ab omni plaga.

Et fluvius egrediebatur, etc. Paradisi amoenitas describitur quoad aquarum irrigationem.

Describitur hic paradisi amoenitas quantum ad aquarum irrigationem: quoniam ab eo loco, in quo Deus paradisum plantaverat, qui *Eden* dicitur, flumen maximum originem trahit, qui omnem irrigat paradisum atque fecundat; et inde extra paradisum egrediens, in quattuor principalia flumina derivatur, quae fluviorum principes sunt, iuxta Paraphrasim Chaldaicam.

Vrr. 11-12 *Nomen uni Phison : ipse est qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum ; et aurum terrae illius optimum est : ibique invenitur bdellium et lapis onychinus.*

Variae opiniones de *Phison*.

Aben Ezra inquit [100] hic quod Gaon dicit quod *Phison* est fluvius Aegypti. Rabbinus Salomon inquit [101] quod « est Nilus, Aegypti flumen, et propterea quod eius aquae congregantur et crescunt et irrigant, seu inundant terram, vocatur Phison, quasi פשו: *creverunt* »; est expositio eius. Ex nostris autem, alii hunc fluvium putant [102] esse Nilum: alii autem Gangen [103]; et

99) Op. cit. f. 4ᵇ. 100) Ibid. 101) Ibid. 102) Cf. S. Eucherius *Comment. in Gen.*, lib. 1, (P. L. 50, 907); Huetius *Tract. De Situ Paradisi Terrestris*, asserit hanc esse complurium Rabbinorum et Araborum opinionem Phison esse Nilum. Cf. Blas. Ugolinus *Thesaurus Antiquitatum Sacrarum*, vol. 17, col. DXXXV. 103) Cf. S. Ambrosius *De Paradiso*, cp. 3, (P. L. 14, 280); S. Hieronymus *Hebraic. Quaest. in Gen.*, ibid. 23, 941; S. Augustinus *De Genesi contra Manichaeos*, lib. 2, cp. 10, ibid. 34, 203; *De Genesi ad Litteram*, lib. 8, cp. 7, ibid. col. 378; S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 13, cp. 21, ibid. 82, 490; Rabanus Maurus *Comment. in Gen.*, lib. 1, cp. 12, ibid. 107, 478; Angelomus *Comment. in Gen.*, ibid. 115, 130.

hi terram Hevilath dicunt[104] quandam esse Indiae regionem, ab Hevila, filio Iectan, sic dictam; quam etiam auri dicunt esse plenissimam, ac propterea inquit: *Ibi nascitur aurum, et aurum ... optimum; ibi* etiam reperitur *bdellium*, ex hebraeo: בְּדֹלַח[105], quod

de bdellio

S e p t u a g i n t a vertunt: ἄνθραξ[106], idest *carbunculum:* quamvis alibi *crystallum* sint interpretati[107], quod Hebraei nunc communiter tenent[108]; quamvis G a o n, ut A b e n E z r a refert[109], dixerit quod בדלח sunt lapides parvi et rotundi, qui egrediuntur ex aquis, suntque tenues, et assimilatur eis manna. Dicit enim Scriptura[110], quod species mannae erat sicut species בדלח; manna vero est sicut margaritum. Quare existimo hunc lapidem esse margaritum.

Reperitur etiam ibi *lapis onychinus:* הַשֹּׁהַם, quod S e p t u a g i n t a vertunt: Καὶ ὁ λίθος ὁ πράσινος, idest *lapis prassinus.* G a o n autem, A b e n E z r a teste[111], inquit quod שהם lapis est pretiosus, candidus et clarus; quare et ipse videtur sentire lapidem esse onychinum. C h a l d a e u s etiam I n t e r p r e s: אַבְנֵי אוּרְלָא, idest *lapis onychinus.* A b e n E z r a tamen dicit[112] se ignorare; quare etiam Hebraei quales hi lapides sint non cognoscunt.

et de lapide onychino.

Advertendum hic tamen est duos fuisse Chavila: quorum alter Getuliae nomen indidit, alter regioni, quae proxima est Ophir, unde advehebatur aurum; quorum prior nepos fuit Cham[113], alter, ex linea Sem, filius Heber[114]. Quando autem dicitur hunc fluvium circuire terram Chavila, de secundo intelligendum existimo.

Vrr. 13-14 *Et nomen fluvii secundi Gehon: ipse est qui circumit omnem terram Aethiopiae. Nomen vero fluminis tertii Tigris: ipse vadit contra Assyrios. Fluvius autem quartus ipse est Euphrates.*

104) Cf. S. Avitus *Poemata*, lib. 1, ibid. 59, 330; M. Victor *Comment. in Gen.*, lib. 1, ibid. 61, 944; S. Beda *Hexaem.*, lib. 1, ibid. 91, 46; *In Pentat.*, ibid. col. 207; Rabanus Maurus *Comment. in Gen.*, lib. 1, cp. 12, ibid. 107, 478; Remigius *Comment. in Gen.*, ibid. 131, 61; Rupertus *De Trinitate*, etc. *In Gen.*, lib. 2, cp. 29, ibid. 167, 275-276; Abaelardus *Exposit. in Hexaem.*, ibid. 178, 779. 105) Ms.: בדולח. 106) Ms.: Ἀνθράκα. 107) Cf. Nm 11, 7. 108) Cf. Io. Buxtorfius *Lexicon Hebraicum*, etc. sub voce: בְּדֹלַח. 109) Op. cit. f. 4ᵇ.

110) Cf. Nm 11, 7. 111) Op. cit. f. 4ᵇ. 112) Ibid. 113) Cf. Gn 10, 7.
114) Cf. ibid. vr. 29.

De *Gehon* quoque non modica concertatio est. Etenim Aben Ezra inquit[115] notum esse hunc fluvium esse prope terram Israel, quoniam sic scriptum est: *Et deducetis eum in Gehon*[116]. Inquit etiam, quod venit a latere orientis ad austrum. Locus, quem citat, est in unctione Salomonis, ad quem locum iussit eum David deduci. Chaldaeus tamen Interpres גִּיחוֹן, ibi[117] שִׁילוֹחָא, idest Siloah interpretatur, quemadmodum etiam et Nicolaus exponit[118]. Rabbinus Ioseph Kimchi flumen arbitratur[119] esse Aegypti, idest Nilum, sic appellatum quod egrediens irriget terram. Id etiam nostri omnes fere asseverant[120], hunc scilicet fluvium Nilum esse; hic enim fluvius Aethiopiam irrigare dicitur, qui inde in Aegyptum descendit. Alii vero alium quendam fluvium putant[121] hunc esse, proximum Tigri et Euphrati. Aiunt enim quod Chus non semper illam Aethiopiam significat, ubi Nili fontes perhibentur: sed etiam Arabiam, et eam omnem regionem, quae in oceanum spectat. Nam et Madianitae Aethiopes aliquando vocantur, qui tamen prope Palaestinam positi sunt[122]; et Sephora, uxor Moysis, Aethiopissa dicitur[123], quae tamen ex terra Madian erat. Quare etsi Gehon peragrare Aethiopiam dicitur, non coguntur de Nilo id sentire.

Gehon

communiter tenetur esse Nilum;

Hi etiam Phison non Gangen esse [aiunt], sed alium quendam fluvium in Mesopotamia, putantes terram Chavila, quam fluvius hic influere ac peragrare dicitur, eam esse regionem, quae ab historicis Cabalia[124] aut Cabana dicitur, quae prope Mesopotamiam est. Aiunt[125] etiam

sed nil certi

115) Op. cit. f. 4ᵇ. 116) 3 Rg 1, 33. Vulg.: *Ducite... in Gihon.* 117) Ms.: גחון; *Chaldaeus Paraphrastes ibi*, idest *3 Rg 1, 33.* 118) Cf. Nic. Lyranus op. cit. t. 2, f. 126ᵃ. 119) *Pagnini*: « Ioseph pater David flumen arbitratur esse Aegypti, idest Nilum, sic appellatum quod egrediens irriget terram ». Op. cit. sub voce: גָּרָה, col. 377; *Samuel David Luzzatto*: « Iuxta opinionem Rab. Ioseph Kimchi... Gehon est Nilus ». *Sepher Bereshit*, pag. 31. 120) Cf. not. 103 huius cp. 121) Cf. Clarius, col. 83; Drusius, col. 96; Grotius, col. 105; Pererius dubitat an adhuc existant ea flumina. *Comment. in Gen.*, lib. 3, t. 1, pag. 334-340. 122) Cf. Aug. Calmet *Dictionarium Historicum*, sub vocibus: *Aethiopia*, et: *Chus*; et *Comment. in Gen.*, pag. 21-23. 123) Cf. Ex 2, 21: 18, 2-3; Nm 12, 1. 124) Cf. Strabo *Rerum Geographicarum*, lib. 11, pag. 346-365; lib. 13, pag. 433; Huetius *Tract. De Situ Paradisi*, apud Blas. Ugolinum *Thesaurus Antiq.*, vol. 17, col. CXXXIX–DXLII; Adrianus Relandi *Dissert. De Situ Paradisi*, apud eundem, col. DLXXXI–DXC; Munsterus, col. 60; Clarius, col. 83; Drusius, col. 94; Herodotus *Historiae*, lib. 3, pag. 225; Plinius Sec. *Hist. Nat.*, lib. 5, cp. 27, pag. 47; Ptolomaeus *Geographia*, lib. 5, cp. 5, pag. 168; Stephanus Bizantinus *De Urbibus et Populis*, pag. 432; Appianus Alex. *Romanorum Historiarum*, t. 1, pag. 403; Th. Malvenda *De Paradiso Voluptatis*, cp. 39, pag. 117; cp. 41, pag. 123-125. 125) Cf. Q. Curtius, qui ait indigenas illius regionis Pasitigrim

asseverari potest. Mesopotamiae quandam esse civitatem, quae Phison dicitur, a fluvio sic nomen sortita. Nos autem nil certi in his possumus asseverare.

De Tigride autem et Euphrate nihil est quod dubitemus; siquidem Tigris ad orientalem plagam Syriae vergit: Euphrates autem terminus est terrae promissionis a plaga orientali. *Tigris* חִדֶּקֶל hebraice dicitur, quoniam, inquit Rabbinus Salomon[126], « aquae eius sunt subtiles et leves »; *Euphrates* autem: פְּרָת, « quoniam aquae eius crescunt et multiplicantur faciuntque crescere hominem ».

Vr. 15 *Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum.*

Hebraice: *Accepit Dominus Deus hominem, et posuit in horto Eden, ut coleret eum et custodiret eum*, scilicet hortum.

גַּן in hebraeo generis tum masculini tum feminini est, etiam in plurali, ut Aben Ezra hic notat[127]; hic autem cum affixo feminini est: unde non ad hominem, sed ad paradisum referri necesse est.

Tulit ergo Dominus, etc. Homo extra paradisum formatus, in eum postea a Deo translatus fuit, ad colendam terram illam absque omni fatigatione, sed magna cum delectatione et facilitate.

Innuit autem Sacra Scriptura extra paradisum formatum fuisse hominem, tulisseque eum Dominum de loco, in quo formaverat, locasseque eum ad quiete manendum et habitandum in paradiso illo amoenissimo. *Ut operaretur*, hoc est ut coleret hortum illum, quod tunc cum placida quadam delectatione, ad suae virtutis exercitium, citra omnem sudorem ac lassitudinem, sed cum animi alacritate omnique facilitate exercuisset. Nec quid dubitarim quin Adam ab initio praeditus fuerit astrorum scientia, cum ad colendam terram destinatus sit, ita ut iam perspectam haberet terrae potentiam et temporum varietates, ad procurandos suis temporibus fructus. *Et custodiret eum*, scilicet paradisum; inquit Aben Ezra[128], ab omnibus bestiis, ne congregarentur ibi et foedarent eum. Aliqui[129] vero di-

vocare Phasim. *Historiae*, lib. 5, cp. 9, pag. 179. Inter Phasin autem et Phison exiguum est discrimen. *Drusius :* « Aiunt et urbem esse Phison nomine, quam Procopius in Mesopotamia collocat. Eusebius, Hieronymus, Augustinus Gangem interpretantur. Rab. Salomon, Moyses Gerundensis et alii, Nilum; illis imposuit Iosephus, his Rab. Saadia ». Col. 94. 126) Op. cit. f. 4[b]. 127) Ibid. 128) Ibid. 129) Cf. Severianus *De Mundi Creatione*, *Orat.* 5, (P. G. 56, 478); Moses Bar-Cepha *De Paradiso*, part. 1, cp. 6, ibid. 111, 491; S. Augustinus *De Genesi ad Litteram*, lib. 8, cp. 10, (P. L. 34, 381); S. Eucherius *Comment. in Gen.*, lib. 1,

cunt hic Deum praecavisse hominem, ut se a tortuoso serpente satana custodiret, ne a paradiso, ob eius dolos ac fraudes in culpam lapsus, mereretur extrudi.

Vrr. 16-17 *Praecepitque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas; in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris.*

Hebraicus Textus: *Et praecepit Dominus Deus super Adam dicendo: Ex omni ligno paradisi comedendo comedes; et de ligno scientiae boni et mali ne comedas ex eo; quoniam in die qua comederis ex eo, moriendo morieris.*

Chaldaeus Interpres vertit: *Et de ligno, cuius comedentes fructus eius sapientes sunt inter bonum et malum, non comedas ex eo.*

Praecepitque ei dicens, etc. Expositio huius loci iuxta Aben Ezram.

Aben Ezra teste[130], in *3* capite *Geneseos*, « verba haec: *Morte morieris*, diversimode exponuntur a multis; quidam dicunt: tunc eris reus mortis; alii dicunt, quod mors est poena, quemadmodum dicitur: *Quoniam filius mortis est vir faciens hoc*[131]; alii dicunt, quod ex tunc aegrotabis, quod morieris ». Inquit [etiam]:[132] « יִצַו est dictio cum praecepto negativo »; atque ita exponit: « Licet reliquerim tibi omnes fructus lignorum horti, ne comedas de fructu ligni scientiae. Sed postquam dixit: *De ligno scientiae non comedes*, quid necesse fuit dictio: *ex eo?* Veruntamen addidit ad declarationem; et ita est: *Et aperuit et vidit eum infantem*[133]; vel sensus eius est: quin etiam parum ex eo. Et nota quod Adam fuit plenus scientia, quia Deus non praecepit ei, qui non habet scientiam; sed scientiam boni et mali in re una solum non cognovit! An non vides quod vocavit nomina omni iumento et volucri, iuxta generationem uniuscuiusque? [134] Et ecce sapiens magnus fuit ».

De ligno autem, etc. Cum homo constitutus fuerit super

Supra legimus[135] praefectum a Deo fuisse hominem piscibus maris et volatilibus coeli, omnibus bestiis, universaeque terrae; nunc autem, ut cognosceret homo divinae se ditioni subditum esse et eum,

ibid. 50, 907; S. Beda *Hexaem.*, lib. 1, ibid. 91, 47; Alcuinus *Interr. in Gen.*, ibid. 100, 522; Rabanus Maurus *Comment. in Gen.*, lib. 1, cp. 12, ibid. 107, 480; Angelomus *Comment. in Gen.*, ibid. 115, 132-133; Nic. Lyranus op. cit. f. 37ᵇ.

130) Op. cit. ad cp. 3, vr. 8, f. 5ᵃ.

131) 2 Rg 12, 5. Vulg.: *Qui fecit*, loco: *Faciens*.

132) Op. cit. f. 4ᵇ. Ms.: *Aben Ezra inquit* repetitur, quia verba antecedentia eiusdem Rabbini in margine adiecta fuerunt.

133) Ex 2, 6. Ex Hebraico.

134) Cf. Gn 2, 20.

135) Cf. ibid. 1, 28.

omnes creaturas, ut cognosceret se etiam dominatorem habere, Deus praeceptum hoc illi dedit.

quem habuit conditorem, perpetuo etiam dominatorem habere, mandatum a Deo accipit ut, acceptis ad vitae rationem omnibus paradisi lignis, *de ligno* tamen *scientiae boni et mali* ne unquam comederet. Nec putandum quoquo pacto est lignum hoc homini vetitum, natura malum noxiumque fuisse; siquidem natura bonum, visu pulcrum suaveque ad vescendum fuit. Prohibuit tamen illud Deus, tum ut ostenderet iure optimo se dominatum habere in homine, tum ut homo ipse obedientiae sanctae praeclara merita continue assequeretur, cum a tali ligno non deberet arceri nisi virtutis sanctae intuitu: cum natura res bona esset, et a qua non deberet manum retrahere, nisi ob dominatoris Dei iussum atque imperium.

Lignum illud natura quidem bonum erat, sed homini vetitum ad demonstrandum Dei imperium.

At vero quia transgressionis culpam poenae reatus statim consequitur, hinc est quod mox subiungit: *In quacumque enim* hora *comederis ex eo morte morieris*, sive *moriendo morieris*, vel mortalis eris. Mox etenim ut comedit lignum vetitum, morte mortuus est culpae: quam etiam corporis mors suo subsecuta est tempore; ipsa etenim die coepit esse mortalis ac corruptioni obnoxius coepitque ad mortem extremumque vitae exitium tendere.

In quacumque enim hora, etc. Mortem spiritualem primo Deus comminatus est; mox, peccato commisso, etiam corporalem adiecit.

Porro notandum hoc in loco est non fuisse hoc praeceptum mulieri expressum, quae postmodo formata est, sed viro tantummodo, in quo omnes comprehensi sunt, qui veluti in illo existentes eodem praecepto obligabantur. Unde et mulier lignum vetitum comedendo peccavit, quia et illi per Adam mandatum fuit a Deo ne comederet; siquidem vir constitutus fuit caput mulieris, postquam ex illo mulier formata fuit [136].

Hoc praecepto etiam mulier obstringebatur, quia in Adam et ipsa existebat.

Insuper notandum hic est creatum fuisse primum hominem libero arbitrio praeditum, quatenus mereri posset ac demereri. Unde in *Ecclesiastico* [137] vere dicitur: *Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui, adiecit mandata et praecepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam servare. Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris porrige manum tuam; ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei dabitur illi; quoniam multa sapientia Dei, et fortis in potentia videns omnes sine intermissione.*

Hoc Dei praeceptum probat hominis libertatem, qua mereri vel demereri poterat, obediendo vel inobediendo.

136) Cf. Eph 5, 23. 137) 15, 14-19. Vulg.: *Placitam facere.*

Vr. 18 *Dixit quoque Dominus Deus: Non est bonum hominem esse solum; faciamus ei adiutorium simile sibi.*

Textus Hebraicus: *Non est bonum Adam esse solum; faciam ei adiutorium coram eo.*

Septuaginta tamen *faciamus* verterunt, sicut et nostra Editio; sic enim habent: Ποιήσωμεν αὐτῷ βοηθὸν κατ' αὐτόν: idest: *Faciamus ei auxiliatricem congruentem illi:* ex praecedentibus forte sumpserunt ut est: *faciamus.*

At Chaldaeus Interpres integrum hebraicum vertit: *Faciam ei adiutorium,* sive *sustentaculum coram eo.*

Aben Ezra exponit[138]: « Non est bonum ipsi homini, iuxta sententiam: *Boni duo magis quam unus*[139] ».

Nos vero ad coniugium id referri arbitramur; siquidem ad prolem procreandam filiosque gignendos neuter per se, vir aut mulier, sufficit: sed amborum unio. Quoniam ergo Adam solus ad filios pro Dei gloria procreandos non erat sufficiens, inquit: *Non est bonum hominem esse solum;* naturae etenim humanae tollebatur propagatio ac multiplicatio, quod utique bonum magnum est. At ut crescant homines ac multiplicentur terramque impleant ac subiiciant, *faciam ei adiutorium* ad propagandum, propagataque servandum ac nutriendum. Et recte inquit: *Adiutorium;* siquidem principale agens non mulier, sed vir est eiusque societatis principalis comes. Faciendum ergo proponit Deus homini *adiutorium simile,* idest eiusdem naturae ac formae: *simile,* non idem; omnis[140] nanque similitudo aliquam includere dissimilitudinem necesse est, alioqui non similitudo, sed identitas est; iccirco mulier *adiutorium* homini *simile* dicitur: nam etsi eiusdem naturae ac formae, diversitas tamen in sexu est; vel *quod sit coram eo,* aut *e regione illi,* quod singulare in natura humana est, nec reperitur in belluis.

Non est bonum hominem esse solum, etc. Verba haec ad coniugium referuntur, quia ad propagationem speciei uterque sexus requiritur,

quamvis mulier principale agens non sit.

Vr. 19 *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae et universis volatilibus coeli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea.*

Textus Hebraicus: *Et formavit Dominus Deus de terra omnem bestiam agri et omne volatile coeli et adduxit,* seu *venire fecit ad Adam,* etc.

138) Op. cit. f. 4ᵃ. 139) Eccle 4, 9. Ex hebraico. 140) Ms.: *Omni.*

Chaldaeus Interpres: *Et creavit Dominus Deus*, etc.

Haec formatio ea est, quae superius praemissa est, ubi dicitur: *Et fecit Deus omnem bestiam*[141] *terrae*, etc.

Adduxit ea ad Adam, etc. Realiter animalia ad Adam adducta fuerunt et non secundum phantasiam tantum.

Aben Ezra, exposito quod homo plenus scientia fuit, ex eo quod animalibus nomina imposuit[142], inquit [143] super hoc quod forte fuit ita: « Non adduxit Deus creaturas suas ad eum, scilicet hominem, *ut videret quid vocaret ea* : quia ipse sciebat ex hoc quod est bestia seu bellua. Deus etiam ostendit ei lignum scientiae, quia ecce uxor eius novit quod erat in medio paradisi ». Ego vero secundum veritatem adducta esse [puto], et non tantum secundum phantasiam.

Considerandum hic est tum bestias terrae tum volatilia coeli a Domino ex terrena materia dici esse formata[144], cum tamen superius videatur aquis praecepisse, ut producerent *reptile animae viventis et volatile . . . volans sub firmamento coeli*[145]. Hoc est, inquit Aben Ezra[146], quia ex ambobus volatilia formata sunt, ex aqua scilicet et terra.

neque vi, neque ministerio angelorum, sed voluntate Dei illa impellentis, ut Adam veluti dominum recognoscerent.

Et duxit ea ad Adam. Non est putandum a Domino, quasi ab homine, manu et per funes illa fuisse adducta, vel angelorum ministerio, ut quidam aiunt[147]: sed hanc illis bestiis immisit extimulationem ut hominem adirent, quasi dominum agnoscentes et ut agnoscerentur ab ipso, et inderet nomen singulis speciebus, iuxta uniuscuiusque proprietates. Ideo ait: *Ut videret quid vocaret ea.* Potest id tum ad Deum tum ad Adam ipsum referri. Si ad Deum referatur, hunc habet sensum: *Ut videret* Deus *quid vocaret ea*, scilicet Adam: non quasi Deus ipse nesciret; sed usitato dicendi more apud Scripturas, quo significatur, ut hoc apparere faceret; ut scilicet homo, Deo latenter interius docente intellectumque illustrante, ex animalium ad se, Deo duce, venientium aspectu, eorum naturas specierumque diversitates ac intimas proprietates apprime cognosceret, et eorum speculatis ac contemplatis naturis, eis inderet nomina, prout uniuscuiusque natura ac proprietas exigebat. Et sic *ut videret Deus*, hoc est ut videre ac perspicere faceret ipsum hominem ac scire quid vocaret ea.

141) Gn 1, 25. Vulg.: *Bestias*, loco: *Omnem bestiam*. 142) Cf. pag. 235, et not. 132 huius cp. 143) Op. cit. f. 4b. 144) Ms.: *Formatam*. 145) Gn 1, 20. 146) Op. cit. ad cp. 1, vr. 20, f. 3a. 147) Cf. S. Augustinus *De Genesi ad Litteram*, lib. 9, cp. 14, (P. L. 34, 402-403); Strabus *Glossa Ord. in Gen.*, ibid. 113, 89; Nic. Lyranus op. cit. f. 38a; Alph. Tostatus op. cit. f. 16a; Fel. Capitonus *Explicationes*, etc. part. 1, *Explicat. 7*, pag. 16.

Possumus et aliter exponere: *Ut videret*, scilicet ipse homo *quid vocaret ea*, ut ex obiecto habita causa eorum contemplandi naturas, ex aspectu, quo ad eorum naturas cognoscendas plurimum iuvabatur, naturales ac intimas eorum proprietates, inclinationes et usus introspiciens, videret nedum corporeo visu, sed mentis etiam intuitu diligenter attenderet quid vocaret ea, ut nomen unicuique ex sua proprietate conveniret.

***Ut videret quid vocaret ea*, idest ab illo nomina reciperent suis naturis et proprietatibus congruentia.**

Vrr. 19-20 *Omne enim quod vocavit Adam animae viventi* [148], *ipsum est nomen eius. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia et universa volatilia coeli et omnes bestias terrae.*

Textus Hebraicus: *Et omne quod vocavit Adam animae viventi, est nomen eius. Et vocavit Adam nomina cunctis iumentis et volatili coeli et omni bestiae agri.*

Mirifice ostendit hic Moyses ipsum Adam, citra omnem experientiam, naturalium rerum notitiam contemplativamque scientiam habuisse, quod [149] animalium, in quibus vel maxime ea versatur cognitio, clare ostendit, dicens: *Et omne quod vocavit Adam animae viventi, ipsum est nomen eius;* in quo ostendit nomina ab Adam rebus imposita ea fuisse, ut apprime naturas ac proprietates rerum declarent. Siquidem naturalibus vocibus mirifice articulatis tales imponit significationes, ut et nomina eorum, quibus indita sunt, expressiva ac significativa essent et significationem haberent animalium proprietatibus convenientem; quod non ex vocum natura, sed imponentis arbitrio, scientia ac ratione et sapientia summa effectum est.

***Omne quod vocavit Adam*, etc. His verbis Moyses innuit Adam scientiam infusam rerum naturalium habuisse.**

Appellavitque Adam nominibus suis, idest eorum naturas, species, ac proprietates convenienter expressivis ac significativis, *omnia animantia*, idest iumenta *et... volatilia coeli et... bestias terrae*. Pisces omittit quoniam adducti ad ipsum non sunt, quorum tamen naturas facile ex aliis terrestribus accipere poterat. Haec autem nominum impositio ab ipso Adam cunctis animantibus hebraica lingua probabilissime facta creditur, [150] eamque linguam sanctissimam ac plenissimam tunc fuisse ab Adam inventam ac institutam, atque usu in om-

Haec nominum impositio hebraica lingua facta creditur, quae, ab Adam inventa, semper postea in populo hebraico permansit.

148) Vr. 19. Vulg.: *Viventis.* 149) Ms.: *In* repetitur. 150) Cf. Origenes *Hom. 11 in Num.*, (P. G. 12, 649); S. Io. Chrysostomus *Hom. 30 in Gen.*, ibid. 53, 279; S. Hieronymus *Comment. in Sophoniam*, (P. L. 25, 1384); S. Beda *Hexaem.*, (P. L. 91, 50); Nic. Lyranus op. cit. f. 38a; Alph. Tostatus op. cit. f. 16a; Giosеffo Flavio *Delle Antichità Giudaiche*, lib. 1, cp. 2, f. 2b.

nem posteritatem usque ad linguarum divisionem pervenisse. Siquidem nomina quae ad illud usque tempus in Sacra Scriptura legimus, hebraica esse conspiciuntur; inde vero in hebraica propagine ac familia mansit, et usque ad haec nostra tempora in eius posteris, qui ab eo per Abraham, Isaac et Iacob secundum carnem descenderunt, perduravit.

Adae vero non inveniebatur adiutor similis eius.

Hoc iam supra explicuimus. At vero cum Adam in illo etiam statu animal sociabile esset secundum naturam, ne dulci solatio careret atque carissimo destitutus esset coniugio, hinc M o y s e s quemadmodum Deus homini *adiutorium simile* providerit lucidissime exarare incipit.

Vrr. 21-22 *Immisitque*[151] *Dominus Deus soporem in Adam; cumque obdormisset, tulit unam de costis eius et replevit carnem pro ea et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem et adduxit eam ad Adam.*

T e x t u s H e b r a i c u s : *Et illabi fecit Dominus Deus* תַּרְדֵּמָה, idest *somnum fortem.*

Immisit Dominus soporem, etc. Tres species somni ab Hebraeis distinguuntur: somnus consuetus, fortior et gravissimus.

Sunt in hebraica lingua tres voces significantes s o m n u m : תנומה et שינה et תרדמה[152]. Et prima quidem vox שינה בלתי חזקה, idest s o m n u s s i n e f o r t i t u d i n e est; secunda vero s o m n u m f o r t i o r e m significat; tertia vero s o m n u m g r a v i s s i m u m . A b e n E z r a in loci huius expositione[153] hoc dicit. Hunc illabi fecit Dominus in Adam, vel super Adam, et obdormivit.

Eam vocem S e p t u a g i n t a ἔκστασιν, hoc est *mentis secessum* et alienationem ac sensuum privationem quandam verterunt.

C h a l d a e u s tamen I n t e r p r e s vertit: *Immisit,* seu *proiecit Dominus Deus* שִׁינְתָא, idest *somnum super Adam:* וּדְמוּךְ, idest *et somno oppressus est,* ut *ex uno omne genus hominum* prodiret[154], qui principium ac totius humani generis esset origo.

151) Vr. 21. Vulg.: *Immisit ergo.* 152) Cf. Pagnini op. cit. sub vocibus: יָשֵׁן, col. 1092-1093: נוּם, col. 1549: רָדַם, col. 2636. 153) Op. cit. f. 4ᵇ; et etiam David Kimchi op. cit. sub voce: תרדמה. 154) Act 17, 26.

Immisit Deus in Adam somnum gravissimum, ne ablationem costae sentiret, ex qua mulier fabricanda erat.

Cum ex eo iam solatio coniugis destituto vellet Deus *adiutorium* ei *simile*, costa ex eius latere desumpta, aedificare, ne ablationem hanc sentiret Adam, somnum gravem in eum Dominus immisit. Qui somnus recte a Deo in Adam dicitur immissus, quoniam non ex ciborum evaporatione, aut quavis alia naturali causa est generatus: sed eo oppressus est Adam auctore Deo, ut non necesse sit eum a causa naturali venisse. Soporato itaque ac dormitione profunda sopito Adam, *tulit Deus unam de costis eius.*

***Tulit unam de costis eius*, etc. Communiter tenetur costam illam, ex qua mulier formata fuit, superfluam fuisse Adamo uti individuo,**

Dubitatum a non paucis [155] super hoc fuit, an fuerit costa illa, ex qua aedificata est mulier, superabundans in Adam, an de eius corporis integritate. Si enim superflua fuit costa illa, profecto monstruosus a Deo primus homo formatus est, cui una superflueret costa; si autem non erat superflua, consequens est ut mutilus ac mancus redditus sit primus homo, cui una a Deo desumpta deesset costa. Horum autem utrumque inconveniens est. Responsum ab omnibus fere est [156] huic difficultati, eam quidem costam superfluam illi homini fuisse, secundum quod certum quoddam erat individuum per se existens ac subsistens; quatenus vero homo ille principium erat, a quo totum genus humanum originem trahere et propagari oportebat, costa illa nequaquam erat superflua, sed necessaria, de qua mulier educenda esset. Erat itaque costa illa superflua hypostasi illius viri, non tamen omnino superflua; sed instar seminis, quod quidem ratione individui superfluum est, ratione vero speciei necessarium; siquidem principium est sibi simile producendi ad speciei perpetuitatem [157].

necessariam vero uti principio generis humani, quia ex ea mulier formanda erat.

Rectius tamen dicendum videtur necessariam fuisse etiam

Haec responsio mihi certe non displicuit aliquando; re tamen maturius considerata, nec omnino constans visa est, nec consona satis veritati. Etenim satis est, inquiet quis, in eo primo homine quatenus

155) Cf. Nic. Lyranus op. cit. f. 38^{b}-39^{a}. Caietanus, ex hac difficultate, si costa illa fuisset Adam superflua monstruosus fuisset primus homo: si autem necessaria, mancus remansisset post illius ablationem, arguit omnem enarrationem hanc formationis mulieris metaphorice intelligendam esse. *In Quinque Mosaicos Libros*, pag. 25. Cf. etiam Pererius *Comment. in Gen.*, lib. 4, t. 1, pag. 437-438. *Hugo de S. Victore* ait: « Hoc quaerere frivolum est, quia nec dentes puerorum, qui postea mutantur, dicuntur superflui, nec ipsimet, quamvis nondum habeant iustum naturae augmentum, diminuti iudicantur ». *Adnotat. Elucidat. in Pentat.*, (P.L. 175, 40).
156) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1^{a}, q. 92, a. 3, ad 2; q. 97, a. 2, ad 3; 3^{a}, q. 31, a. 5, ad 2; S. Bonaventura *Sentent.*, lib. 2, dist. 18, a. 1, q. 1.
157) Cf. Aristot. *De Anima*, lib. 2, cp. 4, t. 1, pag. 390.

quoad individuum; secus proprie non diceretur mulier ex ossibus viri formata;

homo erat, costam illam fuisse superfluam, ut censeatur absurdum; consequens est enim ex hoc monstruosum fuisse hominem illum: quod de nulla re dicendum est in prima conditione rerum. Et si ea costa non pertinebat ad virum illum secundum veritatem naturae eius particularis, non proprie dici posset mulier ex illo viro orta, nec ex ossibus eius. Nam illud os in viro redundabat; nec admodum proprie dici posset os esse ex viri ossibus et caro de carne eius: nec tulisse unam de costis viri, si superflua erat costa illa; quae tamen contra Scripturam sunt. Demum quid oportuit Deum pro costa illa carnem replevisse, si superflua erat? Certe si eius loco carnem Deus replevit, vel dicendum est costam illam non fuisse superfluam, vel etiam repletam a Deo carnem fuisse superfluam et superabundantem et nihilo secius monstruosum remansisse virum.

nec oportebat replere carnem pro ea.

Nec illud de semine valde simile est. Semen etenim naturale est homini, ex eius sanguine ac medullis ad generandum excisum; nec hominem monstruosum reddit, sed ad generandum propensum: quod animalibus naturalissimum est. Haec autem de costa illa minime dici possunt. Videtur autem et veritati et rationi consentaneum, ut dicamus costam illam de integritate ac veritate naturae illius hominis: hinc enim nullum eorum, quae sunt assignata, inconveniens sequitur.

Sed necesse fuit replere carnem pro costa illa, quia de integritate erat naturae Adami.

At dicet quis fuisse postea mutilum hominem illum, ut puta una costa carentem. Sed profecto id locum non habet, cum Dominus pro costa illa carnem repleverit; neque enim existimandum est carnem illam a Deo repositam sine osse fuisse: sicut nec sublatam costam asseverare quis poterit sine carne fuisse, cum scriptum sit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea* [158]; ut non solum os de ossibus, sed etiam carnem de carne acceptam fuisse declaret. Si ergo ossis appellatione, costae scilicet quae in mulierem aedificata est, venit et caro cum osse, nil inconvenit ut, e converso, carnis appellatione os pariter cum carne comprehendi, potissimum cum sub nomine *carnis* totum hominem saepenumero vocet Scriptura [159]. Quando ergo Scriptura tradit Deum pro costa carnem reposuisse,

Coniuncta cum carne costa illa ablata fuit, quia Adam Evam agnovit os ex ossibus eius et carnem de carne eius.

158) Gn 2, 23. 159) Ibid. 6, 12-13; 9, 11-15; Idt 7, 16; Iob 12, 10; Ps 55, 5; 64, 3; 135, 5; 144, 21; Prv 4, 22; Eccli 1, 10; 13, 20; 17, 4; Is 40, 5-6; 49, 26; Ier 12, 12; 32, 27; 45, 5; Ez 20, 48; 21, 5.

ita intelligendum est ut carnem non absque osse reposuerit, cum caro sola sine osse non esset idonee subrogata pro osse cum carne.

Adam ergo gravi somno sopito, ex eius latere costa sublata et loco eius subrogata vel, iuxta hebraicum, clausa carne, costam, quam acceperat, Deus *aedificavit . . . in mulierem*, in conditione mulieris. Usus est M o y s e s non formandi, aut generandi verbo, sed *aedificandi : Et aedificavit in mulierem :* ut intelligeremus non per modum naturae, sed artis Dei productam fuisse mulierem; ideo non fuit proprie Adae filia, sed Dei creatura immediate ab illo facta.

Dicitur Deus non formasse, sed aedificasse costam in mulierem, ut intelligatur Deum immediate fecisse mulierem arte sua, non per modum naturae.

Quomodo autem ex costa illa corpus mulieris factum sit, novit ipse qui fecit. Potest tamen dici quod vel aliam constantem materiam ei adiunxit, vel aliam de nihilo creavit, vel de sola costae substantia, absque omni extrinseco addito, Dei iussu et omnipotenti virtute costa illa in semetipsa multiplicata et aucta, maiores dimensiones acceperit et ex ea mulieris corpus plasmari potuerit, eo sane miraculo quo postea de quinque panibus, a Iesu Christi coelesti virtute multiplicatis, quinque millia hominum [160] satiari potuerunt [161]. Nec etiam dubitarim [162] in formatione mulieris Deum fuisse angelorum ministerio usum.

Quam mox formatam ad Adam Dominus adduxit tanquam ipsius sociam et coniugem. Propterea nanque de costa formavit, non de capite, aut pede: quia viro dedit Deus mulierem non tanquam dominam aut servam, sed tanquam coniugem ac sociam [163]. Dicit autem adduxisse Dominum mulierem ad Adam, quia eo auctore factum est ut mulier ad virum veniret, qui hoc ipsum in eius mentem inspiravit extimulationemque immisit, ut ad illum, ex quo sumpta erat, accederet tanquam ad virum suum ac inseparabilem coniugem sponsumque dilectissimum. Quamobrem Deus, tanquam viri ac mulieris conciliator ac eorum socialis coniugii paranymphus, mulierem ad virum adduxit; quam vir a Deo acceptam, ex se ipso esse cognovit et tanquam gratissimam sponsam a Deo sibi datam, plurimum adamavit ac dilexit. Unde sequitur:

Non de capite, vel de pede, sed de latere viri mulier formata est, quia non domina, vel serva, sed socia viri est.

160) Cf. Mt 14, 17-21; Mc 8, 1-9. 161) Cf. Petrus Lombardus *Sentent.*, lib. 2, dist. 18, cp. 2, (P. L. 192, 688); S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 92, a. 3, ad 1. 162) Ms.: *Dubitatis.* 163) Cf. Petrus Lombardus *Sentent.*, lib. 2, dist. 18, cp. 2, (P. L. 192, 688); S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 92, a. 3, ad 1.

Vrr. 23-24

Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea : haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem suam et adhaerebit uxori suae ; et erunt duo in carne una.

Textus Hebraicus : *Et dixit Adam : hac vice os ex ossibus meis et caro de carne mea, propter hoc vocabitur* אִשָּׁה, *virago,* seu *vira, quoniam de viro sumpta est.*

Virago. In alia lingua recte verti non potest vox hebraica אשה, mulierem significans.

Quod noster Interpres vertit: *Haec vocabitur virago, quia de viro sumpta est,* hebraice est pro viro: אִישׁ, et pro muliere: אִשָּׁה; vel quemadmodum a viro mulier ducta est, ita a viri nomine nomen mulieris ductum est. Quod in nulla alia lingua fieri posse id argumento est, quod nullus interpretum locum hunc satis reddiderit.

Septuaginta nanque locum hunc sic reddiderunt: Αὕτη κληθήσεται γυνή, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήμφθη: *Haec vocabitur mulier, quia de viro sumpta est ;* id autem nullam videtur servare consecutionem.

Chaldaeus etiam Interpres hunc locum vertit: לְדָא יִתְקְרֵי אִתְּתָא אֲרֵי מִבַּעְלַהּ נְסִיבָא דָא: *Haec vocabitur mulier, quia de viro sumpta est ipsa.*

Noster autem Interpres a viro *viraginem* traxit.

Id autem non ex interpretum inscitia factum est, sed quia diversa idiomata non possunt adamussim in hoc hebraicum imitari. Atque hinc Rabbinus Salomon arguit [164] quod mundus creatus est in lingua sancta. Rabbinus Aben Ezra sic interpretatur [165] hoc, quod dicitur: *Hac vice os ex ossibus meis :* « Tunc dixit: hac vice inveni adiutorium coram me, mei simile, quoniam ex me est ».

Nos vero et aliter interpretamur. *Hoc nunc os,* hac scilicet vice tantum id fit, ut adiutorium viro simile ex solo viro aedificetur,

164) Cf. Op. cit. f. 4b. *In lingua sancta,* idest *hebraica,* quia hebraice אשה, *mulier,* deductum est a: איש, *vir. Fagius :* « Philosophantur Hebraei in voce איש et אשה, hunc in modum, quod si maritus et uxor caste et innocenter vixerint fidemque matrimonii sanctam servaverint, Deum illis adesse atque inter eos habitare, quod significatur per litteram י, quae una est ex nomine tetragrammaton atque media est in voce: איש, quam si iterum demas, manet, אש, quod *ignem* significat ». Col. 76. 165) Op. cit. f. 4b.

potius quam nascatur; postmodo enim coniuges ex naturali semine propagati copulabuntur. Simulque notandum est supernaturaliter cognovisse Adam ex se formatam esse mulierem. Unde et prophetice locutus est; mox enim ut dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea* – quo docemur non tantum ex viri osse, sed ex carne etiam formatam esse mulierem, – *haec vocabitur virago*, seu *vira, quia de viro sumpta est* – congruum est enim ut si de viri substantia atque natura mulier exaedificata est, ut et de viri quoque nomine eius nomen deducatur; et quorum natura eadem, idem et nomen sit; et sicut in sexu dissimiles sunt, ita et aliqualem etiam differentiam in nomine gerant; – tunc vaticinium subiunxit, dicens: *Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam et adhaerebit uxori suae.* Praecipitur in his verbis ac inhibetur a Deo sacrum coniugium ac Matrimonii sacramentum. Deus enim est qui per os Adae verba haec locutus est, quemadmodum Christus Dominus noster apud Matthaeum expressit, dicens[166]: *Non legistis quod qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos, et dixit : Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una ? . . . Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.*

***Hoc nunc os ex ossibus meis*, etc. Haec verba significant hac vice tantum mulierem ex viro formatam fuisse, quia in posterum per generationem id fieri debet.**

***Propter hoc relinquet homo*, etc. His verbis sacramentum Matrimonii significatur et consequens coniugum cohabitatio, etiam parentibus relictis;**

Nec tamen quoad caritatis erga parentes dilectionem ista derelictio intelligenda est: semper enim tenetur homo parentes diligere et honorare; sed de cohabitatione intelligendum est quod dicitur. Unde Chaldaeus Paraphrastes verissime transtulit: *Propter hoc relinquet homo domum cubilis patris sui et matris suae, et adhaerebit cum uxore sua.* Filius enim, uxore ducta, non tenetur amplius habitare cum patre, sed cum uxore, suntque ei providenda necessaria vitae sibi et uxori ac communi familiae; etiam si quaslibet parentes patiantur necessitates et incommoda, tenetur magis uxori ac familiae, quam parentibus; si non possit utrisque subvenire, uxori magis ac familiae providendum sibi est, quam parentibus. Officia ergo uxori debita parentum officiis praeponenda censentur, si simul expleri reddique non possint.

filius enim, uxore ducta, prius tenetur huic subvenire, quam parentibus, ceteris paribus.

Et erunt duo in carne una, vel iuxta hebraicum: *Erunt in carnem unam.* Hunc locum diversimode interpretati sunt doctores tum

***Erunt duo in carne una.* Variae inter-**

166) 19, 4-6. Vulg.: *Quia... dimittet*, loco : *Quod... relinquet.*

pretationes huius loci.

Hebraei tum Latini. Quidam Latinorum[167] et Rabbinus Salomon[168] sic exposuerunt, ut per hanc carnem proles intelligatur, ad quam procreandam vir atque mulier coniunguntur et per ambos fit fetus, in quo eorum caro fit una. Alii vero[169], quibus Aben Ezra assentit[170], ita interpretati sunt, ut cum adhaeserit vir coniunctusque fuerit cum muliere desponsata sibi uxore matrimoniali copula secundum carnem, efficiantur ambo secundum debitum una caro, sicut una caro fuerunt ab initio Adam et Eva; ut sit sensus: *Adhaerebit uxori suae* legitimae per carnalem copulam, et ex hac adhaesione fiet, ut sint duo in carnem unam, ut sit matrimonium ratum ac indissolubile. Etenim hoc ex sui natura habet illa coniunctio propter consensum, cui assistit Deus, ut duorum carnem reddat unam, faciens indissolubile vinculum; unde illud *erunt* iussio est ac inhibitio divinae voluntatis, ut ubi adhaeserint legitime Dei voluntate per Matrimonii sacramentum[171] a Deo coniuncti[172], sint indissolubiles ut una caro, habeatque unusquisque ius super carnem illam.

His verbis significatur matrimonii indissolubilitas ei unitas.

Ex quo autem vir atque mulier una caro effecti sunt, nec a seinvicem unquam seiungi ac separari [possunt], nec alteri carni copulari; unius enim carnis maxime proprium est ut partes seinvicem fovere debeant, nutrire, adiuvare, nec ab invicem seiungi et alteri carni copulari; nam quae sunt individui partes, incommunicabiles alteri individuo esse debent. Quocirca manifeste ac luculenter patet hoc verbo non satis uxorum pluralitatem a Deo probari, sed potius prohiberi, et divortium debuisse semper esse illicitum, sicut Dominus ait: *Quod . . . Deus coniunxit, homo non separet.* Permissa tamen sunt haec aliquando a Moyse ob hominum pravitatem ac Iudaeorum duritiem[173].

Reprobatur ergo divortium, quod ad duritiam populi hebraici Moyses aliquando concessit.

Sciendum praeterea est, adeo ex naturali hac adhaesione et copula viri ad mulierem trahi hoc debitum unamque fieri carnem,

Per adhaesionem viri

167) Cf. Angelomus *Comment. in Gen.*, (P. L. 115, 135); Hugo de S. Victore *Adnotat. Elucidat. in Pentat.*, ibid. 175, 41; Alph. Tostatus op. cit. f. 17ª; Io. Menochius *Explicat. in Gen.*, pag. 4; Pererius op. cit. lib. 4, t. 1, pag. 491. 168) Op. cit. f. 4ᵇ. 169) Cf. Rupertus *De Trinitate, etc. In. Gen.*, lib. 2, cp. 38, (P. L. 167, 285-286); Petrus Comestor *Historia Scholastica*, ibid. 198, 1071; Corn. A Lapide *Comment. in Gen.*, pag. 185; Aug. Calmet *Comment. in Epist. 1 ad Cor.*, t. 8, pag. 159-160. 170) Op. cit. f. 4ᵇ. 171) Ms.: *Matrimonium sacramenti*. 172) Cf. supra cp. 1, pag. 201. 173) Cf. Mt 19, 8.

ut nedum in legitimo matrimonio, verum etiam commixtio adultera et meretricia hoc habeat, ut qui sic commiscentur, etiam una caro efficiantur, teste A p o s t o l o, qui ait[174]: *An nescitis quod qui adhaeret meretrici unum corpus efficitur ? Erunt enim, inquit, duo in carne una.* Non quod in loco hoc quem citat, de meretricio commercio et adhaesione sermo sit: sed quia talis copula ex sui natura illud habeat; et ideo in meretrice constituit etiam illud debitum, ut qui illi coniungitur, iam obligetur ut non possit esse alterius, cum effectus cum ea unum corpus sit; et rursum non possit illius esse, quantum ad usum pertinet, sine peccato, cum non approbet, sed reprobet illam copulam Deus, nec ei assistat, sed obsistat. Quamobrem qui sic contra Dei legem coniungitur, duo contra se incurrit; primum: ut una caro fiant, et sic contrahatur affinitas perpetua, qua prohibeatur quivis eorum a complexu cum propinquis alterius, ne incestum committant; alterum vero: cum Deus isti copulae non assistat, tantum abest ut in invicem contrahatur debitum, idest ius alteri in carne alterius, ac per hoc teneantur sibi invicem in opere carnis inservire, ut contra toties peccent, quoties sese ulterius commiscuerint, nisi vero consensu iungant se matrimonii vinculo; alioqui non sunt una caro, quantum ad hanc considerationem spectat, vere et legitime, sed de facto furtim et invito Domino. Una tamen caro iure censentur, quoniam ex ea adhaesione affinitas perpetua contrahitur; et revera ex vi et natura ipsius rei deberent coniugii universalis facultatem amittere. Verum quoniam periculum esset grave si isti arcerentur a matrimoniis et cogerentur contrahere cum meretrice, ideo indulgentia factum est ut possit quilibet fornicantium contrahere: non tamen cum consanguineis alterius propter affinitatem contractam, quae in eorum odium durat, quemadmodum iura canonica docent[175]. Magna ergo vis illius adhaesionis in verbis Domini: *Adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una.* Mitto hic mysterium, quod B. A p o s t o l u s *magnum* vocat[176] *in Christo et . . . Ecclesia;* suo enim loco, Deo duce, expendemus.

mulieri efficitur una caro, non solum in copula legitima, verum etiam in meretricia.

Duo mala committit qui contra Dei legem fornicariae coniungitur: primum, contrahit affinitatem cum propinquis alterius; secundum, licet facti sint una caro, nequeunt tamen ius habere ad debitum, quia peccatum est.

174) 1 Cor 6, 16. Vulg.: *Quoniam,* loco: *Quod.* 175) Cf. *Decretum Gratiani,* part. 2, quaest. 2-3, cp. 1-2, (P. L. 187, 1663-1675); G. Hergenröther *Storia Universale della Chiesa, Evo Antico,* lib. 2, part. 1, cp. 16, vol. 2, pag. 196; *Evo Medio,* lib. 1, part. 1, cp. 23, vol. 3, pag. 225; part. 2, cp. 14, ibid. pag. 392; *Epoca Terza,* lib. 1, part. 1, cp. 22, vol. 6, pag. 259.
176) Eph 5, 32.

Vr. 25 *Erant*[177] *autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor eius, et non erubescebant.*

Erat autem uterque nudus, etc. Admitti nequit opinio primos parentes non erubuisse ob eorum puerilem simplicitatem.

Rabbinus Salomon inquit[178], quod « non erubuerunt quia non noverunt viam verecundiae ad probandum inter bonum et malum; et licet data esset ei scientia ad vocandum nomina animalibus, non dedit ei concupiscentiam malam, usquequo comederunt de ligno et ingressa est in eo concupiscentia mala, et cognoverunt quid differret inter bonum et malum ». Iosephus hanc inerubescentiam in primis parentibus ob simplicitatem scientiaeque defectum putat[179] evenisse, sicut est in pueris, qui nuditatis pudore non suffunduntur, ex quo usu rationis carent.

Sed hoc eveniebat ob statum innocentiae et iustitiae originalis.

Nos vero omni scientia plenum ac cumulatisimum, rerum praecipue naturalium, fuisse Adam [credimus], cum animantibus omnibus nomina imposuerit; ac ideo non ob simplicitatem id evenisse, sed ex conditione status innocentiae et ob excellens illud donum iustitiae originalis, quo primi parentes a Deo donati sunt.

Quod confirmatur ex erubescentia quam naturaliter experiuntur omnes, etiam ingenui.

Quod quidem donum ex hoc loco vel maxime in primis parentibus fuisse manifestari asseveramus, ubi duo quasi incompossibilia ponuntur, videlicet nuditas et inerubescentia. Nam nuditas naturaliter parit ruborem in homine, sicut et nunc nobis illa iustitia destitutis accidere sentimus. Etenim in illis membris maxime apparet inordinatio et dissolutio freni illius, quo refrenabatur caro ipsa et coercebatur ne adversus spiritum insolesceret. Homo autem, etsi non edoctus ab homine, nescio tamen qua vi insitae rationis hanc indignitatem in se recognoscens, cogitur erubescere, si forte ostendantur illa, quae meritissime pudenda vocantur. Videtur nanque patefacere turpitudinem et peccatum in eis latens; scit enim homo ita esse, tametsi nesciat quamobrem ita sit. Quae quidem notitia hominem ab illis actionibus retrahit, quae alioqui licitae essent et absque peccato fierent; exerceri enim in palam non potest, nisi impudentissime, nuptiarum officium: sed secreto, ob pudorem ab ipsa rei turpitudine innatum; nec ullus dari potest eousque flagitiosus et impudens, qui valeat hunc naturae instinctum [palam] declinare.

177) Vr. 25. Vulg.: *Erat autem*, etc. 178) Op. cit. f. 5ᵃ. 179) *Delle Antichità Giudaiche*, lib. 1, cp. 3, f. 3ᵃ, et apud Nic. Lyranum op. cit. f. 39ᵃ; et Alph. Tostatum, op. cit. f. 17ᵇ.

Cum ergo primi parentes in illo felicissimo statu nullam in ea nuditate agnoscerent in seipsis erubescendi causam, inde profecto erat, quia iustitiae illius originalis dono nuditas illa miro modo contegebatur. Non enim ab inscitia et ignorantia accidere id quoquo pacto poterat, cum essent sapientissimi: sed a tranquillitate ac integerrima puritate et innocentia carnis, quae per illam iustitiam rationi consentiens, nullo pacto spiritui adversabatur. Cum ergo nudi essent – non quod vestibus caruissent, sed quia, vestibus nullo pacto indigentes, vestiti non essent [180], – *non erubescebant;* splendidissime enim vestiti erant decore illo iustitiae, quam si perpetuo servassent [181], nunquam vestibus eguissent vel ad verenda tegenda, cum ea, quae nunc ob peccatum pudenda sunt, tunc pudenda non essent: neque ut se a frigore aut aeris intemperie defenderent, cum nihil detrimenti et laesionis fuissent passuri.

Ergo inerubescentia illa non ex ignorantia erat, sed ex innocentia et ordine perfecto, quo passiones subiiciebantur rationi.

Ex quo autem hucusque noster sermo pervenit, de hoc iustitiae originalis dono aliqua disserere operae pretium visum est, quam Sapiens *rectitudinem* vocat, ita dicens: *Deus* ab initio *creavit hominem rectum* [182], idest iustitia originali praeditum. Ac ne longius sermo noster protrahatur, tria nobis videnda sunt; primo: quid sit iustitia originalis; secundo: in qua animae parte ponenda sit; tertio: quis eius fuerit principalis effectus.

De *iustitia originali* tria inquirenda sunt: quid sit; in qua animae parte ponenda sit; quis eius fuerit principalis effectus.

Principio autem id munus Dei non gratiam gratum facientem, seu caritatem fuisse, sed gratiam gratis datam, a caritate separabilem. Quod inde probari existimamus: nam cum mulier sive per virum, sive immediate a Deo praeceptum accepisset ne de ligno scientiae boni et mali gustaret, sicut ipsamet testatur dicens: *De fructu scientiae boni et mali praecepit nobis Deus ne comederemus* [183]: profecto quando lignum vetitum comedit, praeceptum transgressa est seipsamque gratia et caritate destituit; originalis tamen iustitiae donum non amisit quousque post illam et vir, lignum vetitum degustans, divinum praeceptum transgressus est. Nam iustitiae originalis donum inde vel maxime elucet quod, cum nudi essent, *non erubescebant.* Cum ergo mulier, iam pomo degustato, nuditatem suam non cognovisset, nec erubuisset, profecto gratia et caritate

Primo: *iustitia originalis* non erat gratia *gratum faciens*, sed *gratis data* et a caritate separabilis;

180) Ms.: *Esset.* 181) Ms.: *Servasset.* 182) Eccle 7, 30. Vulg.: *Fecerit Deus*, etc.
183) Gn 3, 3.

nam mulier transgrediens ipsa sola praeceptum divinum, amisit quidem caritatem, non autem iustitiam originalem, quia adhuc non erubuit.

iam per transgressionem praecepti amissa, iustitia originalis, etsi iure perdita, de facto tamen adhuc perseverabat. Cum autem et vir fructum a Deo vetitum a muliere sibi oblatum comedit[184], tunc ambo eo munere destituti sunt et cognoverunt *se esse nudos*[185] et erubuerunt. Et certe quando id munus amiserunt, iam gratia et caritate destituti erant; illud enim per comestionem perdiderunt: gratiam autem interiori actu dato consensu, deordinata iam voluntate et aversa a Deo ratione, etiam antequam comedissent, aut ad fructum vetitum manus extendissent, amiserant. Ex quo clare et luculenter conspicitur originalem iustitiam, non gratiam gratum facientem, sive caritatem fuisse, sed gratiam gratis datam, a caritate et gratia separabilem, cum cernatur conspicue eam aliquantulo temporis in primis illis parentibus, per pravum consensum et voluntatis deordinationem gratia destitutis, perseverasse usque ad peccati, iam per consensum praecepti, consummationem.

Ideo prius amiserunt caritatem consentiendo interius peccato; postea amiserunt iustitiam originalem, cum de facto fructum vetitum degustaverunt.

Secundo vero: in qua parte animae ponebatur hoc donum. Nonnulli putant[186] hoc donum in superiori animae portione collocatum fuisse, quoniam vocatur i u s t i t i a, cuius expers est pars inferior; iustitia enim revera habet voluntatem pro subiecto. Ego vero in inferiori animae portione locatam fuisse existimo. Positivum enim ac privativum idem omnino pro subiecto habent. At morbus ille ac fomes peccati: carnis illa concupiscentia adversus spiritum[187]: corpus illud mortis, quod mentem interioremque hominem lacessit et aggravat: lex illa membrorum repugnans legi mentis[188], in portione certe inferiori ipsius animae est. Igitur et frenum illius concupiscentiae, et tranquillitas illa carnis, et lex illa sancta membrorum, et pax illa carnis ad spiritum, et obedientia illa sensus exteriorisque hominis ad interiorem et mentem, in ea portione locanda venit.

Secundo: *iustitia originalis* residebat in inferiori animae parte, quia cum in hac inveniatur fomes et concupiscentia,

In hac etiam inveniri debuerat frenum concupiscentiae.

184) Cf. Ibid. vr. 6. 185) Ibid. vr. 7. 186) Secundum S. Thomam subiectum iustitiae originalis est essentia animae potius quam eius potentiae, et essentia animae ponitur subiectum gratiae gratum facientis. *S. Theolog.*, 1ª 2ªᵉ, q. 83, a. 2, ad 2; q. 110, a. 4. S. Bonaventura collocat in voluntate subiectum iustitiae originalis et etiam gratiae gratum facientis. *Sentent.*, lib. 2, dist. 31, a. 1, q. 2; dist. 41, a. 2, q. 2. Durandus, apud Pererium, illud collocat in appetitu sensitivo. Pererius vero illud ponit in omnibus potentiis superioribus animae, in iis nempe potentiis, in quibus erant habitus, per quos homo secundum statum naturae integer, rectus et perfectus reddebatur. *Comment. in Gen.*, lib. 5, q. 2, t. 1, pag. 577. 187) Cf. Gal 5, 17. 188) Cf. Rom 7, 23.

Et huius quidem rei mihi maximam fidem facit quod, cum Adam hoc esset munere a Deo praeditus, pro se et pro tota sua posteritate id donum accepit. Quamobrem si ipse servasset excellentissimum illud donum, quod gravi suo et omnium nostrum damno amisit, omnes posteri eo munere donati fuissent naturali quadam veluti hereditaria successione, accipientes a parentibus, a quibus propagabantur et esse accipiebant naturae. At vero quae in superiori animae portione locantur, non natura vel hereditaria successione accipiuntur a patribus et genitoribus, sed immediate per creationem a Deo emanant ac infunduntur simul menti et rationi.

Quod magis probatur quia iustitia illa propagari debuerat in posteris per generationem; at quae pertinent ad superiorem animae partem, a Deo immediate infunduntur.

I u s t i t i a vero meritissime dicitur, quoniam rectissima quaedam ac aequissima erat membrorum inferiorumque animae virium lex et regula, qua sensus omnesque vires inferiores regulabantur ne insurgerent, aut contra rationem pugnarent neve contra mentis ac rationis iudicium aliquid vel agerent vel concupiscerent; sed eas ut in nullo sibi repugnantes in nulloque rebelles, sed faciliter ac delectabiliter etiam obsequentes, poterat mens ac ratio feliciter regere, earumque obsequio gratissimo potiri ac delectari. Sicut nunc ex earum rebellione gravem sentit iacturam et incommoda maximamque tristitiam, quoniam eo freno laxatae sunt eiusmodi vires eaque rectissima et aequissima lege ac regula destitutae; quamobrem tanquam effrenes et indomitae spiritui ac menti recalcitrant et contra eum insurgunt ac pugnant, continuisque bellis etiam omnigena passionum pravarum alluvie, in eum insolescunt: et nos infelices, nisi gratia Dei per Iesum Christum ab hoc corpore mortis liberaret [189].

Recte munus hoc *iustitia* vocatur, quia aequissima lex erat, qua sensus inferiores dominio rationis perfecte subiiciebantur.

Tertio autem, de effectu huius iustitiae videndum est. Praecipuus ac principalis huius originalis [iustitiae] effectus, iuxta multorum sententiam [190], ordinatio voluntatis fuit in Deum. Quod quidem mihi non satis probatur: sed muneris gratiae gratum facientis et caritatis hanc voluntatis in Deum ordinationem fuisse existimamus, sicut et nunc est. Etenim, ut supra quoque visum est, dato iam a muliere in comestionem fructus vetiti consensu, iam eius voluntas, dubio omni procul, a Deo deordinata aversaque erat; iustitiam tamen originalem de facto, etsi de iure, non amisit, quousque et vir

Tertio: effectus *iustitiae originalis* non erat ordinatio voluntatis in Deum, quae potius est effectus caritatis et gratiae gratum facientis.

Antequam enim de facto mulier iusti-

189) Cf. ibid. vrr. 24-25. 190) Cf. S. Thomas *S. Theolog.* 1ª, q. 95, a. 1, c.; a. 3, c.; 1ª 2ªᵉ, q. 82, a. 3, c.; q. 85, a. 3, c.

tiam amisisset, voluntas a Deo iam deordinata erat, ob datum consensum peccato.

comedit et cognoverunt *se esse nudos* et erubuerunt. Antequam ergo originalem iustitiam amisissent, iam gratiam amiserant, deordinatamque et a Deo aversam voluntatem gravissimique peccati labe infectam ac depravatam habebant.

Nec tamen dicendum est potuisse originalem iustitiam sine hoc praecipuo effectu aliquanto tempore perdurare; nam sicut modo gratia, cuius proprium est voluntatem Deo ordinatam et gratam tenere, non potest vel temporis momento cum peccato voluntatisque deordinatione permanere: ita nec iustitia illa.

Effectus iustitiae originalis proprie erat ordinatio sensuum inferiorum ad rationem, subiectio passionum spiritui,

Cum ergo mentis ac voluntatis in Deum ordinatio superioris altiorisque et excellentioris doni munus fuerit, gratiae videlicet et caritatis, quae animam Deo caram, gratam et amicam reddebat; praecipuum iustitiae originalis munus id fuisse asserimus, ut perfectam tranquillitatem et amicitiam inter sensum et rationem redderet, eamque legem, quae in membris nostris repugnat legi mentis nostrae, frenaret faceretque, non ut omnino passiones non essent in anima secundum partem sensitivam, sed ne insurgerent, aut contra rationem pugnarent. Non fuisset enim in illo statu ira et dolor, pudor et timor, aut taedium cum pavore, et quaecumque omnino afferunt afflictionem.

quo dono sensus omnes delectabiliter continebantur sub dominio rectae rationis, et legi Dei subiiciebantur absque ulla difficultate.

Perfecta igitur tranquillitas in anima quoad omnes potentias effectus fuit praecipuus ac principalis iustitiae originalis: ita quod sensus viresque inferiores non inclinarentur ad sua delectabilia contra aut supra superioris portionis iudicium et rectae rationis legem praefixosque limites; aut si appetitus in delectabile aliquod inclinaretur, cui naturale esset condelectari, ab eo potuisset delectabiliter retrahi a mente et ratione, absque ulla penitus difficultate superioris, aut tristitia inferioris; quoniam sensus ipse viresque inferiores ex hoc iustitiae originalis munere delectabiliter obedissent menti et rationi, condelectataeque fuissent legi Dei secundum interiorem hominem.

Alius effectus huius iustitiae erat immunitas a morte, a dolore et a senectute;

Est et alter iustitiae originalis effectus, et ipse praecipuus ac peculiaris: immortalitas videlicet corporis, qua potitus fuisset per eam homo ut, natura mortalis, eius munere nunquam mortem gustaret. Non quod impossibilitatem moriendi ei tribueret, sed non moriendi potestatem; haec hominem perpetua soliditate vestiebat, ne ulla unquam vel infirmitate, vel anxietate, vel senii lassitudine, vel imbe-

cillitate fatigaretur. Corpus enim ab humorum intemperie praeservabat, quos semper et una cum eis elementorum virtutes et in seinvicem actiones, mira quadam proportione et aequabilissima ac placidissima temperie attemperabat. Unde omnes infirmitates procul arcebantur, et per ligni vitae alimenta adeo naturales virtutes humidi radicalis, virtute naturalis caloris deperditas ac consumptas instaurabat, ut nullo unquam aut vigore virium minueretur, nec fame aut siti afficeretur, nec corporis imbecillitate fatigaretur, nec senii lassitudine gravaretur. Per hanc etiam amoenissimo paradisi terrestris loco eiusque omnigena deliciarum ubertate potitus semper fuisset; ac tum Dei vigilantissima providentia, tum angelorum diligenti prudentissimaque custodia, securus semper in omnibus viis suis fuisset ne forte a quovis extrinseco laedente mors ei quoquo pacto inferretur. Unde immortalitatis dote semper felix gaudensque vixisset, nulli unquam miseriae, aut calamitati obnoxius, omni felicitate plenus. Haec autem de iustitia originali sint satis.

cui etiam cooperabatur fructus ligni vitae, qui virtutem radicalis humidi continuo reficiebat;

et insuper angelica custodia et divina assistentia, quae ab omni extrinseco laedente hominem protegebat.

CAPUT TERTIUM

Vr. 1 *Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terrae, quae fecerat Dominus Deus.*

Quod Interpres noster vertit: *Callidior*, Septuaginta transtulerunt: Ὁ δὲ ὄφις [ἦν] φρονιμώτατος: *At serpens erat prudentissimus;* Theodotio[1] et Aquila vero[2]: *versipellis*. Vox tamen hebraica: עָרוּם, callidum astutumque significat et sapientem[3].

***Sed et serpens erat callidior, etc.* Variae lectiones.**

Chaldaeus Interpres eandem vocem posuit: עָרוּם; quamvis nonnulli[4] codices חכים habeant, quod est sapiens.

1) Cf. Origenes *Hexapla*, (P. G. 15, 174). 2) Cf. ibid. col. 172. 3) Cf. Pagnini op. cit. sub radice: עָרַם, col. 2090-2091; *callidus, astutus*, et etiam *nudus*; eadem enim voce utitur S. Scriptura infra vrr. 7. 10-11. 4) Cf. *Targum Ierosolymitanum*: חַכִּים לְבִישׁ; S. Hieronymus *Hebraic. Quaest. in Gen.*, (P. L. 23, 942); Strabus *Glossa Ord. in Gen.*, ibid. 113, 91; Drusius, col. 137.

Per serpentem non solum animal intelligendum est, nec solus satanas in serpente loquens.

Iuxta sententiam vero omnium expositorum, etiam Hebraeorum, per *serpentem* hic nec solum animal, aut satanam solum oportet intelligi; sed satanam in serpente animali loquentem [5]. Non solum animal; quia cum muliere loquebatur, quod rationalium intellectualiumque naturarum, non brutorum est. Eos autem qui solum satanam fuisse autumant, sic Aben Ezra redarguit, dicens [6] quod « non respexerunt ad finem capituli; quoniam quomodo graditur satanas super pectus suum? Et quomodo pulverem comedet? Et quae ratio ad maledicendum: *Ipsa*, vel *ipsum*, *conteret tibi caput*? [7]. Quapropter ipse, iuxta sententiam Rabbini Sahadiah Gaon [8] et Rabbini Samuel ben Ophni [9] et Rabbini Salomonis hispani [10], tenet quod non serpens locutus est, nec asina [11], sed angelus per eos locutus est.

Tentator hic, qua angelus, est substantia spiritualis,

Nos autem pro clariori loci huius intelligentia nonnulla exarare prius operae pretium duximus de natura huius tentatoris, secundum quam angelus est; et de lapsu, secundum quem *callidus serpens* et *versipellis* tentator nuncupatur. Cum saepissime in Sacra Scriptura spirituales quasdam substantias, quas angelos frequenti vocabulo nominamus, propositas nobis esse non inficiamur, constantissime tenendum est eas ab initio fuisse ab omnium Conditore creatas.

intellectualis, libera, a Deo creata ad suum ministerium,

Est autem angelus, ut Damasceno placet [12], substantia incorporea, intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, Deo ministrans, gratia, non natura immortalitatem suscipiens. In quibus verbis et angeli substantiam corpore expertem, virtutem in intelli-

5) Cf. S. Theophilus Antioch. *Ad Autolycum*, lib. 2, (P. G. 6, 1098); S. Cyrillus Alex. *Adversus Iulianum*, lib. 3, ibid, 76, 631-635; Theodoretus *Quaest. in Gen., Interr. 32*, ibid, 80, 130; S. Io. Damascenus *De Fide Orthodoxa*, lib. 2, cp. 10, ibid. 94, 910; S. Augustinus *De Genesi ad Litteram*, lib. 11, cp. 27, (P. L. 34, 443); S. Beda *Hexaem.*, lib. 1, ibid. 91, 53; *In Pentat.*, ibid. col. 210-211; Strabus *Glossa Ord. in Gen.*, ibid, 113, 91; Rupertus *De Trinitate*, etc. *In Gen.*, lib. 3, cp. 3, ibid. 167, 289-290; Petrus Lombardus *Sentent.*, lib. 2, dist. 21, ibid. 192, 695. *Maimonides*: « In Midrash adducunt Sapientes nostri serpentem equitatum fuisse quantitatem eius instar cameli, et sessorem eius fuisse illum qui decepit Evam, huncque sessorem fuisse Samaelem. Quod quidem nomen simpliciter denotat Satanam... Ecce iam expositum tibi est quod Samael est Satan, et quod eodem modo tam Satan quam Samael denotetur per serpentem ». *More Nebuchim*, part. 2, cp. 30, pag. 280. De variis opinionibus circa naturam serpentis cf. Alph. Niccolai op. cit. lez. 27, t. 3, pag. 5 sqq. 6) Op. cit. f. 5a. 7) Gn 3, 15. Ex hebraico. 8) Apud Aben Ezram op. cit. f. 5a. 9) Ibid. Ms.: *Ben Diaphni*. In Aben Ezra clare legitur: בן הפני, *Ben Ophni*, 10) Apud Aben Ezram ibid. Aben Ezra autem etiam oppositam sententiam affert, idest Deum, qui dedit intellectum homini, etiam serpenti dedisse: והשם דעת באדם שם בו. 11) Cf. Nm 22, 28-30. 12) *De Fide Orthodoxa*, lib. 2, cp. 3, (P. G. 94, 866-867).

gendo, operando ac imperando, officium in Dei ministerio, ac demum interminabilem ex gratuito Dei munere permanentiam licet perspicere.

gratia et immortalitate donata.

D. vero Dionysius Areopagita de angelo loquens[13], eius nobis ita naturam describit: « Imago Dei est angelus et occulti luminis declaratio, ac speculum purum, nitidissimum, incoinquinatum, immaculatum, incontaminatum, totam in se suscipiens, si dictu fas est, speciei ipsius pulcritudinem figuraeque divinae, atque in seipso sincere, quantum fieri potest, splendore declarans secretissimi illius silentii bonitatem ».

perfectissima Dei imago.

In quibus verbis mirifice angelicam, idest intellectualem in sua puritate naturam esse quasi splendorem circumfusum divinae lucis declarat, lucisque illius penetralia intellectualibus animis intelligibiliter declarantem, solemque divinum in angelo tanquam in speculo purissimo expressissime relucere primoque, pleno ac perfectissimo gradu, absque ullo penitus defectu, eam divinae lucis, bonitatis ac pulcritudinis participationem esse sortitum; ut perlucidissimus quidam sit divinae gloriae splendor perfectissimaque Dei imago ac similitudo; eo pulcrius excellentiusque sit in eo divinae bonitatis, speciei, figurae ac pulcritudinis character, quo eius est natura subtilior.

excellentissima inter omnes creaturas.

Haec omnia spiritualium intellectualiumque substantiarum universa multitudo a suae conditionis initio munificentissime ab universorum Conditore acceperunt: quos Deus in coelo empyreo loco omnium eminentissimo ac dignissimo, una cum eo ab initio condidit[14], tanquam supremi illius coeli splendidissima perlucidissimaque astra. Ita enim a Deo vocati sunt, quemadmodum legimus: *Ubi eras cum me laudarent . . . astra matutina et iubilarent omnes filii Dei*[15] ? *Astra* siquidem dicuntur, tum propter incorruptibilis naturae excellentiam, tum propter eminentiam loci, tum propter clarissimi luminis intellectualis splendorem, quo et sibi inferiores purgant, illuminant ac perficiunt; *matutina* vero, quia ab initio conditi sunt; *Deum laudantia*, quia Creatorem suum cognoscebant, etsi nondum, sicut et cogniti erant, *facie ad faciem*[16]; ad hoc enim tendebant *filii Dei* propter

Angeli una cum coelo empyreo creati fuerunt tanquam illius coeli splendidissima astra.

Bene vocantur *astra matutina* Deum laudantia.

13) *De Divinis Nominibus*, cp. 4, ibid. 3, 723. 14) Cf. cp. 1, pag. 125-126.
15) Iob 38, 7. 16) 1 Cor 13, 12.

supernaturalia dona, quibus exornati mirifice erant. Fidem enim limpidissimam habebant, cum repromissum fuisset eis regnum coelorum si in iustitia et veritate stabiles perstitissent; spem, ut ad fidelia beataque promissa contenderent; caritatem, ut summum bonum tota vi ac mentis conatu super omnia diligerent. *Iubilantes* vero, quoniam etsi a principio non fuerunt beati, sed ad beatitudinem contendebant, quae in clara visione Dei *facie ad faciem* consistit, unde est fruitio ad quam conditi erant, erant tamen naturali quadam beatitudine felices ac beati. Statum enim quendam innocentes et impassibiles possidebant perfectum, in quo nullum esset vel poenae damnum vel culpae malum: omnigena spiritualium deliciarum, citra tamen beatitudinem, copia ac ubertate refertum: multis et maximis supernaturalibus donis decorati ad sciendum et intelligendum cuncta prompte ac dilucide.

quia innocentes et impassibiles, et maximis donis naturalibus et supernaturalibus ditati.

Inter hos autem felices spiritus erat Lucifer ille *principium viarum Dei* [17], sicut sol inter astra [18], primum ac summum locum super omnes sortitus, in quo omnia Dei dona perfectius et lucidius emicabant. De quo per Ezechielem in persona regis Tyri dicitur [19]: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, topazius . . . iaspis, chrysolithus et onyx et beryllus, saphirus et carbunculus et smaragdus; aurum opus decoris tui et foramina tua in die, qua conditus es, praeparata sunt. Tu Cherub extentus et protegens, . . . in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum perfectus ambulasti.*

Inter omnes angelos Lucifer eminebat, in quo perfectius imago Dei et dona relucebant;

Quo in loco notandum est per antonomasiam [20] *signaculum* divinae *similitudinis* dictum esse Luciferum, quoniam in eo clarius ac perfectius divina relucebat imago. Deinde novem dixit genera lapidum; quia nimirum novem sunt angelorum ordines, quos quasi vestem ad ornamentum suum Lucifer habuit, quorum dum claritatem transcenderet, ex eorum comparatione clarior fuit. Unde alibi, eius super omnes alios excellentiam insinuans, idem Propheta de eo in persona Pharaonis, regis Aegypti, dixit [21]: *Cedri non fuerunt*

quare per antonomasiam appellatur *signaculum* divinae *similitudinis.*

17) Iob 40, 14. 18) Ms.: *Astram.* 19) 28, 12-15. Vulg.: *Ambulasti perfectus.*
20) Ms.: *Antonomasia.* 21) Ez 31, 8-9. Vulg.: *Et multis condensisque*, etc., loco: *In multis*, etc.

altiores illo in paradiso Dei, abietes non adaequaverunt summitatem eius, et platani non fuerunt aequae frondibus illius, omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi, et pulcritudini eius. Quoniam speciosum feci eum in multis condensisque frondibus, et aemulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quae erant in paradiso Dei.

Eius excellentia a S. Scriptura amplissimis verbis describitur.

Cum ergo omnes angeli in amoenissimo illo paradiso, qui sursum est, in coelo scilicet empyreo, deliciosissime, citra supernaturalem beatitudinem, naturali ea felicitate ac beatitudine potirentur et ad supernaturalem contenderent, conveniens omnino ac rationi consentaneum est aliquod eos mandatum accepisse, ut supernaturalem beatitudinem mererentur. Non enim conveniens quoquo pacto videtur, absque lege aliqua et nullius adimpletione mandati, beatitudinem eam, quae summa merces ac praemium est, fuisse illis propositam; sed quemadmodum homo mandatum a Deo accepit ex beneplacito Dei, ut per eius observantiam, felicitatem, ad quam conditus ordinatusque erat, beatitudinemque eam, quae supra naturae vires est, assequeretur: ita et de angelis cogitandum est; quo etiam cognoscerent se Deo esse subiectos. Etiam supra ea, quae natura dictabat, credibile omnino est eos habuisse aliquod mandatum excedens legis naturalis limites: sed quod in beneplacito Dei consisteret, ut supernaturalem felicitatem congruo modo acquirerent, quae similiter ex Dei beneplacito habetur.

Conveniens erat angelos, tanta ditatos excellentia, testimonium dare suae fidelitatis,

exequendo aliquod praeceptum Dei, ut supernaturalem beatitudinem mererentur.

Hoc autem praeceptum quod aut quale fuerit nullus valet hominum indagare, cum supra naturam sit et ex mero beneplacito Dei. Probabilissime tamen crediderim humanae naturae in Christo adorationem id fuisse, ut revelarit illis Deus se velle immenso modo secundum omnipotentiam suam communicare seipsum humanae creaturae eamque assumere, ut sublimetur illa in Deo ac quasi insitione quadam admirabili in Verbo fiat illa subsistens Deus, praeostenderitque illis Filium suum Iesum Christum in specie et figura hominis; ac tunc demum iusserit legemque promulgaverit ut eum, *in quo* sibi super omnes semper *bene complacuit* [22], etsi homo futurus esset, adorarent tamen sicut Deum, propter Verbi hypostasim, eique obsequia et honores tanquam Deo redderent. Cui mandato quicumque obtemperarent, semper felices sempiternamque supernaturalem bea-

Quale fuerit hoc praeceptum ignoratur; creditur tamen Deus illis praecepisse ut humanam naturam a Verbo assumendam adorarent,

illis revelato Incarnationis mysterio.

22) Mt 12, 18.

titudinem assequerentur; qui vero huic Dei mandato non acquiescerent[23], e loco illo supremo in sempiternas tenebras deiicerentur ac detruderentur.

Quae opinio confirmatur etiam S. Scripturae testimoniis.

Neque ea, quae nunc diximus, sine Scripturae testimonio a nobis dicta quis putet. David enim, de Christi regno loquens, ita Dei voce inquit[24]: *Et adorent eum omnes angeli eius;* quemadmodum et Apostolus ait[25]: *Et cum iterum introducit Primogenitum suum in mundum, ait: Et adorent eum omnes angeli Dei.* Et haec forte est vita aeterna, quam Apostolus *ante tempora saecularia*, vel aeterna, promissam esse ait, scribens *ad Titum*[26]. Neque enim ante saecularia tempora erat cui posset Deus vitam aeternam, quae per Christum est, promittere, nisi angeli, qui cum in primo temporis momento creati sint, quasi ante saecularia tempora esse dicuntur.

Iussionem hanc permulti, Michaele duce, libenter receperunt;

Audierunt igitur hoc decretum ipsi angeli, qui *ante tempora saecularia* soli inveniebantur promissionis capaces et acceptatores, eis per Iesum Christum destinatam esse salutem ac vitam aeternam, si eum vellent ut adorandum Deum libenter et obsequiose recipere. Et sanctissimus Michael nihil penitus disquirens, recepit subito, ut par erat, mandatum Dei; similiter Gabriel, Raphael et Uriel et plurimi maiorum, quos secuti sunt innumeri angelorum exercitus.

alii autem, Lucifero duce, spreverunt, indigne ferentes Filium Dei humanam naturam angelicae praeferre.

Lucifer autem rem admiratus, coepit secum arbitrari valde durum, nec satis aequum, sed indignum atque iniquum hoc Dei consilium esse, sed angelo debere potius dignitatem hanc tribui, cuius natura etiam in tota sui generis latitudine est multo sublimior homine, ac multo magis primae angelorum speciei, quae omnium excellentissima est. Tunc ad seipsum respiciens et contemplans suam pulcritudinem, speciem ac decorem donaque excelsa virtutemque ac virium excellentiam, qua ceteris omnibus eminebat sicut sol inter astra,

Et cum Lucifer inter omnes se agnosceret excellentissimum, appetiit ut Deus eius fulgidissimae uniretur naturae,

coepit illud sibi appetere, ut Deus suae uniretur hypostasi[26a], quam omnium angelorum cernebat excellentissimam; eamque coepit Dei similitudinem thronique consessum ad Dei dexteram soliique super omnia astra coeli exaltationem, quam in aeternitate sua Deus decreverat Iesu Christo tribuere, impense sibi pessimus aemulator appetere. Unde hanc eius cogitationem prodens Isaias, haec satanae verba

23) Ms.: *Acquirent.* 24) Ps 96, 7. 25) Hebr 1, 6. Vulg.: *Primogenitum in orbem terrae, dicit,* etc. 26) 1, 2. 26a) S. Auctor accipit *hypostasim* sensu lato, loco: *naturae.*

deprompsit[27]: *In coelum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis; ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Hoc enim pacto videbat esse possibile ut fieret Deus, si natura divina suae uniretur hypostasi.

exaltationem Christo debitam sibi tribui volens;

Ea igitur cogitante Lucifero, sensim obscurabatur intellectus eius et voluntas, simul ira atque indignatione depravabatur, et coepit hanc dignitatem invidere homini et vehementer odisse Christum, quem omnino voluisset occidere et perdere. Unde et Dominus dixit, loquens Iudaeis: *Vos ex patre diabolo estis et voluntatem patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio et in veritate non stetit*[28]. *Vos quaeritis me interficere*[29]. Hinc factum est disceptatione et praedicatione vi quadam spiritus, *proelium* illud *magnum in coelo*, quando *Michael*, qui partes Dei tuebatur, *et angeli eius proeliabantur cum dracone*, et Lucifer, ex pulcherrimo angelo ob peccatum factus iam teterrimus *draco, pugnabat et angeli eius*, qui recipere unquam voluerunt Dei mandatum, nec rectum probare; sed blasphemabant Deoque iniquitatem impingebant. Sed *non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in coelo; et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas*[30].

et maxima invidia, ira et odio in Christum et hominem exardescere coepit.

Proelio facto in coelo, angeli fideles praevaluerunt et rebelles in inferna proiecerunt;

Lucifer ergo, nimium divitiis bonitatis et patientiae Dei[31] abusus, de paradiso Dei eiectus, virulentissimae invidiae ac mortiferi odii in hominem stimulis exagitatus, sapientissimus ac prudentissimus ut mala faciat, astutus, callidus, versipellis ac nequam humani generis inimicus, magno coepit conari molimine, ut suo letali ac pestifero veneno homini mortem afferret, ac ut e paradisi deliciis eiectum in suam redigeret potestatem.

et Lucifer draco et satanas factus est, astutissimus humani generis hostis.

Id nobis M o y s e s his verbis declarat: *Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terrae.* Qui prius angelus pulcherrimus a Deo conditus fuit, factus est suo delicto teterrimus virulentissimusque serpens: ad tentandum hominem veniens, unum de terrae serpentibus ingreditur, in quem Deus permisit eum ingredi, ut suas in illo exerceret insidias, cum quo nonnullam convenientiam et analogiam haberet.

Ideo ad hominem tentandum in venenosum serpentem ingreditur, analogo instrumento utens,

27) 14, 13-14. Vulg.: *Conscendam*, loco: *Ascendam*. 28) Io 8, 44. Vulg.: *Desideria*, loco: *Voluntatem*. 29) Ibid. vr. 40. 30) Apc 12, 7-9. 31) Cf. Rom 2, 4.

Serpens autem hic נחש hebraice dicitur, quae vox non solum animal serpentem, sed etiam auguratorem, ominosum, praestigiatorem, tentatorem ac secretorum inquisitorem significat. Et forte hanc ob rem ea voce usus est Moyses, ut et satanam tentatorem et animal etiam serpentem, in quo praestigiose loquens suas exercebat insidias, sapienter uno nobis verbo monstraret. Serpens autem iste *callidus* dicitur hebraica voce: ערום, a verbo: ערם, quod cum versutia ingeniose aliquid cogitare, consilia malignare, callide et astute agere et nequiter aliquid tractare significat. Ea insuper vox nuditatem significat; quo datur nobis intelligi quomodo antiquus iste serpens ac praestigiosissimus tentator, iam nudus ac omnibus donis coelestibus spoliatus, plenus invidia, omni versutia et calliditate ac iniquis cogitationibus armatus, hominem adorsus est, ut eum e felicitate illa deiiceret ac omni bono coelesti spoliaret. Etiam quoniam serpens aliqua naturali prudentia et calliditate pollet, nam et Dominus dixit: *Estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae* [32]; iccirco ut analogia inter daemonem tentatorem et instrumentum, quo ad tentandum uti eum oporteret, sane congrueret, in serpentem ingressus est, spiritu suo implens serpentem.

cum serpens sit naturaliter callidus et astutus.

Nec tamen putandum est quod diabolus serpentem, per quem tentaret, ex se sua sponte eligeret: sed cum decipere cuperet, non potuit, nisi per quod animal posse permissus est. Etsi enim nocendi voluntas ei inest a se, potestas tamen est a Deo: nec erat datum serpenti in eo statu, ut posset tangere hominem quovis pacto, aut laedere, sive interius in anima, sive exterius in corpore. Etsi enim propter altiorem multoque potentiorem naturam, vim multo potentiorem haberet, cui potentiae hominis corpus minime potuisset resistere, quamobrem vehementer eum laedere ac torquere potuisset, sicut nunc apparet in his, quos opprimit et miris miserabilibusque modis cruciat et vexat, etiam non permittente Deo ut noceret pro arbitrio suo ac rabie; cohibebatur tamen diabolus ne potestatem illam, quam a natura haberet, adversus illos exerceret. Quapropter non per vim hominem ad decipiendum adoritur, ut sibi consentiat, nec vires

Nonnisi divina permissione potuit satanas per serpentem tentare, quia nullam habebat in hominem innocentem potestatem;

et licet natura eminentior ac multo praestantior, nullam tamen vim illi inferre poterat.

32) Mt 10, 16.

inferiores intrinsecus movet, sive appetitum sensibilem motu illicito excitando, sive per vim phantasmatum intellectui illicitum quid proponendo, nil enim inordinatum viribus hominis inferioribus contingere poterat, nisi deordinata prius ratione; sed in sensibili serpentis specie exterius sensui obiecta praesentando, astutus insidiator hominem adorsus est, ita mulieri dicens:

Qui dixit ad mulierem : Cur praecepit vobis Deus, ut non comederetis ex[33] *omni ligno paradisi ?*

Hebraice: *Etiam quia dixit Deus : Non comedetis ex omni ligno horti.*

C h a l d a e u s P a r a p h r a s t e s : *In veritate quia dixit,* etc.

S e p t u a g i n t a vero: [Τί] ὅτι εἶπεν ὁ θεὸς: *Quid est quod dixit Deus ?*

Cur praecepit, etc. Variae lectiones et expositiones.

Nonnulli[34] illud אַף כִּי, exponunt: כל־שכן, *quanto magis.* R a b b i n u s S a l o m o n exponit[35] hoc: שמא, *quare, propter quod dixit vobis.* A b e n E z r a tamen inquit[36] quod « hoc docet quod locutus alia verba, et dixit in fine: קל וחומר, leve et grave, quia dixit vobis: Non comedetis, etc.; et non facit mentionem serpens nominis gloriosi et terribilis », scilicet τετραγράμματον[37], « quia non novit illud ». Hanc expositionem multi Hebraeorum receperunt[38].

Qui dixit, etc. Satanas locutus est sensibiliter, movens linguam serpentis, sicut loquitur per energumenos, et maxima astutia sermonem ducit cum muliere;

Nos vero ita exponimus. *Qui dixit ad mulierem :* sono articulato locutus est satan ad mulierem verbisque hebraicis movens linguam serpentis illius animalis, sicut et nunc quoque per fanaticos et energumenos loquitur. Sic est mulierem allocutus: *Cur praecepit vobis Deus ne comederetis ex omni ligno paradisi?* Dicunt multi Hebraeorum[39] et R a b b i n u s S a l o m o n[40], quod « vidit serpens eos comedentes de reliquis fructibus et magnificavit verba, quatenus responderent ei et veniret ad loquendum de ligno illo, sicut venit ex responsione mulieris ».

33) Vr. 1. Vulg.: *De omni ligno*, etc. 34) Cf. Aben Ezra op. cit. f. 5ª; David Kimchi op. cit. sub hac dictione; Pagnini op. cit. sub eadem dictione, col. 150. 35) Op. cit. f. 5ª. 36) Ibid. *Leve et grave;* sic loquuntur Hebraei quando argumentantur a minori ad maius. Cf. Io. Buxtorfius *De Abbreviaturis*, pag. 167. 37) Ms.: *Tetragrammaton*, et infra.
38) Cf. Munsterus, col. 110; Fagius, col. 112. 115. 129; Drusius, col 137. 39) Hoc refert Rab. Salomon op. cit. f. 5ª. 40) Ibid.

quae coepit incaute secum ipsa conferre de ratione prohibitionis,

Quam letale venenum serpens iste virulentissimus immisit his verbis in mentem mulieris! Etenim ad haec verba coepit secum mulier, tacite de illo praecepto disquirens, cogitare rationem, quaerens curnam Deus illis vetuerit ne de ligni illius fructibus vescerentur. Rem valde periculosam quae et facile ad peccatum trahit. Nam animus suapte natura libertatis cupidus, considerans se praecepto astrictum esse, repugnat; et sic mandati rationem inquirens eamque nesciens mulier invenire, quam serpenti redderet, cum mandatum illud eius generis esset cuius nulla aut ratio aut utilitas appareret, sed nudum mandantis beneplacitum: coepit neque iure neque ratione id praeceptum esse cogitare, et displicere sibi mandatum, cuius nec rationem inveniret, nec utilitatem perspiceret, animi etiam libertate refragante. Vere serpens, qui suo hiatu tale venenum immisit: *Cur praecepit vobis Deus?* Et quo facilius praecepti illius transgressionem persuaderet, elegit prius solam mulierem, quam pervertere aggrederetur, de qua certius sperabat victoriam ut minus firmam et robustam: postea usurus ea victa ad virum commodius superandum. Quoniam autem mendax ipse est ac pater mendacii, id opus aggressurus a mendacio incipit, dicens: *Cur praecepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi?* Deus enim dixerat: *De omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas* [41].

et nullam inveniens causam et utilitatem, grave sensit et durum suae libertati hoc praeceptum.

Callidus serpens prius mulierem, utpote debiliorem, aggreditur; qua victa et virum facilius victum iri sperabat.

Sed Litteram Hebraicam videamus et oculatius introspiciamus: forte enim aliquid secretius nobis demonstrabit. Sic enim habet, ut diximus: *Etiam quia dixit Deus: Non comedetis de omni ligno horti.* Manifeste autem haec littera docere videtur serpentem aliquid praelocutum fuisse: non enim consentaneum quoquo pacto est id fuisse verborum initium; dictio enim [כִּי], *quia,* eorum, quae prius dicta sunt, rationem reddit. Demonstrat ergo Scriptura praelocutum fuisse serpentem ad mulierem haec vel similia verba: Non amat vos Deus nec vos plurimi facit: sed odio habet vos ac contemnit, tametsi sitis cunctis aliis creaturis nobiliores, cum non collocaverit vos in amplissimo gradu dignitatis, ut par est et convenit excellentiae ac naturae vestrae dignitati. Quae verba cum miraretur mulier nec omnino admitteret, tunc ipse dicti rationem

A mendacio incipit et in versutia sua progreditur, insinuando Dei sic praecipientis severitatem;

41) Gn 2, 16. Vulg.: *Ex omni ligno.*

afferens, ait: *Etiam quia dixit vobis ne comederetis de omni ligno paradisi*, certe deprehendo verum esse quod iam tibi dixi. Vel, ut Chaldaeus Paraphrastes habet: *In veritate sic est, quia prohibuit ne de omni ligno paradisi vesceremini*, eripiens vobis libertatem natura vobis debitam, cum excellenti atque ingenuo animo praediti sitis.

« Haec additio non debet cuipiam alienum aut minus conveniens videri, tum quia ipsa dictio: אף, semper aliquid addit super illud quod dicitur, tum quia mos Sacrae Scripturae est ut ex fine verborum faciat eorum principia intelligere; ut de exploratoribus etiam, quos misit Iosue, videre est, qui » ad mulierem illam « dixerunt: *Quia dedit Dominus in manu nostra omnem terram, et etiam dissoluti sunt omnes habitatores terrae a facie nostra* [42]. Non est enim rectum quod hoc fuerit [initium] verborum », quae illi locuti sunt, quia dictio: כי, reddit rationem eorum, quae prius dixerant; « verum Scriptura ex fine notum facit principium » [43].

extenuando etiam vim divini praecepti et subticendo nomen Dei tremendum, ne mulier timore afficeretur.

Subdole etiam versipellis et callidissimus serpens iste vim praecepti extenuavit; non enim dixit: *Etiam quia praecepit Deus*, sed: *Quia dixit:* dixisse illum ait, non praecepisse. Nomen etiam illud gloriosum ac tremendum subticuit, τετραγράμματον; non enim dixit: *Dominus Deus*, sed dixit: *Deus*, tum ne eius nominis sanctissimi prolatione cogitationem debiti timoris iniiceret, tum etiam ne ipsemet videretur eius, quod quaesierat, rationem eis attulisse. Nam, si Deus Dominus noster est, respondere utique potuissent, recte potest id nobis praecipere, ut in hoc mandato suam ostenderet dominationem nostramque exigeret subiectionem: quem nos ut Dominum colere eiusque iussa servare conveniens omnino est, cum noster sit Dominus possitque sua voluntate iustissime id nobis prohibere nobisque illud, etsi natura bonum, suo tamen praecepto prohibens, malum facere; non quod suapte natura malum sit, sed quia prohibitum. Utinam autem sic mulier respondisset, sicut simplex et minus instructa, eius verbis decepta imprudenter etiam respondit !

42) Ios 2, 24. Ex hebraico.

43) Evidenter S. Auctor hanc interpretationem dictionis: אף et sequentem expositionem, quae in codicis margine adiecta invenitur, ex David Kimchi op. cit. sub eadem dictione, et etiam ex Pagnini op. cit. col. 150, ad litteram desumpsit, nisi quod adducit exploratores mulieri loquentes, dum in loco citato exploratores sic Iosue alloquuntur.

Vrr. 2-3 *Cui respondit mulier: De fructu lignorum, quae sunt in paradiso, vescimur; de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, praecepit nobis Deus ne comederemus et ne tangeremus illud, ne forte moriamur.*

Hebraicus Textus: *Dixit autem mulier ad serpentem: De fructu ligni horti comedimus, de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, dixit Deus: Non comedetis ex eo, nec tangetis illud, ne forte moriamini.*

Chaldaeus Interpres ita habet omnino; illud tamen *non tangetis*, vertit: *Et non appropinquetis illi, ne forte moriamini.*

Cui respondit mulier, etc. Mulier, respondendo insinuationi serpentis, vim divini praecepti in suo spiritu iam infirmatam demonstrat.

Vere ostendit sua hac responsione mulier se versipellis callidique serpentis venenatis colloquiis aures et assensum praebuisse. Mentis enim quadam elatione mota ex verbis mortiferi serpentis, displicuit se liberae conditionis naturamque omnibus lignis excellentiorem ligni a Deo vetiti astrictam esse mandato; quapropter divinae potestatis atque dominii propemodum oblita, respondens serpenti, quem contemnere potius oportebat, nec Deum iure Dominum suum ac quaecumque vellet sibi merito imperari potentem agnoscit. *Deus*, inquit, non: *Dominus Deus;* nec: *Dei mandatum*, quod sibi impositum erat, sed: *dictum;* iuxta serpentis persuasionem credidit; ait enim, iuxta Veritatem Hebraicam: *Deus dixit*, non: *praecepit.* Tunc ostendens illud sibi displicere tanquam valde durum, nec iure aut ratione iussum, aggravavit; inquit enim: *Et ne tangeremus illud:* quod certe Deus non iussit; gustum enim, non tactum vetuit; sed mulier ex praecepti displicentia de se apposuit. Quisquis enim impositum sibi iussum aliquod referens, quod non placet admodum, sed a quo magis exhorret, aggravare illud semper quaerit, ut ostendat nec aeque nec iure impositum. Nisi forte dicamus quod prohibendo Deus ne ederet, propter periculum videri poterat prohibuisse ne tangeret, tanquam id quod ad eius praecepti transgressionem conduceret. Id tamen in praecepto, quod illis inhibuit Deus, conspicue non videtur; sed mulier illud tanquam indebitum ac minus aequum aggravavit; quod inde etiam cerni potest, quod de eius transgressionis poena dubitavit, cum dixit: *Ne forte moriamur:* quod certe Deus absolute et non sub dubitationis discrimine dixit: *Quacumque hora comederis ex eo morte morieris*[44]. Ipsa vero quoniam praeceptum a Deo

Imo ipsum praeceptum exaggerans, indebite sibi impositum videtur reputare et de poena transgressionis dubitare.

44) Gn 2, 17. Vulg.: *Quocumque enim die*, loco: *Quacumque hora.*

acceptum, cum sibi ex diaboli suggestione displiceret, indebitum ac minus aequum reputavit: de eius quoque transgressionis poena iam decepta dubitavit. Quod ut vidit serpens, tunc subintulit:

Vrr. 4-5 *Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam... moriemini. Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii scientes bonum et malum.*

Hebraicus Textus: *Et dixit serpens ad mulierem: Non morte moriemini, quia scit Deus quod in die, qua comedetis ex eo, aperientur oculi vestri et eritis sicut dii scientes bonum et malum.*

Istud autem *sicut dii*, potest verti: *sicut Deus;* est enim eadem vox, quae supra dicta est: *scit enim Deus:* אלהים; quamvis vox ipsa ex vi idiomatis hebraici sit vox pluralis.

Chaldaeus Paraphrastes vero id vertit: *Apparet coram Domino quod in die, qua comedetis ex eo, aperientur oculi vestri et eritis quasi magni sapientes inter bonum et malum.*

***Eritis sicut dii*, etc. Variae interpretationes.**

Aben Ezra exponit [45]: *Eritis sicut angeli.* Rabbinus Salomon sic locum hunc exponit [46]: « Repellit usque: *Et non tangetis eum* [47]; et dixit ei: quemadmodum non est mors in tactu eius, ita nec in comestione est mors. *Scit enim Deus*, etc.: omnis artifex odit filios artis suae [48]. De ligno comedit et creavit mundum. Et vos eritis sicut dii creatores saeculorum ».

***Nequaquam moriemini*, etc. Diabolus mulierem non amplius firmiter Deo adhaerentem videns, plus audet, et veracitatem Dei minitantis aperte negat.**

Nos vero locum hunc ita exponimus. *Nequaquam moriemini.* Mendax iste ac mendacii pater, *qui cum mendacium loquitur, ex propriis loquitur* [49], per arma mendacii pergit, sicut et coepit, Deumque, qui summa ac prima veritas est omnisque veritatis auctor et origo, mendacem facit. Nam Deus homini, si lignum vetitum gustaret, certissime mortem comminatus est, dicens: *Quacumque... die comederis ex eo morte morieris.* Iste vero mendacissime ait: *Nequaquam morte moriemini:* ut enim mulierem ex eius responsione de subsecutura morte

45) Op. cit. f. 5ª. 46) Ibid. 47) *Repellit*, idest *impellit, incitat ut tangat fructum prohibitum*. Et sensus qui eruitur ex interpretatione contextus hebraici Rab. Salomonis est: postquam serpens audivit ex muliere Deum praecepisse ut neque arborem contingeret, mox eam ad contingendum impulit; cumque videret mulier se ad contactum arboris non statim mortuam esse, serpens dixit: quemadmodum mortua non es arborem contingendo, neque morieris de fructibus eius edendo. 48) Rab. Salomon ait serpentem his verbis Deum invidiae insimulare, proverbiale illud afferens, ad quod serpentem allusisse putat: כל אומן שונא את בני אומניתו, idest: omnis aritifex odit eos qui eiusdem sunt artificii. Quod, ut ait Fagius, convenit cum illo: invidet figulus figulo. Col. 116. 49) Io 8, 44.

dubitantem conspexit, statim ipsam nullo modo futuram asseruit. Deo etiam summo et infinito bono malignitatem invidiamque impegit, dicens: *Scit enim Deus quod quacumque die comederitis ex eo aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii scientes bonum et malum.* Invidet, inquit pessimus hic tentator, vobis Deus ne ea sciretis, quae tamen sunt scitu dignissima, eo modo quo ipse novit, ne in scientia ac sapientia dii ei similes essetis.

De ligno scientiae, etc. Arbor illa sic appellata est a Moyse ex eventu postea secuto, non quod antea sic appellaretur.

Sunt autem nobis impensius verba haec consideranda, ut clarius a nobis intelligantur simulque percipiamus quam mendaciter et fallaciter veteranus iste ac pessimus serpens locutus est. Primo autem praemonendum nobis videtur eam arborem, quae *scientiae boni et mali* dicitur, non ante eventum, quod quidem multis [50] placuit, sed post eventum sic esse vocatam. Nam etsi quando interdixit Deus eam arborem homini, legimus: *De ligno autem scientiae boni et mali ne comedas,* existimo tamen non iisdem verbis usum esse Deum praecipiendo, quibus usus est Propheta rem gestam narrando; sed aliqua alia nota signavit Deus lignum illud. Nam et mulier interroganti serpenti respondens, non dixit: *De ligno autem scientiae boni et mali;* sed: *De fructu ligni, quod est in medio paradisi, praecepit nobis Deus ne comederemus.* Propheta vero, iam re perpetrata, declaraturus quodnam esset lignum illud, istam notam, scilicet *scientiae boni et mali,* de suo interposuit. Etenim si nota hac usus fuisset Deus lignum illud insinuans, procul dubio, nota hac serpentis tentationem et mendacium adiuvasset.

Nec putandum est in ligno illo vim aliquam fuisse ad cognoscendum bonum et malum; sed mulier hoc credidit a tentatore decepta;

Nec etiam vis aliqua ad intelligendum erat in ligno illo, per quam potuisset bonum ac malum cognosci, unde vere potuisset arbor *scientiae boni et mali* nuncupari: cum corporalis omnino esset nec in spiritualem intellectum quid agere poterat. Sed mulier decepta a mendacibus verbis tentatoris, qui ex ligni vetiti comestione scientiam illi promittebat, credidit vim aliquam illi arbori ad intelligendum inesse. Cum enim ait serpens: *Aperientur oculi vestri:* non utique de corporeis oculis intelligendum est, cum utique apertos illos haberent, cum vigilarent; sed de oculis cordis, quos non fuisse apertos ad intel-

50) Rab. Nachmanides h. l.; Gioseffo Flavio *Delle Antichità Giudaiche*, lib. 1, cp. 2, f. 2ᵇ; Th. Malvenda *De Paradiso Voluptatis*, cp. 69, pag. 215; Fagius, col. 70. 103; cf. supra cp. 2, not. 98.

ligendum bonum et malum illis verbis indicavit. *Aperientur oculi vestri et eritis sicut dii :* non aequalitatem divinam his verbis promittit eis; non enim dicit: eritis dii: id enim manifeste falsum apparuisset et incredibile omnino, cum sit impossibile; sed in scientia ac sapientia quandam cum Deo similitudinem ex ligni comestione asserit eis proventuram. *Eritis sicut dii scientes bonum et malum:* non quod ipsi sapientes non fuerint et docti a Deo, per legem tum naturae tum gratiae in cognitione boni et mali: sed quia eiusmodi cognitio multo perfectior est in angelis et in Deo perfectissima, qui est summa veritas; et propter hoc diabolus curavit excitare in illis inordinatum appetitum scientiae eorum, qui altius scirent, perspicaciusque ac oculatius cuncta intelligerent ac penetrarent, etiam abditissima: *Eritis*, inquit, *sicut dii scientes bonum et malum.*

et quamvis multa scientia dotata, adhuc eminentiorem concupivit, ut Deo similis in cognitione esset.

Vocabulo usus est ambiguo: אלהים, quod vel ad ipsum Deum, vel ad angelos accommodari potest; et sic: *Eritis scientes bonum et malum,* ut Deus, vel ut angeli, vel certe, ut Chaldaeus Interpres verissime transtulit: *Eritis magni sapientes inter bonum et malum,* omnia tum bona tum mala sapientissime perquirentes. Vos, inquit, sortis vestrae contenti estis acceptisque bonis ac donis: cum tamen multa sint multo etiam potiora, ampliora ac excellentiora, quae nec habetis nec concupiscitis, eo quod non cognoscatis ea, nec sint mentis vestrae oculi aperti ad ea videndum et intelligendum; nec insuper mala cognoscitis, cum non percipiatis, quoniam invideat vobis Deus, nec valde amet aut plurimi faciat; nam multo maiora, potiora et ampliora potuit vobis donare, nec voluit. Invidet etiam quoniam noluit ut ea sciretis, quae sunt scitu dignissima, eo modo quo ipse et angeli norunt; nec communicare voluit quae nihil ipsius intererat retinere penitus; ac ne possitis vel ea bona ampliora cognoscere, quae vobis negavit et retinuit, vel ea mala, propter quae vobis ea negavit – invidiam scilicet et malignitatem ac malum animum in vos [habens], – prohibuit ne de fructu huius ligni comederetis, qui vim habet maximam ad bonum et malum intelligenda, sicuti ego etiam cognosco, qui ex eo comedi et vobis nunc, quae per talem esum cognovi, refero. Insuper malitiose ac falso, ne ex eo comedatis, mortem vobis comminatus est, ut vos exterreret; quod invide fecit, qui scit quod *quacumque die comederitis ex eo aperientur oculi vestri et eritis sicut* angeli ac intellectuales naturae, qui cuncta perspicacissime norunt, sicut et ego, *scientes bonum et*

***Eritis sicut dii, etc.* Diabolus, videns eam ab hoc appetitu iam seductam, magis satagit ad inobedientiam eam impellere,**

et Deum ipsum invidiae et malignitatis insimulat, illius fructus esum prohibentem;

malum. Nec verum omnino est quod, si ex eo comederitis, *morte moriemini*: nam et ego, qui supra lignum hoc ascendi, pluries ex eo comedi, sicut et nunc comedo – iuxta Hebraeorum sententiam [51], – nec tamen mortuus sum; sed per huius ligni esum maximam boni et mali scientiam adeptus sum, sicut me videtis habere. Ita nec vos per huiusmodi esum moriemini: sed boni et mali scientiam adipiscemini.

et sic mulieris animum contra Deum irritat et ad spernendam divinam voluntatem incitat.

Haec sunt verba quae pessimus ille tentator et callidus serpens, mendacissimus semper, ad mulierem dixit; quibus vehementer mulieris animus exarsit ad illud sublimioris scientiae genus appetendum. Credidit enim serpentinis verbis, unde sequitur:

Vr. 6 *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum et pulcrum oculis aspectuque delectabile et tulit de fructu illius et comedit deditque viro suo, qui comedit.*

Textus Hebraicus: *Et vidit mulier quoniam bonum est lignum ad comedendum et quoniam desiderabile ipsum oculis et concupiscibile ad intelligendum, et tulit de fructu eius et comedit et dedit etiam viro suo secum et comedit.*

Chaldaeus Interpres ita omnino habet: *Et concupiscibile ad intelligendum et dedit etiam viro suo secum.*

Septuaginta etiam: Καὶ ὡραῖόν ἐστι τοῦ κατανοῆσαι: *Et pulcra arbor esset ad intelligendum*, vel *sapiendum*.

Vidit igitur mulier. Expositio Rab. Salomonis.

Rabbinus Salomon ita locum hunc exponit [52]: «*Et vidit mulier*: vidit verba serpentis et placuerunt ei et credidit ei, quod esset bonum ut essent sicut dii, et quoniam *desiderabile oculis*, quemadmodum dixerat ei: *Et aperientur oculi vestri; et concupiscibile ad intelligendum*, sicut dixerat ei: *Scientes bonum et malum*».

et Aben Ezrae.

Aben Ezra vero inquit [53]: «*Vidit mulier* in corde suo et concupiscibile lignum propter intelligentiam et revelationem oculorum. Sensus autem: *secum*, est quod comederunt simul et revelavit ei secretum serpentis. Et ecce non fuit Adam ignorans, et propterea damnatus est. Et multi dicunt quod *lignum scientiae* fuit ficus, propterea quod inveniunt: *Et consuerunt folia ficus*: et si fuit sic, fuisset Scriptura dicens: *Et consuerunt folia ligni scientiae*. Etiam multi dicunt quod

51) *Abot de-Rabbi Nathan*, I, 4; Rab. Abrabanel op. cit. f. 31b. 52) Op. cit. f. 5a.
53) Ibid.

fuit frumentum. Et est rectum in oculis meis, quod duo ligna in medio horti Eden non sunt in loco alio super omnem terram, et unum lignum scientiae fuit generans concupiscentiam coitus; propterea operuerunt se Adam et uxor eius ».

Quod bonum esset lignum, etc. Arbor illa natura sua bona quidem erat ad vescendum, mala autem ob Dei prohibitionem;

Nos vero ita exponimus. *Vidit igitur mulier,* non solum corporeis oculis, sed etiam naturali quodam instinctu, quo coniectamus cibos e terra prodeuntes nostrae esse convenientes naturae et complexioni, quod ceteris etiam animalibus datum novimus, *lignum quod esset bonum ad vescendum;* natura quippe non mala erat arbor illa, sed utique bona: mala autem homini fuit quatenus prohibita a Deo, non quod eam Deus sua bonitate ac naturali suavitate destituerit. Nam vere utique ad vescendum suavis erat, a qua non deberet abstinere homo, nisi ob praecipientis Dei agnoscendum supra se dominium ac potestatem, et ob meram Dei voluntatem; a qua si non abstineret, arbor illa, quae natura bona erat, fieret homini in malum ob suam culpam. Erat insuper lignum illud *pulcrum oculis:* siquidem in cibo et potu delectatur homo, nedum suavitate propter gustum, sed etiam pulcritudine propter aspectum. Sed insuper *aspectu delectabile,* vel, iuxta Veritatem Hebraicam, *concupiscibile ad intelligendum;* id autem non vere, sed iuxta mulieris existimationem dicitur, quae serpentinis verbis decepta, id de arbore illa putabat sibique ipsi formabat ut verum. A fructus etiam suavitate aspectusque pulcritudine illius arboris, verum id sibi persuasit esse quod ei serpens dixerat.

et cum pulcherrima esset visui, existimavit mulier iam seducta, etiam ad intelligendum concupiscibilem esse;

Ea est concupiscentiae vis tantaeque est energiae, ut ea abstracta et supra rationis limites illecta mulier, vanas sibi species finxerit sibique ipsi praedicarit et crediderit, et quae iniussum sibi a Deo dixerat ne fructum eius arboris tangeret, nedum tetigit, sed accepit, hoc est ex arbore illa excerpsit, *et comedit,* Dei praeceptum transgrediendo, virumque suum ad comedendum induxit: *Deditque viro suo,* postquam ipsa comedit; viro enim persuasit et instigavit porrexitque ut comederet. *Qui comedit,* non quod verbis tentatoris crediderit verumque illum dixisse putarit, aut deceptus a daemone sit: teste enim Apostolo[54], non vir deceptus fuit, sed mulier; sed mulieri persuadenti ac porrigenti ut comederet, prae nimio amore

et ideo *comedit deditque viro suo,* sicque praeceptum Dei violavit et ad peccatum virum quoque suum induxit.

Adam bene noverat tentatoris malignitatem; sed nolens uxorem contristare, de fructu vetito et ipse comedit.

54) Cf. 1 Tim 2, 14.

obsistere non valens, ne eam contristaret sineretque a se abire non voti compotem, et ipse *comedit.*

Vr. 7 *Et aperti sunt oculi amborum. Cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus et fecerunt sibi perizomata.*

T e x t u s H e b r a i c u s : *Et aperti sunt oculi amborum et cognoverunt quoniam nudi essent, et consuerunt folium ficus et fecerunt sibi subcinctoria.*

Et aperti sunt oculi, etc. Expositiones Rab. Aben Ezrae

R a b b i n u s A b r a h a m A b e n E z r a inquit[55] quod « expositio יתפרן, est nota, et ita est: *Saccum consui super cutem meam*[56] *:* quaerentes subligacula a rebus futilibus, quoniam in ligno subtili fecerunt necessarium sibi. Et postquam comedit Adam de ligno scientiae, cognovit uxorem suam ; et haec scientia est pronomen coitus, et propterea *lignum scientiae* vocatur. Sic etiam adolescens, postquam novit bonum et malum, incipit desiderare coitum. *Lignum* autem *vitae,* quia addit vitam, et vixit Adam annis multis. Et non est dictio עולם, idem quod: עד־עולם ועד[57]; et ecce ita: *Et servient* לעולם*, in saeculum*[58]. *Et habitavit ibi in saeculum*[59]*:* et multa alia[60]. Et expositores dicunt in versu: *Quoniam quacumque die comederis ex eo morte morieris:* quod non est creatus in dispositione ut moreretur; sed cum peccavit, sententiata est super eum mors. Et multi quaerunt quid peccavit semen eius. Et haec sunt verba vana, quoniam spiritus unus est homini et iumento, qui vivit et fremit in saeculo isto; et sicut est mors huius, ita et mors istius; praeter partem superiorem, quae est in homine, qua excedit iumenta. Et iam venit quidam medicus excitans rationes seu demonstrationes a priori, quod non est conveniens quod non terminasset Adam vitam ».

et Salomonis.

R a b b i n u s S a l o m o n[61]: « *Et aperti sunt oculi eorum :* propter sapientiam loquitur Scriptura, et non propter visum proprie: et finis capituli probat. *Et cognoverunt quoniam nudi* ipsi:

55) Op. cit. f. 5ª. 56) Iob 16, 16. 57) Idest hac voce: עולם, *in saeculum,* quae usurpatur infra, vr. 22: *Et vivat* לְעֹלָם, *in aeternum,* significat hic temporis diuturnitatem cum termino; non perpetuitatem, vel aeternitatem, seu, ut dicitur: עד־לעולם ועד, *usque in saeculum et ultra,* sicut Ex 15, 18; *Dominus regnabit* לְעֹלָם וָעֶד, *in aeternum et ultra*; Ps 9 (hebr. 10), 16: *Dominus regnabit* עוֹלָם וָעֶד, *in aeternum et in saeculum saeculi*; Dn 12, 3: *Quasi stellae* לְעוֹלָם וָעֶד, *in perpetuas aeternitates.* 58) Cf. Ex 21, 6. 59) 1 Rg 1, 22. Ex hebraico. 60) Cf. Gn 17, 8. 13; Ex 29, 28; Nm 18, 11; 2 Par 6, 8; Eccle 2, 16; Ez 37, 25. 61) Op. cit. f. 5ª.

etiam caecus cognoscit quemadmodum nudus est. Sed quid est: *Et cognoverunt quoniam nudi essent?* Praeceptum unum fuit in manu eorum, et nudati sunt fide seu fidelitate ».

Nos vero ita exponimus. *Et aperti sunt oculi eorum:* non de corporeis oculis intelligendum id est, sed de oculis mentis, qui clausi erant, ne Dei dona cognoscerent, et praecipue excellens illud donum iustitiae originalis, quo fiebat ut, cum nudi essent, non erubescerent, illius decore decorati. Qua tamen per divini praecepti transgressionem sublata, statim *cognoverunt se esse nudos,* et vehementer erubuerunt. Tunc enim nudi erant, sed nudos se non cognoscebant; siquidem qui nudus est nudumque se esse cognoscit, erubescit. Cum igitur non erubescerent, nudi quidem erant, sed hoc non cognoscebant: nudi quidem corpore erant, sed non ad erubescentiam; nuditas enim illa propter illam iustitiam non efficiebat effectum suum, praebens indecorum spectaculum, cum per iustitiam illam petulantia carnis cohiberetur, ne effrenis libido vigeret in membris. Eo tamen dono perdito, statim coepit caro spiritui recalcitrare ac contra eum concupiscere et lex membrorum legi mentis repugnare [61a], coepitque concupiscentia prava in membris vigere et illicitos perniciososque motus vehementer exagitare; unde rubore maximo ac confusione suffusi sunt, utque verenda membra, quae verenda prius non erant, operirent, *consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata,* idest *subcinctoria.* Confusionem enim ac nuditatis illius ruborem experiri vehementer coeperunt, quam non experiebantur prius, nec cognoscebant quid rubor ac verecundia esset; quam cum per peccatum cognovissent, ut verenda contegerent *consuerunt,* forte iunco aliquo aut simili, *folia ficus.* Quam ineptum remedium sibi miseri adhibuerunt! Sed id mera necessitate pro tempore fecerunt, cum tunc aliud in promptu non se offerret.

Et aperti sunt, etc. Peccato commisso et originali iustitia perdita.

statim concupiscentia coepit in membris vigere.

ideo nuditatem suam cognoscentes erubuerunt et, quo modo potuerunt, seipsos contexerunt.

Ut autem quae dicuntur hic melius intelligantur, sunt nobis aliqua exaranda. Et quidem primo: iustitiam illam originalem non fuisse homini naturalem, neque ea quae ipsam consequebantur dona quaeque cum ipsa deperdita sunt. Neque enim naturalia dici possunt quae non veniunt a principiis naturae, sed ex gratuito Dei beneficio eiusque provisione externa. Unde aliquo modo erant supernaturalia

Notandum est primo: iustitia originalis et dona illam concomitantia non erant homini naturalia, sed ex gratuito Dei beneficio.

61a) Cf. Rom 7, 23.

respectu corporis, quanquam respectu animae innocentis et inculpabilis, cui nulla debebatur poena iniuste infligi, aliquo modo deposcebantur ex naturae excellentia ac dignitate, quae hanc iniquam corporis copulam bene componerent cum tali anima, ne eousque miseranda contritio et infelicitas in tanta creatura ob istas duas naturas sibi invicem adversantes, mortalis videlicet corporis et immortalis animae inveniretur; ne corruptibile corpus animam aggravaret [62], ac per ea dona esset corpus animae subditum et vires inferiores rationi.

Attamen quodammodo deposcebantur ex animae innocentis conditione et ex naturae humanae excellentia, praesertim in primo homine,

Quare debebantur quodammodo dona illa naturae: praecipue tamen ac principaliter in illo primo parente, qui primus erat huius naturae susceptor et propagator; nobis vero secundario potius et in ipso ac per ipsum, qui omnes ab uno illo derivamus. Iustitia ergo originalis et quaecumque ipsam consequebantur humanae naturae secundum quandam rationem in illo primo homine debebantur. Cum autem per illum hominem omnes posteri naturam accepturi essent, congruum omnino fuit ut et illa bona, quae naturam quodammodo consequebantur ad reddendum illam perfectam et integram, per illum posteri acciperent. Quare his donis exornatus primus homo fuit, eaque accepit a Deo et pro sua universa posteritate, ut omnes ab eo propagati natura, veluti quadam hereditaria successione donis illis potirentur.

a quo omnes posteri hereditaria successione eadem dona accipere debebant.

Secundo, considerandum est quod, cum supradicta dona non essent naturalia, sicut quae a principiis naturae veniunt, sed ex gratuito Dei beneficio tanquam naturae convenientia benigne ab eo elargita, cuius *perfecta sunt opera* [62a] et qui super omnia pius est et misericors ac bonus, bonum sane nec aequum erat sine aliquo gratitudinis merito nobis conferri. Eapropter statuit cum primo homine pactum, ut per obedientiam alicuius praecepti divini a libera Dei voluntate procedentis, ac subiectionem recognoscendae divinae potestatis ac dominationis exposcentis, ea sibi ac nobis homo ille servaret. Statuit autem pactum huiusmodi cum homine Deus, cum ei mandatum illud inhibuit, dicens: *De ligno... scientiae boni et mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo morte morieris.*

Secundo: cum essent dona illa ex pura liberalitate Dei, aequum erat ut homo aliquo modo monstraret se illa mereri tam sibi quam successoribus suis.

Hinc divinum praeceptum,

Cuius legis ac pacti expressio rigorose consideranda est et iuxta tenorem verborum, cum huiusmodi pacta et statuta suapte natura

quod primo et principaliter

62) Cf. Sap 9, 15. 62a) Dt 32, 4.

sint stricti iuris. Et primo quidem: quoniam dona illa principaliter in primo illo viro naturae humanae in posteris servabantur, propterea cum homine illo principaliter pactum init eique praecipue praecipit, dicens: *Ne comedas.* Quamvis per illum mulieri quoque praeceptum hoc iniussum sit, quoniam vero cum viro principaliter initum est, hinc est quod, si sola mulier pactum illud fregisset praeceptumque transgressa fuisset, non fuissent illi nec naturae humanae subtracta collata dona; sed solum ipsa gratiam amisisset, illud scilicet coeleste donum, quod animam Deo gratam et amicam reddit et cum crimine convenire non potest. E converso autem si solus Adam peccasset, illa praevaricatio etiam Evae coniugi et universis posteris obfuisset, quoniam cuncta dona amisissent; sicut vere propter solum Adae peccatum amisimus.

datur primo homini, cui dona illa principaliter data fuerunt, tanquam primo principio generis humani.

Nec tamen putandum est propter quodcunque Adae peccatum obnoxium fuisse humanum genus ut ea dona perderet, sed propter illam solam comestionem. Peccavit enim antequam comederet interiori actu praebendo consensum ut praeceptum transgrederetur: elationis etiam ac superbiae peccato; et nihilominus non cognovit se esse nudum, quia non fuit spoliatus iustitia illa originali, nisi postquam comedit, iuxta verbum Domini Dei: *In quocumque die comederis.* Non enim inquit: *In quocumque die* peccaveris *morte morieris:* sed: *In quocumque die comederis;* nec utique erubescentiam senserunt, nisi postquam uterque comedit.

Non ob quodcunque peccatum dona illa Adam amissurus erat, sed tantum ob transgressionem huius praecepti.

Tertio: considerandum maxime est primariae illius transgressionis effectum, ipsam videlicet iustitiae originalis ac consequentium donorum spoliationem consequentemque erubescentiam, non ex vi aut illius cibi vel comestionis natura fuisse; alioqui ipsa mulier, quae prius comedit, sensisset erubescentiam illam seque nudam cognovisset; non sensit autem nisi post comestionem Adae. Ergo non ex natura fructus illud contigit; sed ex vi illius pacti, quod statuerat Dominus Deus cum homine, ut quamprimum pactum illud fregisset praeceptumque transgressus fuisset, pro se et pro universa sua posteritate universa dona illa amitteret.

Tertio: amissio iustitiae originalis evenit ex violatione pacti, quod Deus cum homine statuerat,

Ex ea etiam lege et pacto, quod inter Deum et Adam intercessit, eventum est ut eo delicto et praevaricatione universum genus humanum labefactaretur. Siquidem illa dona eo pacto accepit a Deo, ut per illius praecepti observantiam ea sibi perpetuo et nobis

tanquam auctore et capite generis humani;

ideo totum humanum genus cum illo et in illo praevaricatum est.

servaret; per transgressionem vero et sibi et nobis irrecuperabiliter amitteret, maximo suo et nostrum damno, cum reatu etiam ad perpetuam damni poenam, cui universum genus humanum obnoxium semper fuit ex vi propagationis et generationis. Nec aliunde nisi ab ea lege is reatus advenit nobis Adae filiis; quemadmodum quod ex adulterio natus a sua nativitate sit irregularis, non aliunde id nisi a lege id statuente venit. Convenientissimum tamen fuit ut quemadmodum per primum hominem nos ea dona quodammodo naturae debita accepissemus, si praeceptum servasset, ita et per illum ea amitteremus, cum illud transgressus sit; ac sicut per illum filii gratiae et omni dono ac divino munere ornati nasceremur, ita nunc quoque per illum *filii irae*[63] et omni bono spoliati nascamur.

ex vi illius pacti quo Adam transmissurus erat tum iustitiam originalem tum reatum et reatus poenas.

Sicut autem[64] iustitiae originalis donum in eo vel maxime manifestabatur quod, cum nudi essent, *non erubescebant;* ita nunc quoque per praecepti transgressionem manifeste cognoscitur ablatum; quia cum lignum illud comedissent, statim *aperti sunt eorum oculi* et cognoverunt *se esse nudos,* quod ante non cognoscebant, vel potius nuditatis confusionem et erubescentiam non cognoscebant: et ad hanc cognoscendam *aperti sunt eorum oculi,* quia prius agnoscebant quidem se esse nudos, non tamen erubescebant; nunc autem erubuerunt *et consuerunt folia ficus,* ut verenda operirent, ne tanta confusione et erubescentia suffunderentur.

Vr. 8 *Et, cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam et uxor eius a facie Domini Dei in medio ligni paradisi.*

Textus Hebraicus: *Et audierunt vocem Domini Dei ambulantis in horto ad ventum diei, et abscondit se Adam et uxor eius a facie Domini Dei in medio ligni paradisi.*

Chaldaeus Paraphrastes vertit: *Ad quietem diei;* Septuaginta: *Circa vesperum;* Hebraeorum nonnulli[65]: *Ad respirationem diei.*

Hunc locum diversimode interpretantur Hebraeorum doctores. Aben Ezra hanc deambulationem voci Dei tribuit[66],

63) Eph 2, 3. 64) Ms.: *Autem* repetitur. 65) Cf. Aben Ezra op. cit. f. 5ª; Nachmanides h. l. 66) Op. cit. f. 5ª.

Ad auram post meridiem, etc. Expositio huius versus iuxta Rabbinos Aben Ezram, Salomonem, Ionam et David Kimchi.

sicut dicitur: *Vox eius sicut serpens ambulabit*[67]; et: *Vox buccinae ambulans*[68], etc. Idem etiam refert dixisse Rabbinum Ionam quod Adam ipse ambulabat per hortum. Rabbinus Salomon vero ad Deum refert[69], qui ambulabat in horto. Idem etiam illud *ad ventum diei*, exponit ut sit ventus, quia sol occubuerat inde. Rabbinus Iona[70]: *Ad respirationem diei*, idest tempore quo est respiratio et refrigerium diei, idest refrigerium aeris. Rabbinus D. Kimchi inquit[71] quod potest etiam exponi: ad ventum flantem, idest tempore quo declinat dies, quo flat ventus.

Et cum audissent, etc. Hae Dei tum deambulatio tum locutio, non materialiter intelligendae sunt,

Nos vero ita exponimus. *Et cum audissent vocem Domini Dei.* Non est putandum secundum Divinitatem, quae hic de Domino Deo dicuntur, debere intelligi. Deus enim neque corpus habet, ut inde per organa et instrumenta articulatum vocis sonum emittat, ut quod dicit a nobis intelligi possit; nec etiam pedes habet, quibus ambulet corpusque ex loco in locum perducat; nec loco continetur, ut deambulans sit modo ubi non erat prius, qui omnem locum continet et implet, ut nusquam non adsit illius praesentia. Ista ergo Dei tum locutio tum ambulatio, non secundum formam deitatis intelligenda sunt, sed in aliqua similitudine creata Deum repraesentante credibile omnino est factam fuisse et in ea per angelum ipsi homini locutum fuisse Deum; quemadmodum et Abrahae[72] et Moysi[73] multisque[74] aliis legimus et apparuisse et locutum esse. In ea ergo forma ac similitudine ambulans Deus per paradisum *ad auram post meridiem*, locutus est homini per angelum quidem sensibiliter et externe articulata voce in corpore assumpto: per seipsum autem locutum esse intus in mente per internam inspirationem.

sed Deum sub aliqua forma per angelum apparuisse et locutum fuisse.

Post meridiem venit Deus, quia ea hora,

Venit autem ad eos Deus *ad auram post meridiem*, quod levem ventum significat, qui, inclinato sole, consuevit dulciter spirare ad

67) Ier 46, 22. Ex hebraico. 68) Ex 19, 16. Ex hebraico. 69) Op. cit. f. 5ª: « *Ad ventum diei*, idest ad eum ventum, unde sol occidit, qui est occidentalis ». Addit autem quod Adam et Eva סרחו בעשירית, se rebellarunt hora decima, idest duabus horis ante occasum solis. 70) Apud Aben Ezram op. cit. f. 5ª; et Pagnini op. cit. sub voce: רוּחַ, col. 2654.

71) Op. cit. sub voce: רוח. Ait etiam quod dictio: *Ambulantem*, referri potest tum ad ventum cum ad vocem. 72) Cf. Gn 13, 14-15, 1 sqq.; 17, 1-18, 1 sqq. 73) Cf. Ex 3, 2-4, 1 sqq.; 6, 1-7, 1 sqq. 74) Cf. Gn 16, 1 sqq.; Ios 1, 1 sqq.; 3, 7 sqq.; Idc 2, 1 sqq.; 6, 12; 2 Rg 24, 16; 1 Par 21, 18; Iob 3, 25 sqq.

qua primus Adam peccavit, secundus Adam in cruce sublatus est.

recreandum ab aestu; unde recte in hebraeo habetur: *Ad ventum diei*, seu *ad respirationem diei*, qui, quia inclinante iam die fieri consuevit, propterea Chaldaeus Interpres *ad quietem diei* vertit, Septuaginta vero, *ad vesperum*, sive *circa vesperum*. Nam circa meridiem volunt quidam[75] commissum fuisse ab Adam peccatum, quo etiam tempore, ut illud auferret, sublatus est Christus in crucem. Venit ergo ad illos Deus circa vesperum et inclinationem diei, quibus iam sol gratiae et divini luminis occubuerat et iam in peccati et miserandae confusionis tenebris erant. Venit autem cum placido vento, quia non in furore et vindicta, sed cogitans *cogitationes pacis*[76], ut eos e peccati tenebris erueret lumenque divinum et gratiam perditam daret.

Quem venientem sentientes, Adam et uxor eius se absconderunt.

At vero quoniam conscientia laesa facit hominem timidum, sentiens Adam adventum eius, quem se noverat graviter offendisse, *abscondit se Adam et uxor eius a facie Domini Dei in medio ligni paradisi;* quod non de vera Dei facie intelligendum est, a qua nemo se potest abscondere: sed ab ea utique facie illius similitudinis, in qua ei Deus consueverat apparere et per angelum loqui. Ab eo enim, cuius sentiebant adventum, fugientes, se abscondebant. Probabilissime tamen crediderim in ea forma homini apparuisse, cum spiritu illo levi ac placido, in qua misericors ac clementissimus venturus erat, ut hominem redimeret ac salvaret. Ipsi vero Dei vocem extrinsecus audientes, qua eos vocabat, ipsumque Deum intrinsecus in ipsorum conscientia sentientes, qui eos reprehendebat et ob oculos merita supplicia ostendebat provocabatque ad poenitentiam salutarem, ut ab eo misericordiam implorantes obtinerent, *in medio ligni* se absconderunt, idest inter medias arbores densaque nemora paradisi, eum subterfugere quaerentes, qui sensibiliter ad eos veniebat. Clementissimus vero Deus eos prosequitur, *misericordia motus*[77] super eos:

Vrr. 9-10 *Vocavitque Dominus Deus Adam et dixit ei: Ubi es? Qui ait: Vocem tuam,* Domine, *audivi in paradiso et timui, eo*[78] *quod nudus essem et abscondi me.*

75) Cf. S. Irenaeus *Contra Haereses*, lib. 5, cp. 23, (P. G. 7, 1185); Cosmas *Topographia Christiana*, lib. 2, ibid. 88, 123; Moses Bar-Cepha *De Paradiso*, part. 1, cp. 28, ibid. 111, 579; S. Beda *Hexaem.*, lib. 1, (P. L. 91, 50); Rabanus Maurus *Comment. in Gen.*, lib. 1, cp. 16, ibid. 107, 492; Strabus *Glossa Ord. in Gen.*, ibid. 113, 93; Angelomus *Comment. in Gen.*, ibid. 115, 138; Rab. Salomon ut supra not. 69. 76) Ier 29, 11. 77) Lc 7, 13.
78) Pronomen: *Eo*, in *Bibl. Sacr.* Nova Editione A. Gramatica non invenitur.

Textus Hebraicus: *Et vocavit Dominus Deus Adam et dixit ei: Ubi tu?* etc.

Videns clementissimus Deus hominem praecipitem ruisse peccato, cupiensque illum e peccato suo educere, illum alloquitur, dicens: Adam, *ubi es?* Non ex ignorantia quaerit Deus, quasi ubi erat nesciret, cui sunt cuncta praesentia; sed ut Adam ipse consideraret ubi esset, in quo statu in quamve se coniecisset conditionem, in quam miseram sortem se praecipitem cum tota familia et posteritate sua dediderat, et ita ad poenitentiam provocaretur, culpamque agnosceret et confiteretur humiliter, ac ut ex eius responsione illum peccati sui argueret. Adam, *ubi es? Ubi* es *tu*, cuius memor ego, ex infinita bonitate mea, natura tam excellentem ac prope divinum creavi: quem visitans maximis donis ac muneribus ditavi et exornavi: quem ego *paulo minus ab angelis*, et quid dico ab angelis? – cum eorum sodalem ac concivem creaverim, – a Deo paulo minus minui et super omnia opera manuum mearum constitui: cuius pedibus universa subieci, *oves et boves universas, insuper et pecora campi, volucres coeli et pisces maris, qui perambulant semitas maris:* quem ego *gloria et honore*[79] coronavi ac nullius alius praeter me ditioni subegi. Adam, *ubi tu?* Quomodo cum in honore esses non intellexisti, sed antiqui serpentis Luciferi ditioni te subiecisti? Ubi sunt maxima dona, quibus te exornavi? Quis te omnibus illis bonis expoliavit, quae tibi ego ex mea benignitate donaveram? Quomodo te iumentis comparasti *et similis factus* es *illis?*[80] Adam, *ubi es?*

Vocavitque Dominus, Adam, etc. Eos tamen Deus misericors prosequitur, cupiens e peccato educere, et ad poenitentiam provocare.

Deus enim Adam ante faciem suam vocans, ad confessionem culpae eum adducere vult.

Videtur mihi his verbis citare hominem Deus, ut praesens compareret et facti rationem redderet, ut in hoc iudicii ratio admoneatur, quae non debet in criminosum ferre sententiam, nisi fuerit prius legitime citatus, interrogatus et convictus. Homo autem, facti rationem praestare non valens, summovit se et abscondit coactusque respondere, nesciens quo se verteret, dixit: *Vocem tuam*, Domine, *audivi . . . et timui, eo quod nudus essem.* Non recte verborum Domini sensum percepit. Interrogavit enim illum Deus ubi esset, non ignorans, sed ut per hoc statum suum agnosceret homo et erratum humiliter confiteretur veniamque exposceret. Ipse vero de loco interrogatum se autumat responditque se inter medias arbores latere, inter quas

Vocem tuam audivi, etc. Id Adam non intelligens, ob ruborem suae nuditatis se abscondisse respondit.

79) Ps 8, 6-9. 80) Ps 48, 13. 21.

suam nuditatem, quoquomodo posset, operiret, ne cum maximo suae nuditatis rubore coram Deo astaret.

Vr. 11 *Cui dixit* Dominus: *Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod de ligno, ex*[81] *quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti ?*

Textus Hebraicus: *Quis indicavit tibi quod nudus tu ? Nunquid ex ligno, quod praeceperam tibi ut non comederes ex eo, comedisti ?*

Quis enim indicavit, tibi, etc. Non exprobrans nec asseverans, sed quasi indagans et quaerens prosequitur Deus.

Adhuc videtur exposcere Deus ab homine ut peccatum suum confiteatur, ut veniam mereretur accipere. Quis, inquit, nuntiavit *tibi quod nudus esses ?* Nam et ante nudus eras et non erubescebas. Quid nunc est quod nuditatis tuae tanta confusione et erubescentia suffunderis? Quidnam est quod tuos aperuit oculos, ut te confusibiliter et cum rubore maximo nudum cognosceres? An ex ligno, quod tibi praeceperam ut nec quidquam ex eo comederes, comedisti? Non enim aliunde poterat id tibi contingere. Nunquid ergo praeceptum meum transgressus es?

ut homo sponte reatum suum confitens, veniam consequi mereatur.

Hunc sensum videtur praeseferre Hebraica Lectio, ut delicti humilem confessionem ab Adam suis verbis exculpere voluerit Deus; delictum enim non quasi factum ipsi obiicit, etsi factum ipse probe norit; sed an factum sit ab eo interrogat. Non enim inquit, causam quam suae nuditatis quaesierat reddens: Quia *de ligno, de quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti:* sed: *An de ligno, quod tibi praeceperam ut non ex eo comederes, comedisti ?* Non asseverat, sed quaerit, ut proprio ore peccatum suum confiteretur homo ; per quam confessionem et veniam consequi mereretur, et culpam agnoscens, poenitentiam a Deo impositam humiliter acceptaret eique subiiceretur. Quam instanter ab initio Deus humilem peccatorum confessionem expostulavit ab homine, et quam mirum in modum in eo humiliationis genere complacet sibi Deus! Respondet homo interrogationi divinae, percipiens quid Deus exposceret.

Vr. 12 *Dixitque Adam: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi.*

Hebraicus Textus: *Mulier, quam dedisti mecum.*

Percipit Adam quid a se exposceret Deus; non tamen ingenue peccatum suum confitetur, sed et defensionem pro se adhibet seque

81) Vr. 11. Vulg.: *Ex ligno, de quo, etc.*

excusat et in Deum quodammodo culpam suam retorquet. *Mulier,* inquit, *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi . . . , et comedi.* Excusationem et defensionem primo adhibet, cum culpam confitetur. Tu, Deus, inquit, mulierem dedisti mihi, quae mecum esset, ut esset mihi solatio, de qua ipse dixisti: Faciam *ei adiutorium simile sibi* [82]. Haec autem facta est mihi causa ruinarum; si enim ipsa non fuisset, non utique peccassem: siquidem de fructu ligni, de quo praeceperas mihi ne comederem, comedi et peccavi et me peccasse agnosco. Non tamen ego accepi de fructu ligni, sed ipsa tulit de fructu eius et comedit et dedit mihi ut comederem, et ab ea persuasus et compulsus comedi. Eam tamen tu dedisti mihi, quoniam dixisti non bonum mihi esse solum [83] et sine ea; et ecce nunc facta est mihi in maximum malum et damnum!

Mulier, quam dedisti mihi, etc.

Adam autem peccatum suum quidem confitetur, sed se excusando et uxorem accusando et in Deum quodammodo culpam retorquendo.

Ecce quomodo, priusquam culpam suam ingenue confiteretur, excusationem et defensionem praefert ac in Deum, quoquo pacto potest, culpam retorquet, eamque sui criminis inculpare nunc non veretur, cuius amore prius, ne eam contristaret, praeceptum Dei transgredi est ausus.

Attamen vir eo magis inexcusabilis apparet, quia mulierem corripere et a peccato cohibere debebat.

Sed profecto omni excusatione caret; Deo enim oportebat eum obedire eiusque praeceptum servare, et non mulieri: eam enim non dominam a Deo accepit, sed sociam, coniugem et subiectam suo domino. Modo dominis obedire oportet, non sociis aut subiectis, quibus imperare potius oportet; et si ab ea ad esum persuasus est, peccatum illud in ipsum etiam flectitur, qui passus est ab ea persuaderi, cum secus potuerit ac debuerit eamque arguere potius et corripere, quam audire. Nec utique debuit unquam, ne contristaret mulierem, *contristare Spiritum Sanctum* [84]; et si eam nunc accusat ut criminosam, debuit prius eam corripere et, cum delinqueret, reprehendere: imo ne comederet cohibere. Non enim eousque cara sibi esse debuit ac dilecta ut, ne eam contristaret, sineret in Dominum Deum peccare et propter ipsam ipse quoque idem crimen committere. Illius ergo criminis est particeps nedum non prohibendo, verum etiam multo gravius sectando; quapropter seipsum de peccato excusans magis peccatis obvolvit peccatumque peccato cumulat.

82) Gn 2, 18. 83) Cf. ibid. 84) Eph 4, 30.

Deus autem misericordia motus, obiurgantia verba ultra parcens, ad mulierem sermonem convertit.

Haec omnia poterat Deus in illum miserum acerrime exprobrare, et tum maxime quod Dei similitudinem appetiisset luciferiana arrogantia elatus. Deus autem misericors et clemens, magno misericordiae suae spiritu cohibitus, pepercit ne qui satis agitabatur conscientia criminis et nuditatis opprobrio ac poenarum formidine, si quid adhuc terribilius voce Dei adiungeretur, in desperationem praeceps ferretur ac diceret: *Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear!* [85] Tum etiam quia, licet peccatum non sit plene confessus, ut debuit [86], tamen ex parte eius vera responsio elevabat culpam: tametsi non aboleret, sed urgens adhuc obiurgationibus ratio esset; ideo satis hactenus ab eo habuit sermonemque suum ad mulierem convertit.

Vr. 13 *Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc fecisti? Quae respondit: Serpens decepit me, et comedi.*

Textus Hebraicus: *Et dixit mulier: Serpens sublevavit,* seu *abduxit.*

Chaldaeus Interpres: *Errare me fecit.*

Septuaginta: Ὁ ὄφις ἠπάτησέ [87] με: idest: *Serpens decepit me,* sicut nostra Editio habet.

Serpens decepit me, Mulier vero pariter se excusans, culpam suam in serpentem retorquet,

Non factum an sit interrogat Deus, cum de facto constet; sed cur factum sit: *Quare hoc fecisti?* Audisti, inquit, virum in te culpam transferentem et omnia tibi ascribentem, quae illi in adiutorium data es, atque ideo condita ex carne eius et ex ossibus eius, ut tuis solatiis illum foveres: facta es autem ei tuo delicto in maximum malum miserandamque iacturam minarum. *Cur hoc fecisti?* Et cur tibi et viro tantae ignominiae facta es auctor? Ipsa vero perterrita, peccatum suum defendit et in serpentem culpam retorquet: *Serpens,* inquit, *decepit me.* Ut sicut vir culpam in mulierem reiecit, dicens: *Mulier... dedit mihi et comedi;* ita et mulier, nullum effugium inveniens, fatetur factum, sed in serpentem transfert: mala, inquit, illa bestia hunc nobis lapsum attulit, illius nos perniciosum consilium in hanc nos confusionem adegit: ille *me decepit, et comedi;* non coegit, sed *decepit.* Nec vir se coactum dicit, sed: *Mulier... dedit mihi et comedi; dedit* solum, non coegit, non vim fecit; ista vero: *Decepit,* inquit, non coegit; nusquam enim necessitas et violentia, sed voluntas et arbitratio. Inimicus enim nostrae salutis opera huius malae

85) Gn 4, 13. 86) Ms.: *Quia* repetitur. 87) Ms.: Ηπαπησεν.

bestiae usus, consilium dedit et *decepit*, non vim fecit neque coegit, sed pernicioso consilio fraudem suam opere compleri fecit.

Deus autem, etsi mulierem sic respondentem potuisset multipliciter redarguere et acerrime exprobrare, illius verbis contentus non coegit ad plura. Postquam illius mali auctorem invenit, serpentem aggreditur eique poenam intentat.

quem Deus aggreditur, nolens ultro mulierem redarguere.

Vrr. 14-15 *Et ait Dominus ad serpentem : Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia et bestias terrae : super pectus tuum gradieris et terram comedes cunctis diebus vitae tuae. Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius ; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.*

Textus Hebraicus: *Maledictus tu prae omni iumento et prae omni bestia agri : super ventrem tuum incedes et pulverem comedes omnibus*, etc. *Inimicitias ponam inter te et inter mulierem, et inter semen tuum et inter semen illius ; ipsum conteret tibi caput, et tu conteres ei calcaneum.*

Ita et Chaldaica Lectio habet omnino, praeter illud: *Inimicitiam ponam inter te et mulierem, et inter filium tuum et inter filium eius ; ipse recordabitur tibi quid feceris ei ab initio, et tu observabis eum in finem.*

Targum Ierosolymitanum ad dies regis Messiae hunc locum refert [88].

Pro huius loci clariore intelligentia animadvertendum est quod supra quoque initio capitis praemonuimus [89], videlicet per *serpentem* non animal solum aut daemonem debere intelligi, sed utrumque, daemonem scilicet et serpentem; daemonem, qui per serpentem loquebatur eiusque ministerio utebatur ad tentandum: serpentem vero sicut instrumentum eius, per quem sua maleficia perpetravit. Iccirco cum hic Deum legimus in serpentem has poenas animadver-

***Quia fecisti hoc, maledictus es*, etc. Haec Dei verba diriguntur ad daemonem in serpente.**

88) Ait enim : « Et dixit serpenti : Quoniam fecisti hoc, maledictus tu prae omni iumento et prae omni fera agri : super ventrem tuum eris deambulans et pedes tui decurtabuntur et pellem tuam eris exuens simul intra septem annos et venenum mortiferum in ore tuo, et pulverem comedes omnibus diebus vitae tuae. Quin inimicitias ponam inter te et inter mulierem, inter semen filii sui et inter semen filiorum eius ; et erit quando erunt filii ipsius mulieris servantes praecepta legis, operam dabunt ut percutiant te ad caput tuum. Cum autem relinquent praecepta legis, studebis ut mordeas eos in calcaneis ipsorum : verum illis erit medicina : quia medicinam adhibebunt calcaneo in diebus regis Messiae ». Apud Io. De La Haye *Biblia Maxima Versionum*, t. 1, pag. 477. 89) Cf. pag. 254.

tisse, in utrumque animadversum esse supplicium intelligere debemus. Et sicut per animal serpentem daemonem intelligimus, propter proportionem quandam et analogiam, quae inter utrumque reperitur; ita quoque per poenas sensibiles, sensibili serpenti inflictas, eas pari modo, quae intellectuali serpenti diabolo inflictae sunt, perscrutari debemus; et eo magis quo ea, quae hic videntur iuxta litteram a Deo inflicta serpenti animali, et si vere, non tamen principaliter ad animal, sed ad serpentem diabolum directa sunt.

cui Deus poenam infligit pro meritis sine ullo interrogatione, quia diabolus iam irremissibiliter condemnatus est.

Et dixit *Dominus ad serpentem*, idest diabolum: *Maledictus tu.* Dominus Deus ad huius facinoris inquisitionem a viro interrogans incepit et pari modo ad mulierem transit, ut ipsi peccatum suum agnoscentes, Deo responsa dantes, culpam confiterentur et veniam acciperent; quoniam remissibile utique fuit peccatum illud et per poenitentiam ac humilem confessionem lui poterat, quam illi, ut poterant, facere debebant; siquidem concessum est eis *acceptabile tempus* et *dies salutis* [90], ut *dignos fructus poenitentiae* [91] agerent. Postquam vero a muliere accepit Deus quis eius mali princeps auctor fuerit, ut ad serpentem ventum est, non iam illum dignatur ut responsum ex eo audiat, sed poenam intentat. Non venit in iudicium serpens quasi reus, qui se posset defendere; peccato enim iam obfirmatus irremissibiliter erat et iam damnatus et ut sempiternus hostis declaratus, in quem non aliud cogitatur, nisi ut affligatur pro meritis.

Non tantum diabolus, sed et serpens animal maledicitur, cuius lingua diabolus usus est ad tale flagitium perpetrandum.

Unde statim dicitur: *Quia hoc fecisti, maledictus eris inter omnia animantia et bestias terrae.* Cum autem ad serpentem sensibilem haec etiam dirigantur et infligantur, mirum videri non debet, quod Dominus ad brutum sermonem dirigat, quasi non intelligat quae dicuntur; nam et alibi legimus locutum fuisse Deum ad piscem, apud I o n a m [92]: significat autem locutio huiusmodi divinae voluntatis expressionem per exteriores effectus. Vel: *Maledictus tu prae omni iumento et prae omni bestia agri.* Serpens animal, a quo nobis ad daemonem allegoria sumenda est, manifeste huius sortis conspicitur, maledictus, idest execrandus et detestabilis ac exhorrendus tanquam insidiator homini, et venenosus prae omnibus iumentis et bestiis agri. Etsi autem serpens suapte natura execrandus est, cre-

90) 2 Cor 6, 2. Vulg.: *Tempus acceptabile.* 91) Lc 3, 8. Vulg.: *Fructus dignos.*
92) Cf. 2, 11.

visse tamen in illum hanc maledictionem et execrationem postquam diabolus usus est lingua illius ad tam grande flagitium exercendum, existimare utique convenit. Non solum enim nocentes nobis odire solemus, sed instrumenta quoque, quibus nocent. Nam cum diabolus, huius animalis opera usus, malum illud consilium attulerit, iccirco hanc in illum poenam animadvertit Deus; sicut dementissimus pater, qui eum puniens, qui praedilectum filium suum occidit, et gladium quoque et ensem eius, quo filius occisus est, destruit et in multa frusta concidit ac frangit; ideo *maledictus tu . . . prae omni bestia agri.*

Hinc licet advertere ante peccatum animalia maledicta non fuisse; nam si serpens post peccatum maledictus est, et non solum maledictus, sed maledictus prae cunctis bestiis agri et iumentis, haec utique ante peccatum maledicta non erant; post peccatum vero maledicta sunt, cum nullum fere sit animal, iumentum vel bestia, quod homini quoquo pacto nocumentum inferre non possit, quo modo huic maledicto subiacent, ut sint homini formidanda, multa autem execranda et exhorrenda, super omnia autem serpens. **Cum serpente omnes bestiae maledicuntur;**

Verum si is, qui ut instrumentum ministravit, tantam indignationem expertus est: quale supplicium datum est diabolo? De eo multo verius dicitur: *Quia fecisti hoc, maledictus tu prae omni iumento et bestia campi.* Non tamen ea nunc damnatio diaboli dicitur, quae ultimo iudicio reservatur, de qua Dominus dicit: *Ite . . . in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius* [93] : sed ea poena eius dicitur, qua nobis cavendus est: *Maledictus es inter omnia iumenta et bestias terrae* [94], imo *prae omnibus.* Multa, inquit, animalia ferocia, indomita et saeva nimis ac bestiae crudeles et atroces homini inimicantur in eumque saeviunt: aspides, basilisci, dracones, tigrides, ursi, lupi rapaces, leones et pleraque alia sunt homini maledicta suntque ei execranda, exhorrenda, extimescenda, et fugienda procul, quae possunt ei mortalis vitae exitium afferre. Tu autem prae omnibus his homini *maledictus es*, ei multo magis execrandus, detestandus, exhorrendus, extimescendus, cavendus ac fugiendus ac eo magis, quo ei venenatis verbis et letali poculo, nedum corporeae vitae exitium attulisti, quo in omne hominum genus mors ingressa est, verum **sed prae omnibus diabolus in serpente maledicitur, qui prae omnibus feris magis execrandus et cavendus declaratur;**

93) Mt 23, 41. Vulg.: *Discedite*, etc. 94) Ms.: *Terrae* repetitur.

etiam sempiternae mortis reum et peccati mancipium reddidisti et spiritualis vitae, quae in gratia et caritate consistit, exitium ei mortifero tuo veneno praebuisti. Quare multo magis te execrari, detestari, exhorrescere et fugere debet, quam cuiusvis venenatissimi colubri faciem, aut draconis pestilentissimi flatum vel basilisci aspectum.

quippe qui nedum corporalem necem, sed et spiritualem et aeternam humano generi intulit

Haec enim suo veneno temporalis vitae hominem deperditum faciunt: tu vero spiritualis, quae in gratia et caritate, et aeternae, quae in beata gloria, in summi boni visione ac fruitione consistit, eum deperditissimum reddis; et si tibi permitteretur ad libitum, temporalis quoque vitae multo crudeliores et atrociores poenas, afflictiones et tormenta, multoque terribilius ac saevius praeberes exitium, ut clare conspicitur dum permittitur tibi ex libito, quam saevissima quaevis

et inferre non desinet, summo odio in hominem exardescens.

ac immanissima bestia inferre ei aliquando posset. Ideo *maledictus tu* ei, qui tanquam crudelissimus et atrocissimus leo rugiens et truculentissima bestia semper circuis, quaerens ut eum devores [95]: *prae omni iumento et bestia* quamvis cruentissima, quae omnia, etsi natura multo inferiora, praeposita tibi esse hac lata sententia declaro, quia illa quod suapte natura eis competit, non ex vitio, sed ex naturae conditione faciunt suumque statum, in quo ea posui, infallibiliter servant. Tu autem quidquid facis, tuo vitio facis: cum e sublimi illo immarcescibilis gloriae statu, in quo ego te posui, tuo vitio et peccato excideris, nec tuum servaveris principatum [96]; ideo ea nunc tibi praepono: *Maledictus tu* prae cunctis iumentis et bestiis terrae.

Super pectus tuum gradieris, etc. Hebraei asserunt serpentem ante peccatum pedes habuisse.

Sequitur deinde: *Supra pectus tuum gradieris et terram comedes omnibus diebus vitae tuae*. Serpentinum animal, quo diabolus usus est, manifeste huius est sortis et conditionis suapte natura. An autem ante acceptam maledictionem eiusmodi, ut nunc cernitur, eius natura extiterit, non est usquequaque evidens et constans. Hebraeorum doctores, ut in *Ialkut* legitur [97] et Rabbinus Salomon quoque dicit [98], asserunt pedes quidem prius habuisse serpentem; per hanc autem Domini sententiam praecisos ei fuisse, ut non super pedes

Idem sentiunt Io. Chrysostomus

amplius, sed super pectus suum graderetur. Divus Ioannes Chrysostomus id etiam asseverare videtur [99], ut aliam ha-

95) Cf. 1 Petr 5, 8. 96) Cf. Iud vr. 6. 97) *Ialkut*, § 31; cf. etiam *Targum Ierosolymitanum*, supra not. 88; *Bereshit Rabba*, pag. 186; Gioseffo Flavio *Delle Antichità Giudaiche*, lib. 1, cp. 3, f. 3a. 98) Op. cit. f. 5a. 99) *Hom. 17 in Gen.*, (P. G. 53, 142-143).

buerit serpens formationis figuram post hanc maledictionem. Idem etiam Hieronymus in *Quaestionibus Hebraicis*[100]. Alii vero secus existimant[101], quoniam nihil peccavit serpens: quare ergo haec ei poena infligitur? Et ridiculum putant opinari alium fuisse serpentis gressum ante acceptam maledictionem, cum reptilia Deum ab initio creasse Moyses clarissime dixerit[102].

et Hieronymus, aliis tamen contradicentibus.

Mihi vero priorum sententia multo probabilior apparet, ut, etsi nihil peccarit serpens, sed per illum diabolus solus execrandum illud facinus perpetrarit, ad illius tamen sceleris detestationem et execrationem serpens quoque, quo ut instrumento usus est satanas, tantam expertus sit indignationem; ad eum modum quo Dominus iussit de iumento, cum quo aliquis horrendum illud et innominabile peccatum contra legis naturalis iura commiserit, cum eo simul comburi[103]; ad quem modum etiam in *Deuteronomio*[104], de civitate a cultu Dei aversa praecipitur, ubi et non solum homines poenas mortis iubentur luere, sed iumenta quoque occidi et suppellectilia comburi. Similiter in *1 Samuelis*[105] de Amalecitis, ob peccatum a suis patribus longe ante perpetratum, praecipitur non solum viros occidi, sed et mulieres et parvulos et lactentes, boves et oves et quaecumque illorum erant. Haec omnia ad peccati detestationem, execrationem et horrorem iussa sunt, ut cum peccatoribus ea quoque, quibus ut instrumentis ad perpetranda peccata usi sunt, simul exterminarentur. Quid ergo mirum si serpenti etiam hic huiuscemodi poenae infliguntur, cum tam horrendum et execrandum facinus per illum diabolus commisit? Immutatio ergo haec in serpentis natura Deo auctore facta est, qui talem ei poenam intentavit, quae omni tempore duret; ut sui spectaculo omnibus posthac futuris exemplum sit, ne ultra pestilens illud audiatur consilium neque locus concedatur dolosis ipsius insidiis: atque ut eum, quo ut instrumento usus est diabolus, tantam expertum indignationem videntes, intellectu percipiamus poenas, quae diabolo, eius sceleris principali auctori, inflictae sunt a Deo. Unde et de ipso verissime dictum putamus: *Super pectus tuum gradieris et terram comedes omnibus diebus vitae tuae.*

Probabilius videtur diversam formationem et alium incedendi modum ante maledictionem serpentem habuisse.

Deus tanto odio peccatum prosequitur, ut etiam res irrationales, quae peccati instrumenta fuerunt, poena afficiat.

100) P. L. 23, 943. 101) Severianus *De Mundi Creatione*, *Orat.* 6, (P. G. 56, 494-495); Procopius *Comment. in Gen.*, ibid. 87, 203-206; Rupertus *De Trinitate*, etc. *In Gen.*, lib. 3, cp. 18, (P. L. 167, 303-304). 102) Cf. Gn 1, 20. 103) Cf. Lv 20, 15. 104) Cf. 13, 14-16. 105) Cf. 15, 2-3.

Ut autem calliditatem et cogitationum eius versutiam aperiret, quod omnis gressus eius nequitiae esset ac fraudis, inquit: *Super pectus tuum*, vel *ventrem gradieris*: per quem diaboli cor significatur, in quo nequissimas cogitationes omni calliditate et versutia confovet suaque pravissima desideria rerum illecebrarum repascit: ad quae trahere cunctos cuperet, in seipsum quasi cibum convertendos, qui in substantiam convertitur comedentis. Ideo subditur: *Et terram comedes omnibus diebus vitae tuae*, idest terrenos homines[100] terrena magis quam coelestia cupientes, amantes et sectantes, super quos ventre aut pectore, per iniquarum cogitationum immissionem et per obscenae concupiscentiae excitationem illicito motu appetitus sensibilis, tu ipse serpueris.

Per *pectus* cor diaboli intelligitur, in quo cogitationes suas malas confovet;

Ad huius loci autem clariorem intelligentiam, quorundam advertendus animus est. Et primo quidem eam vocem, quae in hebraico legitur et Interpres noster *pectus* transtulit, et pectus et ventrem significare; quapropter Septuaginta utrumque, et *pectus* scilicet et *ventrem* posuerunt, verbum unicum hebraicum duobus exprimere volentes, quia pro utroque a Moyse positum verbum illud putaverunt. Quoniam autem ex illo animante sensibili, in quo pectus et venter sunt adeo utraque commissa, ut nullum prope discrimen sit pectoris ad ventrem, ad hunc invisibilem inimicum nostrum locutio figuratur; hinc per *pectus* animi impetus et cogitationes, quae ibi vigent, intelliguntur; per *ventrem* vero carnales appetitus pravique et illiciti obscenae concupiscentiae motus, qui ibi sentiuntur, eo foventur et inde originem trahunt, intelligendi sunt. Et quia inimicus noster his rebus serpit ad eos, quos vult decipere, propterea dicitur: pectore sive ventre repes.

per *ventrem*, carnales appetitus et pravi motus concupiscentiae in terrenos homines immissi,

quibus diabolus serpit super eos quos decipere vult.

Secundo animadvertendum est quod, cum adhuc innocentes essent primi homines, nunquam data fuit diabolo facultas aggrediendi homines internis tentationibus, vel intus illicita et obscena phantasmata proponendo, vel iniquas cogitationes immittendo, vel etiam carnis cupidinem illicitis motibus excitando; sed externis tantummodo sensibus obiecta delectabilia proponendo. Unde illos primo ad tentandum adorsus, in sensibili specie apparuit; postquam vero eos devicit ac suae, belli ac duellionis iure, subditos fecit potestati, – *a quo*

Ante peccatum diabolus externis sensibilibus obiectis tantum homines tentare poterat;

100) Ms.: *Terreno homine*.

enim quis victus est illius et servus est[107], – potestatem habuit eos nedum externis tentationibus, sed internis quoque eos adoriendi, ut internis sensibus obscena proponat phantasmata et iniquas cogitationes sensusque perversos immittat, et carnalem quoque concupiscentiam illicitis motibus exagitet et obscenae cupidinis ignem accendat. Et hoc est quod hic dicitur: *Super pectus tuum et ventrem gradieris:* haec ei potestas conceditur.

post peccatum vero etiam interne tentat.

Et ultra: ut terram illam comedat, super quam pectore et ventre serpuerit, hoc est ut terrenos illos homines terrena sapientes, super quos pectore, idest iniquis cogitationibus animique impetu, et ventre, idest luxuriae illecebris serpuerit, devoret ac sibi incorporet suaque membra efficiat.

Et haec eius poena est ut eos tunc in potestate habeat, qui Dei praecepta contemnunt; et qui in primo homine devicto omnes devicit, non super omnes suam exerceat potestatem, sed tantum super *terram*. Terra enim serpenti cedit et gressus eius vestigium recipit, nec resistit ut lapis, super quem etsi gradiatur serpens, nullum tamen signum relinquit, quia non cedit ei lapis, sed resistit; ita pravi et iniqui homines, qui Dei praecepta contemnunt, *terra* sunt, quoniam diabolum super se sinunt serpere eique cedunt, quia eius tentationibus consentiunt et quidquid illis mali proposuerit exequuntur. Non sic autem iusti, qui Dei praecepta custodiunt; sed tanquam firmissimi lapides, quibus coeleste aedificium construitur primo *angulari lapide Christo*[108] superaedificati, etsi super eos serpat diabolus pectore et ventre secundum potestatem acceptam quam iusti evitare non possunt, idest tentationes iniquarum cogitationum immittat et luxuriae iacula iaciat, animi tamen vi ei resistunt nec cedunt a tentationibus, sed repellunt; nec vestigium aliquod diabolici gressus relinquitur, quia in nullo ei consentiunt. Ideo non hos devorat diabolus, sed *terram*, quae sibi cedit.

Diabolus in homines tantum, qui eius tentationibus consentiunt, suam exercet potestatem;

non autem in eos qui resistunt.

Hanc autem potestatem non semper agit: sed *omnibus diebus vitae* suae. Per quod non est quoquo modo existimandum eum aliquando moriturum, cum non constet ex natura corporea et iam aeternis poenis destinatus sit sempiterni ignis, *qui paratus est* ipsi

Cunctis diebus vitae tuae. **Potestas homines tentandi diabolo conceditur usque in**

107) 2 Petr 2, 19. Vulg.: *Superatus... huius*, etc. 108) Eph 2, 20.

finem saeculi huius; postea enim in inferna recludetur.

et angelis eius ; sed dicit: *Omnibus diebus vitae tuae :* quia ipse dicitur vivere omne tempus, quo sub isto aere caliginoso permittitur degere et circuire et quaerere *quem devoret*[108a], quod est usque in finem saeculi, ante ultimam poenam illam iudicii, quando recludetur in aeternum carcerem, quasi in sepulcrum, et non dabitur illi ultra gradi et comedere; unde merito dicitur vitam finire.

Inimicitias ponam inter te et mulierem, etc. Verba haec ad Beatissimam Christi Matrem referuntur, ab aeterno praecognitam et praeparatam,

Antequam autem ad illud deveniatur, aliud ei flagellum infligit, dicens: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius ; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.* Quoniam, iuxta Targum Ierosolymitanum, locus hic ad dies Messiae refertur[109], convenientissimum visum est nobis locum hunc de Christo interpretari. Et primo quidem eam mulierem hic designari, quae parentum reparatrix, posterorum vivificatrix, Filii Dei dignissima mater ab aeternis saeculis electa est; a summo et altissimo Patre praecognita et Filio praeparata; a Patribus praesignata, a Prophetis praedicta, ab angelis servata; mulier admiranda et omni honore dignissima Virgo, ad quam *missus est angelus*[110]: virgo carne, virgo mente, virgo professione, virgo corpore et mente; sanctissima femina, singulariter admiranda et super feminas admirabilis, mirabiliter benedicta, quae virum circumdedit in utero, manens virgo, novum quod se facturum Dominus repromisit[111].

quae ab omni peccati labe praeservata fuit, ut serpentis caput conterere posset.

Nunc autem *inimicitias* se positurum dicit inter serpentem et hanc mulierem: *Inimicitias ponam inter te et mulierem.* Vicisti, inquit, unam mulierem, et per eam etiam virum obtinuisti tua improba fraude ; nunc aliud duellum statuo, in quo tibi superanda est alia, si secure cupis tua praeda potiri et hanc tuis dolis quaesitam tyrannidem latius grassari. Illa enim ad surripiendum tibi praedam est praeparata omnino et ad conflictum animose accincta, quae in primo hoc duello non cecidit, nec sub hoc communi peccato iacuit, nec sub tua potestate aliquando inventa est. Propterea in secundo duello eam eligo quasi liberam et campi dominam, ut tecum luctari valeat. Cum hac nova muliere ab omni labe peccati praeservata, volo ut novum committas proelium, ut experiaris an et illam valeas superare.

Nec tamen eiusmodi duellum in ea finitur; sicut nec primum in prima muliere, sed in viro victo terminasti: ita in viro, huius mulieris

108a) 1 Petr 5, 8. 109) Cf. supra, pag. 281. 110) Lc 1, 26-27. 111) Cf. Ier 31, 22.

Et ita qui per mulierem hominem vicerat, per hanc mulierem et filium eius vincendus erat.

semine, duellum hoc terminari debet. *Et inter semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum,* vel, ut Hebraica Lectio habet, *ipsum,* videlicet *semen, conteret caput tuum.* Et utrumque recte dicitur; nam et haec sanctissima mulier caput serpentis contrivit, quae omnimodam maligni suggestionem, tam de carnis illecebra quam de mentis superbia, deduxit ad nihilum; et Christus, qui mulieris huius *semen* dicitur et filius ancillae Domini[112], quoniam de virgine natus, non virili semine, sed Spiritus Sancti virtute conceptus[113] et ex eius purissimis sanguinibus virginalibus formatus est, huius tortuosi serpentis caput confregit; qui eius in mundo principatum dominatumque super homines abstulit eumque de mundo eiecit[114] hominumque potestati subiecit, quibus super daemonia potestatem dedit[115], ut calcarent super serpentes et scorpiones et super omnem virtutem inimici[116]. Quid est autem super serpentem calcare, nisi eius caput conterere?

***Et tu insidiaberis calcaneo eius.* Diabolus dicitur insidiari non capiti, idest Christi divinitati, sed *calcaneo,* idest humanitati.**

Serpens autem non potest ad caput se erigere, sed calcaneo insidiatur: *Et tu,* inquit, *insidiaberis calcaneo eius,* vel, iuxta hebraicum: *Conteres calcaneum eius,* vel *mordebis eum in calcaneo.* Non potuit serpens iste caput seminis huius mulieris conterere, sed *calcaneum.* Semen enim hoc Christus est, caput autem Christi est Deus: *contra Deum* non est potestas, *non est consilium, non est sapientia*[117]. *Calcaneum* autem *eius,* idest carnem potuit in passione eius conterere cruce et flagellis, vel mordere potius, quam conterere; scriptum est enim: *Os non conteretis ex eo*[118]*;* sed momordit quem flagellatum per membrum suum Pilatum Iudaeis tradidit ad crucifigendum[119].

Sed qui in ligno hominem vicit, in ligno quoque ab homine victus fuit.

Filius autem huius mulieris in cruce memoratus est satanae quid sibi a principio fecerit, quia eum in cruce devicit, et omnia arma eius abstulit, quibus prius vicit, praedamque diripuit, quam ille fraudulenter primo accepit, et qui in ligno prius vicit, « in ligno quoque vinceretur[120] ». Hinc mihi verissime transtulisse hunc locum videtur Chaldaeus Paraphrastes: *Ipse,* inquit, scilicet filius mulieris, *recordabitur,* seu *commemorabit tibi quod fecisti ei*

112) Cf. Ps 85, 16; 115, 16. 113) Cf. Lc 1, 35. 114) Cf. Io 12, 31. 115) Cf. Mt 7, 22; Mc 3, 15; 6, 13; 9, 37; 16, 17; Lc 9, 1. 49; 10, 17. 116) Cf. Mc 16, 17. 117) Prv 21, 30. Vulg.: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* 118) Io 19, 36. Vulg.: *Comminuetis.* Cf. etiam Ex 12, 46; Nm 9, 12. 119) Cf. Mt 27, 26; Mc 15, 15; Lc 23, 25; Io 19, 16. 120) *Missale Romanum,* Praefat. De Cruce.

ab initio, et tu observabis eum in finem. Siquidem diabolus Christum in fine dierum suorum, ut Targum Ierosolymitanum habet, observavit, dum eum ignominiosa morte per suos ministros addixit; Christus vero commemoravit ei quae sibi ab initio fecit, qui peccatum, a primis parentibus fraude diaboli deceptis perpetratum, abstulit, et qui primo in ligno hominem vicit in suamque omne genus humanum potestatem redegit, hic in ligno crucis ab homine victus est in hominumque potestatem redactus; quoniam Deus pro homine in castra venit humanis[121] spoliis supervestitus; propter quod exterriti ac trementes omnes daemones *ingemuerunt dicentes: Vae nobis! Non enim fuit tanta exultatio heri et nudiustertius: vae nobis! Quis nos liberabit de manu deorum istorum sublimium? Isti sunt dii, qui percusserunt Aegyptum omni plaga*[122]. Quapropter in cruce iudicium factum est mundi et *princeps huius mundi* eiectus est *foras*[123]; et qui *fortis armatus* custodiebat *atrium suum* in paceque erant omnia quae possidebat, superveniens Christus, mulieris filius, eo fortior vicit eum et omnia arma eius diripuit, in quibus confidebat, et spolia eius in priori victoria fraude et dolo acquisita, abstulit et distribuit[124].

Vr. 16 *Mulieri quoque dixit: Multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos; in dolore paries filios, et sub viri potestate eris et ipse dominabitur tui.*

Veritas Hebraica: *Ad mulierem dixit: Multiplicans multiplicabo dolorem tuum et conceptum tuum; in dolore paries filios et ad virum tuum erit desiderium tuum et ipse dominabitur tui*, seu *in te.*

***Multiplicabo aerumnas tuas,* etc. Variae lectiones et expositiones Rab. Abrabanel,**

Hebraeorum doctores, ut Rabbinus Abrabanel refert[125], per *aerumnas* anxietatem in gravidatione intelligunt; per *conceptum* vero, conceptus anxietatem. Ipse vero hanc multiplicationem sic exponit, quod ante peccatum, idest si non peccasset, unum solum conceptum habuisset, idest una tantum vice concepisset. Et huius dicti rationem reddit, quia homines semper vixissent; et si omnibus diebus suis genuissent filios et filias, non potuisset eos sustinere terra. Sed post peccatum, quia factus est homo corruptibilis et mortalis, determinavit sapientia divina ut pluribus vicibus [gignerent], ut si morerentur, non omnino deficerent.

121) Ms.: *Humis.* 122) 1 Rg 4, 8. Vulg.: *Salvabit... sublimium istorum.* 123) Io 12, 31. 124) Cf. Lc 11, 21-22. 125) Op. cit. f. 31a.

C h a l d a e u s I n t e r p r e s ita vertit: *Et ad maritum tuum erit appetitus tuus et ipse dominabitur in te.*

Nonnulli codices habent[126]: *Ad virum erit conversio.*

S e p t u a g i n t a transtulerunt: *Multiplicabo moerores tuos et gemitum tuum, et ad virum tuum conversio tua.*

Hebraice vero תְּשׁוּקָתֵךְ est, scilicet *appetitus* sive *desiderium tuum.* Ita R a b b i n u s S a l o m o n[127] et D a v i d K i m c h i[128] exponunt. R a b b i n u s A b r a h a m A b e n E z r a משמעתך exponit[129], quod est « obedientia, ut sit sensus: et viro tuo erit obedientia tua, et tu[130] obedies omnibus, quae praeceperit tibi, quia tu es in potestate illius, ut eius facias voluntatem ».

Salomonis, David Kimchi et Aben Ezrae.

Nos hunc locum ita exponimus. *Multiplicabo aerumnas tuas.* Felicem ac prope beatam vitam ducebant parentes nostri in amoenissimo illo paradiso voluptatis: nihil molestum, incommodi nihil, nihil poenae aut doloris vel gravaminis sentiebant. Ob peccatum vero ea sunt felicitate privati, ut non, sicut prius, ex omni essent parte felices, sed miseri et miserabiles ob poenas, quas illis inflixit Deus ex perpetrato scelere. Et quoniam mulier prius peccavit, prius ei poenae infliguntur a Deo, qui ait: *Multiplicans multiplicabo*, idest certissime et infallibiliter multiplicabo, nec me aliquando poenitebit, *aerumnas tuas.* In hebraeo est: עצבון, quae vox dolorem, tristitiam, moerorem ac turbationem et laborem significat; unde recte noster I n t e r p r e s vim illius vocis per *aerumnas* expressit, dicens: *Multiplicabo aerumnas tuas ; aerumna* enim miseriam et calamitatem, imbecillitatem et laboriosam aegritudinem onerosumque et non fugiendum laborem significat.

Mulier, quae prius peccavit, prius punitur et maximis miseriis,

Et conceptus tuos. In hebraeo est: הרון, quae vox conceptum laboriosamque graviditatem significat et gemitum atque angustiam illam, quam mulier a conceptu ad partum usque perpetitur; quapropter S e p t u a g i n t a *gemitum* transtulerunt.

graviditatis angustiis

In dolore paries filios. Manifestissime haec omnia mulieres experiuntur in poenam illius peccati; si enim illud non inter-

et partus doloribus afficitur;

126) Cf. Io. De La Haye *Biblia Maxima Versionum*, pag. 46. 127) Op. cit. f. 5ª.
128) Op. cit. sub voce: שוק. Cf. etiam Pagnini op. cit. sub radice: שוק col. 2906; Io. Buxtorfius *Lexicon Hebraicum*, etc. sub voce: תְּשׁוּקָה. 129) Op. cit. f. 5ª. 130) Ms.: Tuo.

cessisset, filios quidem concepissent absque omni turpitudine et foeditate et omni procul obscena delectatione conceptosque fetus absque omni gravedine, labore et aerumna portassent ac peperissent sine dolore. Sicut enim ad concipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius usus naturam utriusque coniungeret, ita quod non voluptas carnem corrupisset, sed voluntas laxasset: ita ad pariendum non doloris gemitus, sed naturae talis impetus feminea viscera delectabiliter et relaxasset, et gaudium illud, quod in hoc statu mulieres sentiunt cum pepererint filios, propter quod non amplius recordantur pressurae ac aerumnarum, quas in periculo passae sunt, *quia natus est* eis *homo in mundum*[131], hoc non intercedente peccato, in pariendo etiam sensissent, cum iam fetus emitterent.

quae omnia perpessa non fuisset, si non peccasset.

Et sub viri potestate eris, sive *ad virum tuum appetitus,* vel *desiderium tuum: et ipse dominabitur tui.* Primo data est homini mulier in solatium et delicias, in sociam et *adiutorium sibi simile,* libera a servitute: nunc autem sub *viri potestate* constituitur, ut vir dominetur ei in suamque redigat potestatem. Et quoniam qui alterius dominio subiicitur, illius debet iussa exequi, servare praecepta illiusque voluntati morem gerere, ut non quaecumque vult faciat, sed [quod] ille voluerit agat, eius voluntatem explorare, ei assentire suamque illi voluntatem conformare; iccirco dicitur: *Et ad virum tuum erit desiderium tuum,* ut non quaecumque volueris aut appetieris, illa facias, sed tua vota et desideria ad virum referas et quod ille vult facias, ei morem geras, ei obedias; quia *ipse dominabitur tui,* idest eum super te dominum constituo ac volo ut eius super te dominatum agnoscas semperque existimes virum tibi pro domino datum; ipse reget te, gubernabit, arguet, corriget, reprehendet atque corripiet cum oportebit, ne absque eius dominio impavide ac libere vivens, per praecipitia feraris.

Sub viri potestate eris, etc. Quae prius homini ut socia in solatium data fuerat, nunc sub viri potestate constituitur quasi serva,

Posset etiam verbum illud: *Et ad virum tuum erit desiderium tuum,* de naturali desiderio, quo mulier virum desiderat ad sustentationem, defensionem, protectionem, societatem, securitatem et delicias, quibus omnibus destituta quodammodo ac egens est mulier, sicut imperfectum desiderare semper assolet perfectum, a quo per-

semper indigens eius protectione et societate.

131) Io 16, 21.

fici possit et suis defectibus satisfactum iri. Prior tamen expositio est litterae consona magis; etsi haec quoque verissima est.

Dicitur: *ad virum*, non: *ad viros*, ad polyandriam condemnandam.

Notandum vero est quod dicitur: *ad virum*, non *ad viros;* quoniam turpissimum semper fuit, nec licuit unquam mulierem unam pluribus viris simul coniungi: sed unum ac proprium virum debet habere mulier, non plures, contra obscenos illos et fatuissimos haereticos[132], qui voluerunt mulieres esse communes, quod belluarum est, non hominum.

Sententia haec generalis est et mulieres in universum respicit, non omnes singulariter;

Intelligere tamen oportet quomodo haec sententia generalis sit, quae universum sexum complectatur. Multae enim mulieres ab his aerumnis eximi videntur, quales sunt innuptae, virgines et steriles, quae quavis ratione non concipiunt. Multae enim steriles reperiuntur: et quaedam quidem ex natura, quaedam vero ex Dei facto; et harum quaedam ad Dei gloriam, quaedam vero ad alicuius peccati poenam; et quaedam quidem sunt perpetuo steriles, quaedam vero ad tempus. Multae etiam steriles sunt non natura, sed gratia, quae viros quidem nullo pacto cognoscunt, sed nec volunt unquam cognoscere: sed virginitatem suam Domino vovent et illibatam servant; unde fit ut aerumnis in hac Domini sententia expressis minime premantur. Sed intelligendum est quod quotiens Deus generaliter quidpiam statuit aut decernit, intelligi sane oportet ad eos pertinere decretum vel statutum, qui sunt eius rei, quae statuitur, capaces.

quia multae steriles sunt vel natura vel Dei facto, quae aerumnis his non premuntur.

Cum ergo Dominus dicat ad mulierem: *Multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos; in dolore paries filios:* non ad eas potest illud pertinere, quibus natura potentiam concipiendi negavit; neque ad puellas, quae adhuc non sunt nubiles; neque ad eas, quae virum non cognoscunt, neque viro cuipiam factae sunt una caro: sed Iesu Christo adhaeserunt et cum eo unus spiritus factae sunt; nec curant quae sunt viri, quomodo placeant viro: sed sollicitae sunt eorum, quae Domini sunt, quomodo placeant Deo[133] et sponso vero ac sempiterno Iesu Christo.

Omnes tamen, quas diximus, non sunt utcumque muliebrium

132) Cf. Clemens Alex. *Stromatum*, lib. 3, cp. 2, (P. G. 8, 1103); Lactantius *Divinae Institut.*, lib. 3, cp. 21, (P. L. 6, 418); S. Hieronymus *Adversus Iovinianum*, lib. 2, ibid. 23, 295-296; G. Hergenröther *Storia Universale della Chiesa, Evo Medio*, lib. 2, part. 3, cp. 9, vol. 4, pag. 423-424. 430-431.

133) Cf. 1 Cor 7, 33.

Attamen et istae suas aerumnas patiuntur; sterilitas enim maius malum est, quam laboriosa fecunditas.

aerumnarum expertes; etenim steriles quae natura sunt, eo ipso quod steriles sunt, maximas perpetiuntur aerumnas. Sterilitas enim maius malum in natura est, quam esse fecundam cum omnibus illis aerumnis; quapropter in lege, quae rerum naturam sequebatur, sterilitas abominabilis erat et sub maledicto: tanquam mulier, quae sterilis erat, esset a Deo signata et maledicta[134]. Unde inter benedictiones populi, haec quoque continebatur: *Non erit infecunda,* sive *abortiens, nec sterilis in terra tua*[135].

Ideo in Lege Veteri tanquam maledictum et opprobrium habebatur;

Sterilitas ergo cum magnum malum sit, a peccato profecta est in feminis et multotiens etiam ob peccatum inflicta mulieribus; quapropter in primaevo statu nullibi sterilitas affuisset: Dominus tamen ob peccatum esse inflictam commemorare noluit, quia non naturae universalis, sed particularis est. Itaque peioris conditionis steriles reputantur absque partus doloribus, quam fecundae cum omnibus illis aerumnis; *mulier* enim, *dum parit, tristitiam habet . . . , cum autem pepererit filium, iam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est* ei *homo in mundum*[136]*:* quo gaudio steriles destitutae sunt et opprobrium ferunt perpetuum.

et pluries legimus Deum in alicuius peccati poenam sterilitatem inflixisse, et e contra in virtutis praemium fecunditatem concessisse.

Quapropter multas in Sacra Scriptura legimus natura fecundas, steriles esse effectas in alicuius peccati poenam: sicut Michol uxor David[137], eo quod virum suum deriserit coram Arca Dei ludentem, sterilis effecta est; Dominus etiam ob peccatum Abimelech vulvas omnes domus eius conclusit[138]. Sicut, e contra, multas natura steriles fecit fecundas ob insignia virtutum merita: quemadmodum de Lia legimus, quae cum despiceretur a viro suo et a sorore, videns Dominus humilitatem eius, exaudivit eam et consolatus est eam *vulvamque eius aperuit, sorore sterili permanente*[139]*;* quapropter ob ingens gaudium et consolationes maximas, quas ob filiorum partus sentiebat, soror eius infecunda invidit ei; quoadusque recordatus illius Dominus exaudivit eam eiusque vulvam aperuit: quod ipsa cernens, tota gaudens et laetabunda dixit: *Abstulit Dominus opprobrium meum*[140]. Similiter Sara[141] uxor Abraham, Rebecca[142] uxor

134) Cf. Gn 30, 23; 1 Rg 1, 6; Ps 112, 9; Is 4, 1; Lc 1, 25. 135) Ex 23, 26. 136) Io 16, 21. A. Gramatica in *Bibl. Sacr.* Nova Editione habet: *Peperit.* 137) Cf. 2 Rg 6, 16-23. 138) Cf. Gn 20, 28. 139) Ibid. 29,31-35. Vulg.: *Aperuit vulvam eius.* 140) Ibid. 30, 1. 22. 141) Cf. ibid. 17, 15-19. 142) Cf. ibid. 25, 21.

Isaac, Anna [143] mater Samuelis, Elisabeth [144] Zachariae, ob virtutum merita concipiendi et pariendi gratiam a Domino meruerunt, ut earum auferret opprobrium. Omnes tamen hae, quae huiusmodi gratiam a Domino perceperunt, non sunt ab hoc Domini decreto exemptae, sed in dolore utique pepererunt: sicut in Rachele manifestissime Scriptura declarat, quae cum secundum filium parturiret, *ob difficultatem partus periclitari coepit*, unde *egrediente iam anima* eius *prae dolore et imminente iam morte, vocavit nomen filii sui Benoni, idest filius doloris mei* [145].

Virtuosa quoque virginitas suis aerumnis premitur, ob continuas acerrimasque luctas, quas contra passiones et concupiscentias sustinere debet.

Virgines etiam, etsi non omnino in eo decreto continentur, cum eas Dominus in meliorem conditionem evexerit, non tamen ab omnibus sunt muliebribus aerumnis penitus liberatae. *Spiritus quidem* earum *promptus est, caro autem infirma* [146] et imbecillis valde; quapropter eo ipso quod virgines sunt, multas et graves passiones eas sustinere oportet. Gravis est enim virginitatis possessio, magnum est corpus frenare, carnis incontinentiam cohibere, voluptatibus se opponere, gravissimum bellum quotidie nullatenus sedandum habere, inimicum semper, quocumque abierit, secum portare ad bellum, qui neque vespere respirare permittit, non nocte, non diluculo, non meridie: sed bellatur semper voluptatemque submittit, nuptias in memoriam adducens, quo virtutem excludat fornicationemque inserat; unde singulis diebus et horis exuritur, fornacis modo succensa. Unde in hoc verissime etiam illud habetur inimicitiarum bellum: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius;* quod sicut de Virgine gloriosa virginum Matre exposuimus, ita quoque de his, qui eius vestigia sectantur, intelligendum est.

Ideo ipsis Veteris Testamenti sanctissimis viris laboriosa nimis ac tremenda videbatur.

Vere laboriosissima virginitas est opusque gravissimum; talisque virginitas est [147] ut eam nullus veterum potuerit conservare: Prophetis etiam tremenda. Quapropter si graves aerumnas, labores et dolores patiuntur mulieres [148] in filiorum partu, hae multo graviores sustinent, ut virginalem castitatem conservent. Una sola mulier ab hoc est decreto exempta, Sanctissima scilicet Virgo Maria,

143) Cf. 1 Rg 1, 19-20. 144) Cf. Lc 1, 6-14. 145) Gn 35, 16-18. 146) Mt 26, 41; Mc 14, 38. 147) Ms.: *Virginitas est* repetitur. 148) Ms.: *Mulier.*

Una SS.ma Virgo ab his poenis immunis prorsus evasit, tum in virginitate tum in maternitate sua.

virginum sponsi Iesu Christi mater. Ipsa ab huius decreti cunctis malis prorsus immunis fuit, non natura, sed gratia eximia et singulari; nam virgo semper purissima fuit, virgo mente, virgo professione, virgo carne, virgo mente et corpore sanctissima. Nec tamen ei aerumnae illae multiplicatae sunt pro virginitate tuenda, quas ceterae virgines experiuntur, cui nec ulla unquam vel minima obscena vel immunda cogitatio subrepsit, nec cogitatus aliquis pro virginali puritate quoquo pacto violanda, nec ullum unquam motum vel minimum obscenae concupiscentiae aliquando sensit. Erat enim eius caro purissima atque sanctissima, Dei manu formata multo purius et excellentius, quam prima mulier in primaevo illo nitidissimae innocentiae statu, ubi nihil horum experiebatur.

Corpus enim eius Dei manu formatum fuit;

Deinde nedum virgo fuit purissima, sed cum virginitatis nitore mulier fecundissima fuit, non prolis numero, sed excellentia; non sunt enim ei multiplicati conceptus, quae unum solum habuit, in quo *inhabitat . . . plenitudo divinitatis corporaliter*[149], in quo *omnes gentes benedictae sunt*[150]. Nec libidine concepit: sed quae Spiritus Sancti gratia plena erat, Spiritus Sancti etiam virtute concepit, qui eam mente et corpore sanctificavit et de purissimis eius virgineis sanguinibus accepit ex eius virginali utero et inde Spiritus Sancti opera et Dei altissimi virtute sempiterni Patris Verbum ibi ineffabiliter conglutinatum, factum est caro.

et Spiritus Sancti gratia mater effecta est, virgo semper permanens;

Praeterea nec in dolore peperit Filium, sed cum summo et ineffabili gaudio, ut constantissima est universalis Ecclesiae fides. Sempiternum enim Dei Patris Verbum Iesus Christus, in Virginis utero caro factus, seratis et intactis virginitatis claustris e maternis visceribus egressus est, nullum relinquens egressionis suae signum; quapropter egressus eius *via viri in virgine* a Salomone in *Proverbiis*[151] dictus est, quod ipse ob mysterii altitudinem omnino se ignorare dixit. Peperit ergo Virgo Maria filium, dolorem non sentiens, semper virgo manens ante partum, in partu et post partum.

et peperit sine dolore virgo semper intacta in partu et post partum.

Nec demum sub viri potestate fuit, nec quis dominatus est eius; sanctissimus enim vir eius Ioseph, non tanquam dominus, sed tanquam servus datus est ei, ut Virgini gloriosae tanquam dominae suae famularetur. Non enim coniugium illud sanctissimum sacratum fuit,

Ideo a viri potestate exempta, qui sibi in adiutorium et servitutem datus fuit.

149) Col 2, 9. 150) Cf. Gn 22, 18; Gal 3, 8. 151) 30, 18-19. Ex hebraico.

ut illa sanctissima Virgo et mulier singularissima viro subiiceretur corpore aut mente; neque ut esset ei in adiutorium, qui in conceptu nullas viri partes exercuit: quin potius contra factus est coniux in adiutorium Virginis circa partum, ut eius subsidio uteretur. Constat ergo Virginem gloriosissimam nullo pacto sub hac decreti sententia fuisse comprehensam.

Vrr. 17-19 *Adae vero dixit: Quia audisti vocem uxoris tuae et comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo; in labore comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas*[152] *terrae. In sudore vultus tui vesceris pane* tuo, *donec revertaris in terram, de qua sumptus es; quia pulvis es et in pulverem reverteris.*

Textus Hebraicus in paucis discrepat, ut ibi: *Maledicta terra propter te, in dolore comedes ex ea et in labore vultus tui comedes panem; quousque revertaris in terram, quia ex ea sumptus es.*

Chaldaeus Interpres vertit: *Quia audisti sermonem uxoris tuae, maledicta terra propter te, in labore comedes ex ea.*

Septuaginta vero transtulerunt: *Maledicta terra in operibus tuis;* unde Interpres noster, eos imitatus, ipse quoque sic transtulit.

Maledicta terra, etc. Variae lectiones.

Causa huius diversitatis est, quia in hebraeo duae sunt dictiones valde affines: עבור, ultima littera ר[153], et עבוד, ultima ד; et prima quidem, si ב litteram praepositam habeat, significat propter; secunda vero, si eandem habeat litteram praepositam, infinitum est, a verbo עבד, quod significat operari; et sic videntur legisse Septuaginta et Interpres noster: בעבודך: *In opere tuo;* in hebraeo tamen בַּעֲבוּרֶךָ est, idest *propter te.* Est enim ר littera, et non ד, sicut etiam Chaldaeus Interpres vertit: *Maledicta terra propter te.*

Quinque maledictionibus plectitur homo.

Nunc ad huius loci expositionem accedamus. *Quia audisti vocem uxoris tuae.* Postquam serpentem, qui huius sceleris extitit princeps auctor, maledixit Deus, et mulierem, quae media causa fuit, nunc virum ipsum, in quo totaliter peccatum consummatum est, maledicit

152) Vrr. 17-18. Vulg.: *In laboribus comedes... herbam terrae.*

153) Ms.: *Resc, Beth, Daleth*, et infra.

in eumque quinque fulminat maledictiones, ut Rabbinus Abrabanel hic adnotavit[154]. Est autem prima: *Maledicta terra propter te ;* secunda: *In labore* vel *dolore comedes ex ea omnibus diebus vitae tuae ;* tertia: *Spinam et tribulum germinabit tibi et comedes herbam agri ;* quarta : *In labore* vel *sudore vultus tui comedes panem ;* quinta: *Donec revertaris in terram, quia ex ea sumptu. es, quia pulvis es et in pulverem reverteris.* Hae nobis sunt maledictiones singillatim explicandae.

quia, spreto Dei praecepto, mulieris voci obedivit, quam potius arguere et corripere debebat.

Antequam autem has in eum infligat maledictiones, causam unde infligit proponit: *Quia*, inquit, *audisti vocem uxoris tuae*, vel, iuxta hebraicum, *quia obedisti voci uxoris tuae.* Mulierem, inquit, in *adiutorium* tibi *simile* ego formavi tibique in sociam et uxorem dedi eiusque te virum caputque constitui, ut non tu illi, sed illa tibi pareret semper, nec praeciperet unquam: sed tu illi praecepisse debuisses; non enim illam tibi praefeci aut dominam dedi, sed te illi praefeci. Nunc autem tu universum hunc ordinem pervertisti, *quia obedisti voci uxoris tuae.* Sed qua in re obedisti? *Comedisti*, inquit, *de ligno, ex quo praeceperam tibi ne comederes.* Ego, inquit, sum tuus et Deus et Dominus: mihi obedire debuisti meumque observare praeceptum. Nunc autem tu, me neglecto meoque spreto praecepto, *obedisti voci uxoris tuae*, cui obediendum tibi nullo pacto erat, sed coercere potius ab eo, quod tibi persuadebat, debuisses et arguere et corripere. Nunc autem ego praecepi tibi ne comederes ex hoc ligno : illa suasit; tu autem eius suasioni obedisti et meum praeceptum sprevisti, qui tuus sum Deus et Dominus; ideo tanti sceleris meritissimas lues poenas atque supplicia.

Maledicta terra, etc. Prima : ob peccatum terra maledicitur.

Maledicta terra in opere tuo, sive *propter te.* Postquam Deus hominem formavit iustitiae originalis decore et innocentiae nitore candidissimo ornatum, *tulit . . . eum et posuit in paradiso voluptatis*[155], ut ibi deliciaretur. Nunc autem ob peccatum se ut inde eiiceretur addixit, sicut et eiectus est ac terra, super quam inhabitaturus esset, maledicitur: *Maledicta*, inquit, *terra in opere tuo :* non ruris colendi, sed in opere peccati terra maledicitur, sicut recte in hebraeo dicitur: *Maledicta terra propter te,* idest ob peccatum tuum.

Dederat Deus a principio fecundissimam terrae virtutem, ut

154) Op. cit. f. 31ᵇ. 155) Gn 2, 15.

fertilissima esset et uberrima, sicut in primo capite dicitur[156]: *Germinet terra herbam virentem et facientem semen lignumque fructiferum . . . ; et factum est ita ; et protulit terra herbam virentem . . . lignumque faciens fructum;* quod absque hominis labore et cultu factum est, cum homo adhuc non esset. Unde quod a principio accepit semper servasset fructusque uberrimos, suavissimos et pulcherrimos [protulisset], absque cultus gravamine onerosoque hominis labore vel minimo, nisi ad delectationem et delicias, sicut dicitur: *Posuit Deus hominem in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum:* quod ad animi recreationem factum est. Nunc autem in peccati poenam terra maledicitur, ne herbas illas optimas suavesque fructus absque hominum summa industria, oneroso gravamine, laborioso cultu et doloroso etiam labore producat; sed inculta et hominum laboribus non elaborata nullos[157] ex se fructus suaves et bonos, nullas herbas iucundas hominique convenientes ad cibum producat; sed illorum loco spinas et tribulos, labruscas et vepres germinet.

quae a principio fecundissima et uberrima erat;

per peccatum autem benedictionem pristinam amisit.

Prima ergo poena homini inflicta haec est: quod ob peccatum eius terra maledicitur, idest aufertur ab ea prima illa fecundissima virtus et fertilitas fitque sterilis et deserta ac infecunda, suntque omnes eius proventus, quos ex se producit, maledicti, idest homini execrandi et detestandi, ad hominis non auxilium aut subsidium, sed poenam et supplicium.

In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae. Haec secunda poena est, quae infligitur, qua homo laboribus addicitur et subiicitur, ut victum e terra sibi necessarium accipiat; quo contra in paradiso felicem ac prope beatam semper vitam duxisset, omni penitus labore, omni tristitia, omni dolore expertem, sed omnibus deliciis et voluptatibus affluentem. Posuerat quidem *Deus hominem in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum ;* sed hoc ad delicias et voluptatem datum est illi, non ad laborem et afflictionem; quapropter nulla ibi doloris aut laboris mentio fit, sed deliciarum et voluptatum. Hic autem: *In laboribus comedes ex ea.* Significat autem vox hebraica hic עצבון, laborem, fatigationem, tristitiam et dolorem, quoniam labor hic, qui ad necessarium

In labore comedes, etc. Secunda: ob peccatum homo laboribus subiicitur, ut victum e terra accipiat;

et qui inter delicias vitam agere debebat, molestiis,

156) Vrr. 11-12. Vulg.: *Et lignum pomiferum*, etc. 157) Ms.: *Ullos.*

tristitiae ac doloribus additur omnibus diebus vitae suae.

victum comparandum homini subeundus est, non levis est, aut delectabilis et iucundus, sed onerosus, gravis atque molestus, cum fatigatione, tristitia atque dolore; nec brevis est aut perexiguus, sed perdurabilis ac perpetuus: *Omnibus*, inquit, *diebus vitae tuae :* quoad vixeris, ad mortem usque, nunquam hos labores effugies.

***Spinas et tribulos germinabit, etc.* Tertia : non solum terra primigenia fertilitate privatur, sed et magnis laboribus culta spinas et tribulos germinabit.**

Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terrae. Tertia haec maledicti poena inflicta est, quod terra nedum ob peccatum primigenia illa virtute fecundissima et fertilissima uberrimorum proventuum destituta est, ut ex se nonnisi detestandos et execrandos proventus afferret ad supplicium magis hominum, quam subsidium, et nonnisi summis laboribus ab hominibus culta et elaborata necessarios hominum vitae proventus afferret; sed cum omnibus his laboribus et gravaminibus, adhuc spinas et tribulos, vepres atque labruscas ad hominis afflictionem producat: *Spinas*, inquit, *et tribulos germinabit tibi*, idest ad tuam afflictionem, molestiam, laborem et fatigationem, in tuum incommodum et detrimentum. Nam etsi in priscorum parentum statu spinas et tribulos, vepres et labruscas, lappas et carduos, rugosos fructices et quaecumque asperitatem secum ferunt solidaque sunt et valide pungunt, produxisset terra: non tamen in hominum iniuriam et offensionem. Peccatum autem quod intercessit, in causa fuit ut huiuscemodi in incommodum et detrimentum hominum terra germinaret. Ideo dicitur: *Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terrae;* quoniam, ut inquit Propheta [158], *homo cum in honore esset non intellexit : comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis.*

Homini in peccatum lapso, quasi iumentis comparato, herbae adduntur in cibum.

Homini iumentis ob peccatum assimilato, in eius peccati poenam agrorum agrestes herbas, quae in iumentorum pabulum primo condita sunt, ei nunc in escam dantur, ut indicaretur quid dignum esset homine peccatore, qui similem se fecit iumentis insipientibus: *Et comedes herbas agri.*

Prius herbae optimae homini datae fuerant in escam, nec eaedem quae et iumentis;

At dicet quis: quid est quod hic in peccati poenam infligitur? Nonne et supra, cum in primaevo statu esset homo, herbae datae sunt in escam? Ita enim dicitur: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram et universa ligna, quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam et cunctis animantibus terrae?* [159] Verum quidem est herbas homini a principio datas esse in

158) Ps 48, 13. 21. 159) Gn 1, 29-30.

cibum; at non quascumque, sed optimas: nec eas, quae iumentis in escam datae sunt, sicut ex Veritate Hebraica supra adnotavimus[160], secundum quam inter animalium escam et hominum clarissime distinguitur. Sic enim habet, ut iam annotavimus superius: *Ecce dedi vobis omnem herbam seminificantem semen super faciem universae terrae et omne lignum fructiferum seminificans semen erit vobis in escam; omni autem bestiae terrae et omni volatili coeli et omni reptili terrae, in quo est anima vivens, erit omnis viriditas terrae in escam.* Ecce quam plane distincta sunt ciborum genera hominibus et brutis. Nunc autem poena, quae hic homini infligitur, huiusmodi est ut terra, quamvis elaborata et culta, non eas producat iucundas herbas fructusque suaves, quos prius absque labore etiam et cultu produxisset: sed herbas fere agrestes, iniucundas et insipidas, quales in alendorum iumentorum pabulum prius germinasset; et propterea dicitur: *Comedes herbas terrae,* sive *agri,* quae in insipientium iumentorum pabulum conditae sunt.

postea vero et hominis et brutorum eaedem agrestes herbae in cibum traduntur.

Id tamen non tanto rigore accipiendum esse existimo, ut prohibitae intelligantur herbae humano generi convenientes fructusque arborum, qui ab initio dati fuerunt, sed ut iam diximus, ut indicaretur quid dignum esset homine peccatore, tum etiam quia huiusmodi herbae et fructus, quibus nunc homines vescuntur, non eius sunt perfectionis, voluptatis et delectationis, quales erant primitus dati: sed longe inferioris, ita ut adeo illi meliores his et excellentiores essent, ut hi illis comparati sint quales erant herbae, quae iumentis in pabulum datae sunt. Erant enim herbae illae gustu delectabiles ac periucundae: fructus autem pulcherrimi et suavissimi; nunc autem herbae quibus vescimur, insipidae sunt et iniucundae, ita quod condimentis egent plurimis, ne nauseam nobis efficiant et insipiditate sua gustum omnino insipidum ac molestum efficiant.

quarum qualitas iis comparata, quas terra ante peccatum producebat, longe deterior est.

In sudore vultus tui vesceris pane tuo, sive *in labore vultus tui comedes panem.* In paradiso illo amoenissimo et deliciosissimo ex omni ligno, uno excepto, comedisset homo[161] absque omni labore aut afflictione, sed cum omni delectatione tranquillae et iucundae quietis omnibus illis bonis potitus esset. Post peccatum vero adeo eius merito labori addicitur, ut si non laboret, non manducet[162]: *In sudore,*

***In sudore vultus tui,* etc. Quarta: homo, qui ante peccatum sine ullo labore vitam ducere poterat.**

160) Cf. cp. 1, pag. 203. 161) Cf. Gn 2, 16-17. 162) Cf. 2 Thess 3, 10.

post peccatum nonnisi cum labore cibum vitae necessarium obtinere potest.

inquit, *vultus tui vesceris pane* tuo. Panis autem appellatione non eam tantum escam intelligere debemus, quam vox illa primo importat, sed omnem escam et omne edulium; sic enim est vox hebraica in hoc loco: לֶחֶם, quae non solum *panem*, etsi eum primo tanquam hominis praecipuum et principalem cibum significat, sed omne etiam edulium et quidquid mandi potest; ita quod, sicut eo non intercedente peccato, omni esca et cibo absque ullo penitus labore, sed cum summa delectatione et voluptate potiturus ac perfuncturus fuisset; ita, eo perpetrato, nullus ei absque dolore et tristitia, labore atque sudore daretur ad victum.

Haec lex non singulis hominibus, sed omnibus universaliter lata fuit.

Haec tamen lex non adeo homini iniussa est, ut singulos quosque perstringat suo praecepto, sed homini, idest humano generi hominumque universitati praeceptum huiusmodi datum est, non singulis. Multi enim sunt inter homines vel aetate vel infirmitate imbecilles, qui corporalis exercitationis onera ferre non possunt, nec manibus laborare; quos nullo pacto dicendum est hoc esse astrictos praecepto, cum impossibilium nulla sit obligatio. Quapropter non singulis, sed universitati datum esse hoc praeceptum existimare debemus; quod autem communitati praecipitur, non ad singulos necessario spectat, sed satis est si a multis impletur ut decet [163]. Ideo praeceptum hoc humano generi datum satis est si impleatur ab his, qui valeant implere et quos nulla iusta ratio a labore manuum excusat, cum melioribus studiis non incumbant. Unde inter varios hominum status et conditiones discrimen servandum est. Nec enim decet principes ac saeculi potestates et rectores manibus laborare, sed digni sunt a subditis sustentari, quorum gratia curam illorum suscipiunt; quapropter ab Apostolo honorem, tributa et vectigalia iussa sunt eis dari [164], veluti qui Deo in eo ministerio serviant; quod si digne suum officium ministeriumque exerceant et ut aequum est impleant, digni sint etiam praemio aeterno.

Ideo non viget cum iustae causae adsunt a labore materiali excusantes.

Qui etiam studiis melioribus incumbunt, quales sunt qui spiritualibus exercitiis vacant die ac nocte, lectioni, meditationi, orationi, contemplationi, *psalmis, hymnis et canticis spiritualibus* [165], qui in lege

Sic qui lectioni et orationi in-

163) Ms.: *Et satis est* repetitur. 164) Cf. Rom 13, 6-7. 165) Eph 5, 19.

Domini meditantur die ac nocte in eiusque lege est eorum voluntas [166], si manibus non laborent, non propterea iure reprehendi possent, quia quod melius est faciunt et cum Maria *optimam partem* elegerunt [167]. Quare cum Martha [168] potius arguendi sunt qui eos reprehendunt et contra eos submurmurant et caninis latratibus detrectant.

cumbunt, hac lege non astringuntur, quia meliorem partem elegerunt;

Nam apud Gentes et apud Hebraeos consuetudo fuit, ut qui in lege Dei meditantur die ac nocte et partem non habent in terra, nisi solum Deum, aliorum hominum ministeriis foverentur. In Aegyptiorum sacerdotibus lex fuerat a rege statuta ut eis cibaria praeberentur, sicuti in *Genesi* legimus [169]; et levitis a Domino provisum est de decimis, quia in ministerio Arcae et Tabernaculi Domino inserviebant [170]. Et Apostolus sollicitissimam semper curam gessit ut in Ierusalem mitterentur benedictiones, idest eleemosynae in sanctorum usus ac subsidia [171]; quoniam ibi inhabitantes fideles, venditis omnibus, eorum pretia ad pedes Apostolorum posuerant [172], ut dividerentur singulis prout opus erat: et ipsi altissimam paupertatem, quae in divitias simplicitatis eorum abundavit [173], servabant, semper exercitiis spiritualibus incumbentes, orationi vacantes et Domino servientes in *hymnis et psalmis et canticis spiritualibus.* Propter quod omnes alias fidelium ecclesias hortabatur et rogabat Apostolus, ut illorum inopiae subvenirent in temporalibus, et ipsi ab illis iuvarentur in spiritualibus. Ita enim *ad Corinthios* scribit [174]: *Vestra abundantia suppleat illorum inopiam . . . , et illorum abundantia,* in spiritualibus, *vestrae inopiae sit supplementum, ut fiat aequalitas, sicut scriptum est : Qui multum non abundavit, et qui modicum non minoravit.*

quod semper observatum fuit tum apud Gentiles tum apud Hebraeos.

Primi etiam christiani, venditis omnibus, ad pedes Apostolorum pretium ponebant, ut liberius Domino servirent.

Quapropter qui melioribus exercitiis incumbunt, puta spiritualibus et divinis, corporalibus exercitiis et humano laboritio non tenentur: cuiusmodi sunt monachi et omnes, quos Religiosos vulgari voce nuncupamus, quoniam in ministerio ecclesiastico et exercitiis spiritualibus Deo ministrant in sancta lectione, contemplatione, hymnis et psalmis. Quod si ad haec exhortatio et praedicatio,

Ideo qui in ministerio spirituali Deo inserviunt, a labore materiali iure eximuntur.

166) Cf. Ps 1, 2. 167) Lc 10, 42. 168) Cf. ibid. vr. 41. 169) Cf. 47, 22.
170) Cf. Nm 18, 21-24; Dt 18, 1 sqq. 171) Cf. Rom 15, 25-26. 172) Cf. Act 4, 34-37.
173) Cf. 2 Cor 8, 2. 174) Ibid. vrr. 14-15. Vulg.: *Illorum inopiam suppleat.*

cura ac superintendentia in regimine addatur, aequissimum multo fortius est, ut his provideatur de victu, ne teneantur manibus laborare, quemadmodum Apostolus dixit[175]: *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et in doctrina ; dicit enim Scriptura : Non alligabis os bovi trituranti ;* et: *Dominus ordinavit eis, qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere, et qui altari deserviunt* ut *cum altari participent*[176].

Unde frustra contra hos garriunt haeretici, verba et exemplum D. Pauli adducentes.

Unde frustra garriunt haeretici[177], qui virulento odio in Regulares accensi, eos de otio suggillant cunctosque vituperant, qui ad parandum sibi victum non laborant propriis manibus, hunc locum in medium adducentes Paulumque apostolum proferentes, quod manuum laborem plurimum commendarit et in seipso exemplo ostenderit, qui et de seipso dicebat: *Laboramus operantes manibus nostris*[178]*:* et in *Actis Apostolorum*[179] *: Ad ea, quae mihi opus erant . . . , ministraverunt manus istae ;* atque in hoc seipsum exemplum praebuerit, quemadmodum ipse dixit: *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore et . . . fatigatione nocte ac die operantes . . . , ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos*[180]. Unde huiusmodi laboris *Thessalonicenses*[181] instruxit, dicens: *Rogamus . . . ut operemini manibus vestris, sicut praecepimus vobis :* et in alia epistola[182]: *Si quis non vult operari, non manducet.*

Ipsi enim D. Paulum non intelligunt, qui in cunctis pene epistolis praecipit collectas fieri in solatium sanctorum.

At isti omnia confundunt et D. Paulo, quem proferunt, abutuntur magis, quam intelligant. Nam etsi D. Paulus ea potestate manducandi et bibendi et non operandi uti noluit, ne offendiculum daret Evangelio Christi[183], non ob id reprehendit utentes; sed potuisset uti, salva Christi gratia. In priore *ad Corinthios* epistola[184] manifeste declarat, cum esset *apostolus et doctor gentium*[185], et in cunctis pene epistolis suis, ut D. Hieronymus *contra Vigilantium* declarat[186], praecipit per unam sabbati omnes conferre debere in solatium sanctorum[187].

175) 1 Tim 5, 17-18. 176) 1 Cor 9, 13-14. Vulg.: *Participant.* 177) Cf. S. Thomas Opusc. 16 *Contra Impugnantes Dei Cultum et Religionem*, t. 19, pag. 136 sqq.; Opusc. 18 *Contra Pestiferam Doctrinam Retrahentium Homines a Religionis Ingressu*, ibid. pag. 460 sqq.; S. Bonaventura *Apologia Pauperum*, t. 8, pag. 232 sqq.; Raynaldi Mansi *Annales Eccles.*, an. 1259, t. 3, pag. 41-42; Natalis Alex. *Historia Eccles.*, cp. 3, tit. 7, t. 8, pag. 79.
178) 1 Cor 4, 12. 179) 20, 34. 180) 2 Thess 3, 8-9. 181) 1 Thess 4, 10-11.
182) 2 Thess 3, 10. Vulg.: *Nec manducet.* 183) Cf. 1 Cor 9, 12. 184) Cf. 16, 1-3.
185) 1 Tim 2, 7. 186) P. L. 23, 349. 187) Cf. Rom 15, 25-26 ; 2 Cor 8, 1-4 ; 9, 1-2 ; Gal 2, 10.

Nec in illis omnibus locis, quos isti adducunt, laborem manuum Apostolus omnibus praecipit, sed illis quibus non est melioribus studiis incumbendi cura imposita et officium[188]; consulit tamen omnibus ne otio torpeant. Inficiari enim non possumus plures esse qui, cum abundent, nec ulla premantur penuria, vitam ducant curiosam, absque ullo labore, curiosi, voluptuosi, nihil penitus neque spiritale, neque liberale, neque mechanicum operantes: sed aut ludis, aut musicis, aut quibuscumque aliis vanitatibus mancipantur et in ea studia, quae ad voluptatem magis attinent et delicias, omnem operam insumunt. Sed redeamus ad Prophetam.

et laborem manualem iis tantum praecipit, qui melioribus studiis et officiis non incumbunt.

Donec revertaris in terram, de qua sumptus es; quia pulvis es et in pulverem reverteris. Ostendit Dominus perpetuis laboribus usque ad mortem hominem esse obnoxium: *Donec revertaris ad terram, de qua sumptus es*, vel, secundum hebraicum, *quia de terra sumptus es.*

***Donec revertaris in terram,* etc. Quinta: mors.**

Rabbinus Abrabanel hunc locum ad maledictionem terrae refert[189] ex aliorum sensu, quod scilicet terra maledicta fuit quandiu Adam vixit; postquam autem mortuus est, non fuit amplius maledicta, sicut fuit in vita eius; sicut dicitur in Noe: *Iste consolabitur nos ab operibus* nostris *et a labore manuum nostrarum de terra cui maledixit Dominus*[190]. Et post diluvium dixit: *Non adiiciam ultra maledicere terram propter hominem*[191]. Et Aben Ezra inquit[192] super maledictione, quod « maledicta est propter hominem primum – et ita fuit quod post mortem eius comederunt homines de fructibus arborum et ex eis prosperati sunt et fortificati virtute, – propter consumptionem maledictionum, quas accepit plusquam venientes post ipsum, quia ipsemet fuit peccans et transgrediens praeceptum Dei et ideo fuit conveniens, ut ipse puniretur plusquam filii eius et semen eius ». Ipse vero tenet quod haec verba declarent terminum temporis doloris et laboris hominis, et quod sit quinta maledictio, scilicet mors.

Expositiones Rab. Abrabanel

et Aben Ezrae.

Homo enim naturaliter mortis et corporeae carnis huius molis debitor est resolutionis. Etsi enim, illo non intercedente peccato, nunquam mortuus fuisset, illud tamen ex dono gratiae fuisset, non ex conditione naturae; erat enim ex contrariis elementis compositus,

Mors homini naturalis est, quia contrariis elementis componitur corpus eius;

188) Cf. 1 Thess 4, 11; 2 Thess 3, 12. 189) Op. cit. f. 31a. 190) Gn 5, 29. Vulg.: *Et laboribus... in terra.* 191) Ibid. 8, 21. 192) Op. cit. f. 5a.

sed dono gratiae immortalis erat secundum carnem.

quae in seinvicem agunt et patiuntur: quapropter seipsa possunt corrumpere. Unde ex naturae conditione nihil ex illis constans potest esse perpetuum et immortale; ideo infertur: *Quia pulvis es et in pulverem reverteris*, idest ex limoso pulvere conflatus es et constas secundum carnem et non secundum animam, cui est a Deo coelestis origo, et ideo secundum carnem cum sis compactus ex pulvere, in pulverem te resolvi necesse est. Mors ergo naturalis est homini secundum carnem, etsi non peccans mortuus non fuisset, quia ex gratuito beneficio Dei terrena haec nostra compago ab excellentiore hominis parte, quae de coelo venit, fuisset ab omni corruptione servata perpetuoque vixisset. Post peccatum vero *statutum est omni homini semel mori* [193]: per peccatum enim introivit mors in orbem terrae et in omnes homines [194], ita quod nec unus quidem possit hoc mortis supplicium evadere ob peccatum inflictum.

Post peccatum vero lex mortis in omnes absolute lata est, quia omnes peccaverunt.

Animadvertendum autem summopere est in omnibus his malis, quae homini ob peccatum inflicta sunt, quae bonorum temporalium et corporalium, quae in terrestri paradiso possedisset homo, privationes et deperditiones videntur, debere nos principaliter bonorum spiritualium et coelestium amissionem intelligere; sicut in bonis temporalibus, quae Deus in Veteri Testamento [195] in virtutum et bonorum operum praemia iustis promittebat [196], bona spiritualia gratiae et gloriae intelligimus; et in malis, quae in vitiorum et malorum operum vindictam impiis et peccatoribus minabatur, aeternas poenas: cum bona opera ex caritate facta non possint merito et ut par est bonis temporalibus praemiari, quae multo inferiora sunt: nec peccata temporalibus malis debite puniri, cum aeternas poenas mereantur. Ita ergo hic quoque in illorum bonorum deperditione bonorum spiritualium gratiae et gloriae amissionem primo debemus intelligere: et in horum malorum inflictione spiritualium malorum incursum et inflictionem, peccati scilicet et aeternae poenae reatus, cuius omnes nos rei sumus, quandiu per Christi gratiam non simus eius peccati, quod simul cum natura e matris utero a conceptione nobiscum trahimus, sordibus abluti.

Per has poenas temporales spiritualia mala primo intelligenda sunt,

et principaliter poena aeterna, quae cum peccato simul a Christo auferenda erat.

Quapropter probabilissimum mihi et rationi valde consentaneum

193) Hebr 9, 27. Vulg.: *Statutum est hominibus*, etc. 194) Cf. Sap 2, 24; Rom 5, 12.
195) Cf. Ex 20, 6 sqq.; Dt 7, 9-15; 30, 8-10; Iob 42, 10-16. 196) Ms.: *Deus* repetitur.

videtur dicere talem reatum primo, principaliter ac proprie primaevi illius peccati poenam esse inflictam, ad quam Dominus Deus noster Iesus Christus, Filius Dei, venturus erat delendam simul cum ipso peccato; omnia autem ea mala, quae nunc legimus et experimur, non poenas proprie illius esse peccati, sed novi cuiusdam pacti conditiones, quod Deus cum homine post illud perpetratum peccatum statuit, quae a peccato quidem veniunt et parta sunt originemque traxerunt; quatenus si peccatum illud non intercessisset, neque haec futura aliquando quoquo pacto fuissent, neque in hoc miseriae atque exilii novo statu nos Dominus collocasset: sed in priori mansissemus omni ex parte felices.

Cetera mala, quibus affligimur, non poenae illius peccati, sed novi pacti conditiones sunt, quod Deus cum homine lapso statuit.

Et huius rei fidem id mihi magnopere comprobat, quod cum Dominus noster Iesus Christus, Dei Filius et verus Deus de Deo vero, venerit ad primi illius peccati poenam simul cum ipso peccato delendam, per eius gratiam in sacramento Baptismatis receptam omnis primaevi illius peccati originalis reatus tollitur. Nos vero per Christi gratiam tum a peccato tum ab eius reatu liberati, his adhuc poenis affligimur, labore scilicet, sudore, fatigatione, fame, siti et aliis innumeris incommodis et tandem morte. Sunt ergo omnia haec mala non propriae originalis peccati poenae, sed novi pacti, quod Deus cum homine post peccatum statuit, conditiones. Sicut enim in primaevo statu pactum cum eo pepigerat ut, si de illius arboris fructu non gustaret, immortalitate potiretur perpetuo et ceteris quibuscunque bonis illius deliciosissimi paradisi, ita quod, quantumcunque peccasset, illa tamen bona nunquam amisisset, quandiu de fructu illius arboris non comedisset; ita pari modo, postquam peccavit et *de ligno . . . scientiae boni et mali* [197] comedit, pactum hoc cum eo pepigit ut, postquam noluerit priori sorte contentus esse, secundi pacti legibus perpetuo subiaceret, ut scilicet cum dolore et labore vitam duceret mortique esset obnoxius ac demum moreretur: et quantumcunque in hoc statu gratiam ei gratum faciens a Deo largiretur, nunquam tamen ab huius secundi pacti legibus et conditionibus eximeretur easque effugeret; sed eis perpetuo obnoxius et subiectus maneret.

Nam per Baptismum liberamur a peccato et poena aeterna, non autem a malis naturalibus.

Sicut prius pactum fuerat ut, quandiu Adam ex ligno vetito non comederet, omnia illa bona non amitteret;

sic nunc novum constitutum fuit, vi cuius dolori, labori et morti homo subiicitur.

197) Gn 2, 17.

Vr. 20 *Et vocavit Adam nomen uxoris suae Eva, eo quod mater esset cunctorum viventium.*

Hebraicus Textus: *Et vocavit Adam nomen uxoris suae Chava, quia ipsa fuit mater omnis viventis.*

Chaldaeus Paraphrastes: *Quia fuit mater omnium filiorum hominum.*

Septuaginta: *Et vocavit Adam nomen uxoris suae vitam.*

Et vocavit Adam nomen uxoris suae, etc. Eva, quae ante peccatum *virago* vocata fuerat, postea *mater viventium* appellatur;

Cum in primaevo statu absque adiutorio sibi simili esset primus homo, Dominus Deus formatam et ex viri sopore oppressi costa desumpta[198] aedificatam mulierem ad ipsum Adam adduxit, ut videret quid vocaret eam. Quam cum vidisset et a se sumptam cognovisset, amavit plurimum eique proprium fere nomen dedit, dicens: *Haec vocabitur virago*, seu *vira, quia de viro sumpta est*[199]. Post peccatum vero aliud ei nomen indidit et, iam sententia mortis accepta, vocat eam *Evam*, seu *Chavam*, idest *vitam*, quia *cunctorum esset mater viventium.* Certe non videtur hic locus undequaque constans et clarus: potius enim mors morientiumque mater dici debuisset, quam viventium, cum iam mortis sententia in omne hominum genus lata esset et ipsa quodammodo potissima mortis huius reatus causa extiterit. Deinde cur nomen istud de novo imponitur cum primum esset appositissimum?

non quod antea nescierit Adam per eam genus humanum propagandum esse,

Multi Hebraeorum sapientes, ut Rabbinus Abrabanel hic refert[200], huius causam afferentes « dixerunt quod, cum primo ad virum adducta est ipsa mulier eique data, existimavit Adam quod esset in societatem suam et in adiutorium suum, non in coniugium et ad gignendum filios. Veruntamen quando dictum est mulieri in maledictione sua: *Multiplicans multiplicabo dolorem tuum et conceptum tuum:* tunc cognovit Adam quod data esset ei in coniugium et generationem filiorum, et propter hoc post maledictionem vocavit nomen eius *Chava*, ut esset *mater omnis viventis*, quasi declaratum esset quod hic finis est eius, scilicet quod gigneret et *mater esset cunctorum viventium*, idest omnium filiorum saeculi, et esset *mater omnis viventis* secundum viam, qua ingreditur omnis caro viventis. Et caro in his versibus est secundum speciem hominis, non autem se-

198) Cf. Gn 2, 21. 199) Ibid. vr. 23. Vulg.: *Quoniam de viro*, etc. 200) Op. cit. f. 31ª.

cundum species reliquorum animalium: et propter hoc in principio vocavit nomen eius *virago*, seu *vira*, quasi exprimeret compositionem et formationem eius; nunc autem, post peccatum, vocat nomen eius propter generationem.

Sed hoc non placet. Nam fuit Adam magnus sapiens et sciens, nec quidquam naturalium fuit ignotum ei, nec fuit absconditum ab eo quod virtus et natura mulieris esset ad gignendum filios et quod femina eius esset propter generationem, sicut feminae aliorum animalium; nam ipse imposuit nomina omnibus animantibus[201] iuxta veritates naturarum ipsorum ». quippe qui sapientissimus, bene nosset finem ob quem mulier creata erat;

Non satisfacti ergo huiusmodi expositione, aliam in medium afferamus: *Et vocavit Adam nomen uxoris suae Evam*, idest *vitam*, seu *viventem*, hac tamen vita misera et mortali, *eo quod* ipsa *esset mater cunctorum viventium*, quia nullus post eam natus est vel conditus sine muliere. Nam ante ipsam formatus est Adam a Deo sine muliere; et ipsa mulier de viri costa aedificata est a Deo pariter sine muliere; post ipsam vero nullus fuit aut futurus est homo absque muliere. Omnes enim qui iuxta consuetum naturae cursum in hunc mundum nascuntur homines, ex viro et muliere sunt, uno excepto Domino nostro Iesu Christo, qui absque viro per solam mulierem factus est divina virtute et Spiritus Sancti operatione. Quapropter convenientissime dicta est Eva *omnium viventium mater*, magis quam si Adam omnium diceretur viventium pater. Etsi enim omnes homines ex patre nascuntur et matre, secundum praefinitos naturalis legis terminos statutaque iura, Dominus tamen noster Iesus Christus, Dei Filius et verus ac perfectus homo, ex muliere tantum natus est et non ex viro ; unde matrem quidem in terra habuit, patrem tamen non habuit terrenum, sed coelestem secundum divinam naturam, non secundum humanam. Quapropter cum mulier non solum mater extiterit omnium ceterorum hominum, quorum et primus homo pater, verum etiam et unici illius et singularissimi[202] hominis parens, parturiens et pariens fuerit, meritissime *omnium viventium mater* dicitur. sed sic eam vocat, quasi indicans quod ex viro et muliere omnes descensuri erant per generationem, uno excepto Iesu Christo, qui ex sola muliere natus est; quae proinde meritissime dicitur *cunctorum viventium mater*,

Nec tamen putandum est huiusmodi nomen mulieri secundo impositum primum destruere: sed utrumque illi convenit. Et primum

201) Cf. Gn 2, 19-20. 202) Ms.: *Singularissimo*.

Ideo utraque mulieris apellatio verissima est.

quidem ob suae conditionis aedificium; ita enim dictum est: *Haec vocabitur virago*, seu *vira, quia de viro sumpta est :* secundum vero quatenus omnes filii hominum, idest omnes homines ex illa descensuri erant. Unde hoc illi nomine imposito, statim causa redditur; ait enim: *Et vocavit nomen uxoris suae Eva*, idest *vitam, eo quod esset mater cunctorum viventium*, idest *omnium filiorum hominum.*

Secundum Targum haec expositio verissima est et valde consona litterae, quam et Chaldaeus Paraphrastes probat et omnes Doctores Sancti amplectuntur.

Alia expositio huius loci, a Rabbino Abrabanel allata.

Non tamen omittam expositionem quamdam huius loci, quam apud Rabbinum Abrabanel legi. Ita enim locum hunc interpretatur [203]: *Et vocavit Adam nomen uxoris suae* חוה, *quia ipsa esset mater* כל־חי. Antequam autem eius expositionem adducam, operae pretium duxi has duas voces explicare. Primo nomen mulieris. Id nomen, iuxta communem sententiam, a radice: חיה, quod vitam sonat, deducitur; alioquin autem radix propria verbi est: חוה, et significat annuntiare, manifestare, indicare. Altera vero vox, idest חי, vivens quoddam significat, sed vita sensus, non rationis; unde frequentissime in Sacra Scriptura ea voce bruta et bestiae significantur [204]. Iste ergo doctor accipiens has dictiones in secundo significatu eorum, sic exponit hunc locum: « Vidit, inquit, Adam omne malum quod ipsum insecutum est ex verbis mulieris et propter persuasionem eius, et poenituit eum quod vocaverit nomen eius אשה, idest *virago*, seu *vira*, quia vidit quod esset similis sibi, qui erat vir, et ipse sicut illa; et ideo postquam maledictus est propter illam, vocavit eam חוה, idest loquens, ex lingua indicantis seu manifestantis, vel annuntiantis scientiam. Expecta parum et indicabo tibi. Et dixit: ex quo est in natura eius voluntas ut assimilaretur animalibus, sicut

203) Op. cit. f. 31b. 204) Cf. Gn 1, 20-21; 2, 19; 37, 20; Lv 17, 13; Ez 1, 20; Dn 7, 12. חיה *vitam* in genere significans, habetur in pluribus S. Scripturae locis; ex. g. Gn 20, 7; 42, 2; Prv 4, 4; 7, 2; Ps 117 (hebr. 118), 17: *Non moriar*, כִּי־אֶחְיֶה, *sed vivam;* Ps 118 (hebr. 119), 77: *Veniant mihi miserationes tuae* וְאֶחְיֶה, *et vivam*, etc.; expresse *vitam animalem*, Gn 8, 17; 37, 20; Lv 17, 13. Cf. David Kinchi op. cit. sub hac radice, et Pagnini op. cit. sub eadem voce, col. 678. חוה *annuntiare* significans, Ps 18 (hebr. 19), 3: *Nox nocti* יְחַוֶּה, *indicabit scientiam.* Cf. Pagnini op. cit. sub hac radice, col. 641.

fecit in impostura serpentis, quod voluit comedere de ligno, sicut ipse comedebat, et fuit mater omnium animalium diligens animalia, quibus similes sunt filii eius, et propterea magnifecit intelligere in operibus eorum. Ac si, inquit, quemadmodum animal in sorte scientiae est, haec in veritate seu mensura formationis vel expressionis animalium; verum cum sit de specie humana, est magis gloriosa, seu honorabilis illis, et illa aequum est ut serviant ipsi ac si ipsa esset mater omnium animalium. Includit omnes species animalium, et est possibile exponere: quoniam ipsa est mater omnis animalis propter rationem; ac si dicat quod fuit Eva in quantum loquens, seu rationalis, quod ipsa in hoc esset mater omnium animalium excellentior ».

Expositio ergo huius doctoris est, quod ad opprobrium et perpetuam mulieris confusionem huiusmodi nomen illi sit a viro impositum, eo quod locuta sit ex sententia diaboli, qui ei scientiam boni et mali indicavit et annuntiavit, et quod filii eius, qui ex ea nascituri erant, veluti bestiae futuri essent, cum ipsa concupierit animalibus assimilari.

Iuxta quam ad solam mulieris confusionem et opprobrium hoc nomen illi impositum fuit.

Vr. 21 *Fecit quoque Dominus Deus Adae et uxori* [205] *eius tunicas pelliceas et induit eos.*

Textus Hebraicus: *Et fecit Dominus Deus Adam et uxori eius tunicas corii*, sive *pellis et induit eos.*

Chaldaeus Paraphrastes: *Et fecit Deus Adam et uxori eius vestes honoris super pellem*, seu *cutem carnis eorum et induit eos.*

Septuaginta vero *vestes coriaceas* transtulerunt.

A doctoribus Hebraeorum diversimode locus iste interpretatur. Rabbinus Isohac, *in Bereshit Rabba*, ita exponit, quod de lino fecit Deus illis tunicas ad operiendum pellem, sive cutem eorum et membra eorum. Rabbinus Samuel inquit quod lana leporum et lana camelorum fuit eorum vestis, et dicuntur vestes pelliceae, quia veniunt a pellibus animalium; ita quod tunicae eorum non fuerunt de lino, sed de lana animalium. Hos refert Rabbinus Abrabanel; ipse vero aliter [206].

***Fecit quoque Dominus*, etc. Variae expositiones iuxta doctores hebraeos.**

Nos vero ita exponimus, iuxta Sanctorum Doctorum sententiam

205) Vulg.: *Uxoris.* 206) Op. cit. f. 31ᵇ.

Deus fecit illis tunicas ex pellibus animalium tum ad nuditatem contegendam tum ad defendendum corpus ab aeris iniuria.

et multorum etiam Hebraeorum [207]. Cum eiecturus esset Deus hominem in peccati supplicium de paradiso voluptatis, cuius loci aer aequabilissimus erat et temperatissimus, in locum ubi aeris iniuriis afficeretur, necessarium duxit non nudum eiicere, sed vestitum ut, quoquo modo posset, illum ab aeris iniuria et intemperie tueretur. Vidit enim perizomata, quae ipsi sibi consuerant ad effugiendum nuditatis ruborem et confusionem, futilia et inepta omnino esse tum ad nuditatem contegendam tum ad defendendum eos a frigore aerisque intemperie eius loci, in quem eos eiicere disponebat. Quapropter ad vestiendum eos tunicas pelliceas fecit; non perizomata eis fecit, sicut ipsi sibi fecerunt, sed tunicas, quibus non partes tantum corporis pudendas contegeret, sed totum corpus; et has non ex foliis ficus consutis, sed ex corio et pellibus animalium: ac taliter eos vestivit, qualiter ipsi ex seipsis se vestire nescissent.

Dicitur Deus ipse eas tunicas fecisse, quia factae fuerunt non instrumento aliquo, sed voluntate Dei.

Et adhuc factae sunt huiusmodi vestes absque instrumento et faciente coniunctiones, propterea fuit opus divinum; et factae sunt in voluntate Dei simpliciter, sicut res quae factae sunt in principio creationis et allatae sunt ad eum, ut bene dicitur in dicto hoc: *Et fecit Dominus Deus Adam et uxori eius tunicas pelliceas* et vestivit eos: quia in sermone et voluntate Dei factae sunt. Nisi forte dicamus Deum primis illis hominibus vestes pelliceas fecisse, quia cum ipsi perizomata ex foliis ficus sibi consuissent, quae apta ad servandum corpus non erant a noxiis, quae imminebant, et a verecundia, ille eis ostendit interius et docuit, ut animalia bruta occiderent et ex eorum pellibus vestes sibi efficerent congruentiores; ut ita dicatur Deus illas fecisse, quia eas primos homines facere docuit et unde efficerent ostendit et faciendum sibi esse monuit, cum sibi omnino opus esset vestibus tum ad honestatem servandum tum ad corpus tuendum a noxiis.

Vel forte quia Deus ipse primos homines docuit vestes congruentes sibi comparare;

Non enim more ceterorum animalium, salva sua honestate, nudus manere potuisset, quae in hac parte hominem antecellere quoquo pacto dicuntur, quod natura illis idonea providit, nec vestibus aliis indigent ad corporis tutelam, sed ea sat sunt quae illis natura indumenta donavit. Homo autem indiget propter utrumque et ad

quibus non indiguissent si non peccassent, quia iustitia originalis pro tegumento et

207) Cf. Rab. Salomon et Aben Ezra, qui referunt varias Hebraeorum opiniones, op. cit. f. 6a; Ginzberg *The Legends of the Jews*, V, pag. 103-104, not. 93.

honestatem et ad tutamen corporis. Quapropter haec vestimentorum indigentia in illa primaevi status integritate nullo modo futura aliquando fuisset, si Adam in sua iustitia perstitisset nec peccatum illud intercessisset: alioquin deterioris conditionis homo fuisset quam cetera animantia; sed iustitia ei, illam originalem dico, de qua supra sermonem habuimus [208], pro tegumento et divina assistentia, pro defensione et omnis mali propulsione semper adfuisset. Vestimentorum ergo indigentia et necessitas in hoc Dei opere significata est. *defensione optime serviebat.*

Eos autem ex animalium mortuorum pellibus vestivit, non ab re, sed magna cum ratione. Et primo quidem: ut ex illa vestium qualitate agnosceret homo qualem se per peccatum effecerit. Cum enim ea, quibus irrationalia pecora vestiebantur, homini in vestimentum accommodarit, hominem certe ob peccatum in pecus quoddam, detestanda quadam metamorphosi, conversum esse ostendit. *Homo* enim *cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis* [209]; quapropter post peccatum herbas terrae, quae in iumentorum pabulum erant, ei in cibum tribuit et nunc eorum quoque indumento eum vestit. Secundo vero: cum pelles essent mortuorum animalium, facto eum et nos cum eo et in eo instruxit mortales esse et morti ob peccatum destinatos; atque ut recordaremur semper et nos aliquando esse morituros, sicut et animalia illa, ex quorum pellibus illis vestimenta confecit. Tertio: in hoc opere facto ipso ipse Deus ostendit quidquid in vestibus extra necessitatem et status decentiam ad magnificentiam, splendorem et vanitatem curatur, non carere peccato. Demum: ut Christus, qui eis redemptor repromissus est mulieris semine, figuraretur, qui in animalium sacrificiis praesignatus semper fuit, per cuius mortem gratia divina, quam amiserant, et iustitia debebant homines vestiri et ad finem supervestiri gloria.

Vestes ex pellibus animalium erant, ut agnosceret homo se ob peccatum in pecus quodam modo conversum; ut recordaretur se moriturum; ut intelligeret vestes esse ad necessitatem, non autem ad vanitatem, et ut Christi mors praefiguraretur.

Existimo autem ego Deum, cum primos illos homines docuit ut animalia occiderent et ex eorum pellibus se vestirent, docuisse etiam ut occisa illa animalia in divinum honorem sacrificarent; cum clarissime constet in Sacra Scriptura animalium sacrificium viguisse in primis illis hominibus [210], quae illi in odorem suavissimum Domino

Existimandum videtur Deum docuisse primos homines animalia ab ipsis occisa

208) Cp 2, pag. 249 sqq. 209) Ps 48, 13. 21. 210) Cf. Ex 13, 1; 22, 29-30; 34, 19-20; Lv 6, 1-7, 1 sqq.; 27, 26; Nm 3, 13; 8, 16-17; 18, 15; Dt 15, 19.

sacrificare in divinum honorem, cum esus carnium tunc eis permissus non esset.

offerebant, sicut in sacrificio Noe apparet[211] et etiam primi iusti Abel oblatione[212], qui de primogenitis et pinguibus gregis sui obtulit sacrificium Domino. In illis autem sacrificiis Christus principaliter significabatur, praefigurabatur et immolabatur pro primi hominis piaculi redemptione[213]. Puto etiam genus illud sacrificii holocaustum fuisse, ita ut carnes omnes igne comburerentur et consumerentur in divinum honorem, cum esus carnium tunc illis hominibus adhuc non esset permissus usque ad Noe[214].

Vr. 22 *Et ait : Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum ; nunc ergo, ne forte mittat manum suam et sumat etiam de ligno vitae et comedat et vivat in aeternum.*

Textus Hebraicus : *Et dixit Dominus Deus : Ecce Adam fuit quasi unus ex nobis ad sciendum bonum et malum; nunc ergo,* etc. *et vivat in saeculum.*

Chaldaeus Paraphrastes sic: *Ecce Adam fuit unicus meus,* sive *unigenitus meus in saeculo,* sive *aeternitate ex meipso ad sciendum bonum et malum et vivat in saeculum.*

Targum Ierosolymitanum : *Ecce Adam rationalis est solus in medio saeculi, quemadmodum ego solus in coelo sursum ; futuri sunt populi multi ad surgendum ex eo ; ex eo surget populus, qui sciet discernere inter bonum et malum; et sic bonum est ut eiiciatur ab horto Heden, antequam extendat manus suas et sumat de fructu ligni vitae et vivat in saeculum.*

***Ecce Adam quasi unus ex nobis,* etc. Ironiam amarissimam verba haec includunt, cum Deus hominem pellibus animalium indutum irridens, quasi unum ex diis factum praedicat.**

Hunc locum nos ita exponimus, etsi diversimode ab Hebraeis exponatur. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum.* Ironia est alludens ad illud quod serpens dixerat: *Eritis sicut dii scientes bonum et malum.* Quapropter, sicut supra diximus[215] quod ibi: *Eritis sicut dii,* potest ad Deum ipsum [referri], sive ad divinas Personas, et ad angelos quoque ac magnos sapientes, sive spiritus superiores: ita nunc quoque in eo quod dicitur: *Quasi unus ex nobis :* vel ad divinas Personas referri potest, vel ad angelos et spiritus superiores, sicut et multi Hebraeorum exponunt[216]. Ironia autem huiusmodi amarissima fuit, quoniam cum pellibus mortuorum pecudum

211) Cf. Gn 8, 20. 212) Cf. ibid. 4, 4. 213) Cf. Hebr 9, 9 sqq. 214) Cf. cp. 1, pag. 203. 215) Pag. 267. 216) Cf. Rab. Salomon et Aben Ezra op. cit. f. 6a.

illum induisset, ut ostenderet facto hominem per peccatum belluis similem factum esse, tunc irridens obiicit quasi unum ex diis factum esse: *Ecce*, inquit, *Adam*, qui ex serpentis persuasione diis assimilari appetiit et ob id meum est praeceptum transgressus, quam gloriosus deus effectus est, quam sapiens et sciens bonum et malum! Imo, qui deus huius mundi ac dominus erat, praeses meus meamque in mundo gerens personam, pecudibus similis factus est!

Hanc Dei obiurgationem tamen Adam patienter sustinuit propter spem futuri Redemptoris, in quo reapse homo una persona cum Verbo Dei factus est.

Certe verbum hoc Dei gravis obiurgatio est. Nunc autem in maximum gaudium et nostram consolationem versum est, quoniam homo verissime quasi unus ex diis, idest ex divinis Personis effectus est in Christo, in quo homo factus est Deus, una persona cum Verbo Dei, cum Filio Dei, cum vero Deo. Quod quidem nec primum hominem latuit, sed ei primo gaudium hoc repromissum est; quapropter obiurgationem illam, etsi gravem, patienter tamen sustinuit propter spem futuri gaudii.

***Nunc ergo ne forte mittat manum*, etc. Deus hominem e paradiso eiicit, non quasi timens ne ex ligno vitae comederet,**

Verum quia nondum tali gaudio dignus erat, prius in peccati poenam ex illo amoenissimo paradiso eiiciendus erat: *Nunc ergo, ne forte mittat manum suam et sumat de ligno vitae et comedat et vivat in aeternum.* Sermo hic mutilus est et intelligendum est, quod T a r g u m I e r o s o l y m i t a n u m supplet: *Nunc ergo bonum est*, sive *conveniens ut eiiciatur de paradiso voluptatis, ne forte mittat manum suam;* quod cum eo quod sequitur est valde consonum: *Et emisit eum de paradiso et posuit custodiam viae ligni vitae.* Intelligenda vero existimo in his verbis divina sententia de eiiciendo homine e paradiso simul cum ironia et gravi exprobratione: *Nunc ergo, ne forte mittat manum suam*, etc. Quo metu potuit Deus teneri ne homo ex illo paradisi ligno comederet et viveret in aeternum, ut ex hoc hominem curaret inde expellere? Nonne alio remedio providere valuisset, quam expellendo? Verum quia indignus erat homo, qui illis deliciis et amoenitate frueretur vitaque longiore potiretur, hominem expellendum inde lata sententia praecipit ipsumque gravi ironia pungit: *Nunc ergo, ne forte sumat de ligno vitae:* quia, inquit, *Adam quasi unus ex nobis factus est sciens bonum et malum*, etiam invitis nobis et invidentibus, curandum nunc sedulo est ne tanta eius dignitas et maiestas in aeternum duret. Itaque expellamus eum de paradiso ne forte pari audacia, qua iam misit manum suam et accepit de ligno illo scientiae, clam nobis *sumat* quoque *de ligno vitae et comedat et vivat*

sed quia indignus erat paradisi deliciis frui.

in aeternum. Etsi ergo sententia in his verbis lata in hominem verissime simul ac severe, iuste tamen, executa est, verba tamen accipienda sunt veluti ironice dicta.


De ligno vitae comedendo, homo perpetuo vixisset si non peccasset, ex virtute quam illi cibo Deus indiderat,

At dicet quis: num si ex illo vitae ligno comedisset homo, vixisset perpetuo? Id enim videntur haec verba praetendere: *Ne forte sumat de ligno vitae et comedat et vivat in aeternum.* Certe illius arboris hanc existimarim suapte natura fuisse virtutem, ex Dei tamen beneficio, ut vitam humanam servaret incolumem. Quapropter cum aliae arbores in cibum illis traditae essent ad reparandum primigenium humidum vi caloris deperditum, haec in medelam potius quam in cibum creata fuit, ut de eius fructu sumentibus virtus speciei confirmaretur et praeservaretur ab omni defectu; ut per caloris actionem et humidi deperditionem extraneique humidi adventum non imminueretur bonitas primigenii humidi, nec calor labefactaretur ex pabuli defectu, fiebatque per huius fructus virtutem, ut bonum satis aeque restauratum humidum ac deperditum esset. Itaque veluti medela quaedam erat adversus debilitationem, quae nunc ratione nutrimenti evenit, sicque diuturna vita perfunctus fuisset homo, Dei sibi non adversante sententia.

quam post peccatum abstulit, non tamen totaliter;

At post peccatum citra omnem haesitationem dicimus quod, cum *statutum* esset homini *semel mori,* Dei sententia in eum lata ut reverteretur in terram, de qua sumptus erat, quia pulvis erat et in pulverem reverteretur: quantumcunque ex illo vitae ligno comedisset, nunquam tamen eius ligni nutrimento id assequi potuisset, ut perpetuo viveret ac nunquam moreretur; quoniam cum et illius ligni nutrimentum per vim caloris in hominis substantiam convertendum esset, certe non absque aliquo caloris detrimento id factum fuisset: siquidem omne agens in agendo suapte natura repatitur; eo maxime quod etsi naturae amicissimum alimentum illud fuisset, erat tamen dissimile in nutritionis principio et per caloris actionem substantiae aliti debebat omnino assimilari; in ea tamen actione nonnihil, etsi modicum, passus calor fuisset, etsi tamen perquam mirum esset continuus, tamen defecisset. Poterat tamen ex illius ligni nutrimento, ob perfectionem illius, eius vita protendi in longius ac diuturnior fieri; atque id est quod hic *aeterni* voce significatur; unde in hebraeo habetur: *Et vivat* לְעֹלָם, *in saeculum.* Non enim ea vox aeternitatem pro-

quia etiam post peccatum illius fructus perfectione vita longius protendi poterat.



FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII MAGNITUDINE NATURALI

prie significat, ut ex Aben Ezra supra notavimus [217], sed temporis diuturnitatem cum termino.

Vr. 23 *Et emisit eum Dominus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est.*

Et emisit eum, etc. E paradiso emittitur in eum locum, ubi formatus fuerat, ut eam terram excoleret et prae oculis haberet, de qua sumptus et in quam reversurus erat.

Non recessit, non emigravit Adam ex illo paradiso, sed eiectus est: *Et emisit eum*, idest *eiecit eum de paradiso*, loco illo amoenissimo et omnium deliciarum ubertate refertissimo, in terram sterilem et infecundam ac laboriosissimam, in qua non deliciaretur, sicut ibi, sed gravissimis laboribus premeretur: *Ut operaretur terram, de qua sumptus est.* Hinc patet quod extra paradisum homo formatus est, sicut supra quoque dicitur: *Formavit . . . Dominus Deus hominem de limo terrae . . . et posuit eum in paradiso voluptatis* [218], ut sciret illius amoenissimi loci habitatorem ac dominum non natura, sed gratia constitutum esse ; quapropter, gratia amissa, merito inde expellitur ad suumque naturalem locum emittitur, ut terram illam excoleret unde erat formatus, eamque prae oculis semper haberet in quam iterum redigendus erat.

Vr. 24 *Eiecitque Adam et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim et flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitae.*

Textus Hebraicus: *Et eiecit Adam et collocavit ab oriente horti Heden Cherubinos et laminas gladii versatilis ad custodiendam viam ligni vitae.*

Ita prorsus Chaldaeus Interpres, nisi quod illud מִקֶּדֶם, *ab oriente*, transtulit: מִלְּקַדְמִין, quod ante, prius, olim, ab antiquo significat.

Eiecitque Adam et collocavit, etc. Variae lectiones et expositiones.

Septuaginta vero quod de Cherubinis dicitur tribuunt ipsi Adae, ut dicant eum ab ea paradisi parte a Deo constitutum esse. Habent enim: *Et posuit eum in adversa paradisi deliciarum parte, et adhibuit Cherubinos ad loci custodiam.* Veritas tamen Hebraica habet ut supra posuimus, ut scilicet Cherubini positi sint a parte orientali paradisi, et non Adam.

Huius autem loci expositiones multiplices sunt et diversissimae. Rabbinus Abrabanel sic exponit [219] quod isti

217) Pag. 270. 218) Gn 2, 7-15. 219) Op. cit. f. 32^{a}.

Expositio Rab. Abrabanel.

Cherubini « sunt, iuxta Targum [Chaldaicum], כְּרוּבַיָּא, idest *quasi infans*, sive *infantes;* et iam declaravit magnus doctor Rabbinus More quod Cherubim sunt parvuli diebus ex filiis hominum; et iuxta hoc dicit Scriptura quod, cum eiecisset Deus Adam de paradiso Eden, collocavit ante paradisum, idest in loco habitationis eius, Cherubim; quasi dicat quod fatigati sunt in filiis, qui nati sunt eis, Cain et Abel: quoniam ipsi sunt Cherubini, quos collocavit in habitatione sua ante paradisum, et angustiae quas vidit in vita sua a filiis suis, et mors et vagatio in filiis suis *et lamina gladii versatilis;* quoniam ecce dolor magnus sive afflictio cecidit super eum, *et lamina gladii versatilis* hinc et hinc: hinc occidit Abel et hinc occidit Cain. Haec omnia venerunt super eum *ad custodiendam viam ligni vitae;* quasi dicat ad proiiciendum eum de terra viventium et deducendum eum ad mortem ». Haec est huius doctoris expositio super hunc locum.

Variae opiniones de situ paradisi.

Nonnulli alii aliter exponunt [220]. Sed primo de paradisi situ quaedam statuunt. Et primo quod paradisus iste non potest esse inter duos tropicos sub linea aequinoctiali [221] in mensa solis, quoniam dicunt regionem illam calidissimam esse ex eo, quod per illam sol bis transit in anno, quapropter bis in anno etiam aestatem et hiemem habet, propter quod zona torrida dicitur ac propter nimiam caliditatem inhabitabilem esse. Quapropter extra tropicos statuendum esse paradisum asserunt [222]; et quoniam terra illa, in qua paradisus fuerat a Deo plantatus, erat optima et fertilissima, quae ex se fructus producebat, dicunt quod situandus est sub nobiliori parte coeli, quoniam terrae nobilitas et fertilitas venit a nobili astrorum influentia coelique

220) Cf. *Talmud Babyl.*, *Sukkah* f. 5ᵇ; *Hagigah*, f. 13ᵃ; Ginzberg. op. cit. V, pag. 109, not. 94; Rab. Salomon exponit: מלאכי חבלה, idest *angelos devastatores*. Op. cit. f. 6ᵃ. *Grotius*: « Mos est Hebraeis omnia Dei opera, quibus extra ordinem Deus utitur, appellare angelos, ut *ventos et ignem*, Ps 104 (Vulg. 103), 4; sic quod in Ps 18 (Vulg. 17), 11, Deus insidere Cherubim dicitur, Ps 104 de ventis exponit. Est ergo et hic *unum pro duo*, cherub et flammeus gladius, pro *cherub, idest flammeus gladius*. Pro flammeo gladio hebraeus textus habet: להט החרב, idest *flammam machaerae*. Machaera autem hic significat divisionem, ut Mt 10, 34. Solent autem Graeci promiscue pro חרב ponere μάχαιραν, *machaeram*, aut ῥομφαίαν, *romphaeam*. Sensus ergo est: igne impervio obseptum paradisum ». *Critici Sacri*, col. 152. *Fagius*: « Quid cherubim hic fuerit, non plane constat, nisi quod simpliciter credendum est fuisse tale quidpiam, quo aperte arcebatur homo a paradiso ». Ibid. col. 128. 221) Cf. Tertullianus *Apologeticus*, cp. 47, (P. L. 1, 520); S. Bonaventura *Sentent.*, lib. 2, dist. 17, dub. 3. 222) Cf. S. Thomas *S. Theolog.* 1ᵃ, q. 102, a. 1-2, ad 3.

aspectu. Et quoniam pars coeli australis nobilior est parte aquilonari, cum australe hemisphaerium vertex et caput sit mundi, aquilonare vero sit inferius, et per consequens stellae australes maiores sunt et lucidiores, nobiliores et perfectiores maiorisque virtutis stellis aquilonaribus, unde polus etiam australis maior est et lucidior hoc nostro arctico, secundum philosophos [223] huiusmodi speculantes; propterea statuunt hi extra tropicum australem, qui capricorni dicitur, situatum esse paradisum ad partem orientalem, quae nobilior est; quoniam oriens dextrum est mundi, occidens autem sinistrum: dextrum autem sinistro nobilius est.

Alii putant illum plantatum in australi parte, extra zonam torridam,

Statuunt ergo isti situatum fuisse paradisum ultra mensam solis et ultra hiemalem tropicum in hemisphaerio australi[224]; quod etiam probare nituntur per illum *Genesis* locum: Cum audisset Adam *vocem Domini Dei deambulantis... ad auram post meridiem:* per *meridiem* enim mensam solis et zonam torridam exponentes, quia tota illa pars terrae meridianum dicitur, seu meridies: per *auram* vero loci illius aerem, qui, ratione bonitatis ac suavissimae lucis temperatae ac delectabilis, aura dicitur. Et hoc statuunt inter auram et meridiem discrimen: nam meridies aer est lumine intensissimo illuminatus cum excessivo calore, qualis est inter tropicos; aura vero aer est suavissimus et vitalis, temperate lucidus et calidus, qualis est in australi hemisphaerio propter stellarum favorem. Itaque cum per *meridiem* intelligatur mensa solis, et per *auram* illius paradisi aer: cum talis *aura post meridiem* dicatur, consequens est ut australis regio intelligatur, quae est *post meridiem;* et ea primis parentibus in habitationem et hereditatem data est, a qua ob peccatum expulsi fuerunt in hanc vallem miseriae, citra tropicum capricorni, quo paradisus ille septus et vallatus erat. Quem tropicum debere aiunt intelligi per *gladium flammeum atque versatilem*; quoniam dum sol est in signis australibus, dum appropinquat ad oppositum anguis, in illo tropico ignis generatur.

quod probare nituntur ex verbis *Genesis*, per *meridiem* interpretantes zonam torridam, per *auram*, aerem temperatum, qualis invenitur in australi hemisphaerio,

et per *gladium flammeum* tropicum intelligentes.

Dicunt etiam hi [225] quod, si peccatum non intercessisset, homines non tantum regionem illam, sed totum australe hemisphaerium occupas-

Quam regionem australem et amoenissi-

223) Cf. ibid. a. 1; Aristot. *De Coelo*, lib. 2, cp. 2, t. 1, pag. 280-281; Conimbricenses *De Coelo*, lib. 2, cp. 2, q. 1, a. 1-2. 224) Cf. Alph. Tostatus op. cit. f. 20ª. 225) Cf. Moses Bar-Cepha *De Paradiso*, part. 1, cp. 2, (P. G. 111, 488).

mam homines, peccato non interveniente, occupare debebant.

sent, cum multiplicata gens illa in immensum fuisset, cum nullus eorum mortuus fuisset, sed ligno vitae pasti felicem vitam in longissimum tempus protraxissent, quousque in meliorem vitam, morte non intercedente, translati fuissent; ita quod multiplicati valde, totum illud hemisphaerium occupassent. Nec aliqua eius hemisphaerii pars inhabitabilis fuisset; quoniam, inquiunt, non sunt in illa regione praerupta montium, nec praecipitia, nec maria, nec paludes, nisi quod quattuor illa flumina lentissimo cursu et suavissimo meatu irrigassent totam illam regionem et hortum deliciarum. Quae flumina in fine hemisphaerii iuxta tropicum submerguntur, et per meatus subterraneos ebulliunt et emanant per quoddam aequilibrium in hac nostra parte aquilonari; nam Tigris et Euphrates oriuntur ex montibus Armeniae; et Physon, qui dicitur Ganges, ex montibus Indorum; et Gehon, qui dicitur Nilus, ex montibus Aethiopiae. Haec est fidelis positio eorum, qui ponunt paradisum in regione australi ultra tropicum capricorni.

Sententia haec non videtur admittenda, quia per accessum et recessum solis in regione illa fit magna aeris intemperies;

Quae quidem mihi non admodum satisfacit. Et primo: id quod dicit regionem illam ultra tropicum capricorni temperatissimam esse. Manifestum autem est quod sol motu proprio movetur a tropico ad tropicum semper aequissime, eiusdemque virtutis est in utroque. Ergo sicut per accessum ad nos causat intensam aestatem vehementemque calorem, et per recessum hiemem frigusque intensum in hemisphaerio aquilonari; ita pari ratione per oppositum, per accessum ad tropicum capricorni causabit aestum intensum ac vehementem, et per recessum frigus et hiemem intensam; quae temperiei aeris et loci repugnant.

Deinde: cum aeque moveantur planetae inter haec duo hemisphaeria, eosdem effectus in suis coniunctionibus inter se et cum aliis astris et signis causabunt in illo hemisphaerio, sicut in isto; et cum in isto maligni planetae causent sterilitates, pestilentias et morbos alios; ita et in illo.

et in polis boreo et australi unus dies et una nox semestres habentur in anno.

Praeterea: quod dicunt quod homines totum illud hemisphaerium incoluissent, inconveniens videtur. Nam sicut terra, quae sub polo arctico non habet nisi unam diem et unam noctem in toto anno, quia per sex menses, dum sol est in signis australibus, semper est nox sub polo arctico, et per consequens semper dies in antarctico: sic e converso per alios sex menses, dum sol est in signis aquilonaribus, semper

est dies in hoc polo et nox in illo; quapropter non potest ea esse amoenitas et delectatio habitantibus, quae ab istis dicitur.

Falso igitur interpretantur verba *Genesis*, quae non locum, sed tempus indicant;

Deinde: quod dicunt de loco *Genesis*, non est ad propositum. Nam, sicut ibi exposuimus [226], Veritas Hebraica habet: *Cum audissent vocem Domini Dei deambulantis ad ventum diei;* ita quod non locum, sed tempus verba illa significant, idest post medium diei, hoc est ad vesperam. Quod insuper dicunt de gladio flammeo atque versatili, quod est ille tropicus igneus, non valet. Illa enim ignis generatio naturalis est, si tamen est: puto enim verum non esse, cum per accessum solis ad tropicum cancri non generetur huiusmodi ignis circa tropicum. Modo cum dicat Scriptura collocatum esse illum gladium ante paradisum post Adae peccatum et postquam inde eiectus est, indicat non ibi fuisse ex natura loci, sed ex voluntate Dei.

et ignis illius gladii non naturalis erat, sed ex voluntate Dei.

Nec verisimile est quod supponitur de subterraneis et marinis traiectionibus fluminum paradisi.

Ultimo: quod de fluminibus illis dicunt, quae de loco voluptatis egrediuntur, quod irrigant regionem ultra tropicum capricorni et deinde iuxta tropicum submerguntur et per subterraneos meatus ebulliunt et emanant per quoddam aequilibrium in hoc nostro hemisphaerio, non video quomodo id verum esse possit. Quomodo possint tot terras, tot montes penetrare, ut per immensos terrarum tractus profluant, post haec emergentes diversas videantur habere origines et, quod difficilius est, quomodo possint tantam oceani vastitatem, maris omnium profundissimi et maximi, traiicere, ut in has auras aquilonares prorumpant: mare enim illud vastissimum et profundissimum interiacet. Cum ergo haec vera esse non possint, quaerenda est alia huius loci expositio.

Alii ponunt paradisum sub aequinoctiali linea, propter

Fuerunt ergo alii, [227] qui paradisum illum sub aequinoctiali linea constituunt. Dicunt enim quod regio illa temperatissima est; cum enim ibi semper sit aequinoctium, idest semper toto anno nox est

226) Pag. 275 huius cp.

227) *Conimbricenses*: « Cognitum est mediam zonam plerisque in locis non solum non torreri aestu, sed temperatam esse, et imbrium, perennium fontium ac fluminum aquis, necnon et frugum fructuumque copiis affatim abundare, et variarum gentium populis magno coeli solique favore et salubritate incoli. Neque hoc, quod de mediae zonae temperie et ad habitandum commoditate dicimus, sola nostrorum temporum experientia ostendit; sed ita omnino esse nonnullis, contra communem aliorum opinionem, multo ante visum fuerat; ut Eratostheni, Polybio, Ptolomaeo, Avicennae, et quibusdam nostrorum theologorum, quorum meminit D. Thomas 1ª, q. 102, a. 2, qui terrestrem paradisum sub aequinoctiali constituebant, alentes eam mundi plagam temperatissimam esse ». *De Coelo*, lib. 2, cp. 14, q. 1, a. 3, ubi adducuntur causae illius zonae temperati climatis. Cf. etiam infra not. 232.

maximam illius zonae temperantiam et fertilitatem;

aequalis diei, ita quod aequalis est praesentia et absentia solis, per hanc aequalem vicissitudinem fit maxima temperies regionum et optima loci dispositio. Quapropter Ptolomaeus[228] et alii geographi[229] in hac zona multas habitabiles regiones assignant; et experientia sentire facit regiones illas esse temperatissimas et habitationi maxime accommodatas. Naves enim, quae a regno Portugalliae in auras illas navigaverunt[230], transeuntes sub linea aequinoctiali, invenerunt terras optimas et fertilissimas, lacte et melle fluentes.

et per *flammeum gladium* intelligunt zonam torridam inter habitationem nostram et aequinoctialem lineam;

Illis autem, qui dicunt regionem illam esse inhabitabilem propter vehementissimum aestum, respondent quod id quidem verum est iuxta tropicos; homines enim terram iuxta tropicos incolentes nigerrimi sunt et brevis vitae propter caloris excessum, radicalem humidum consumentem; sub aequinoctiali autem non est sic. Quapropter isti per *gladium flammeum et versatilem* zonam torridam inter habitationem nostram et aequinoctialem lineam intelligunt, et propterea dici *versatilem*, quia sol, per quem causatur ibi iuxta tropicum

228) *Geografia di Claudio Tolomeo*, Giov. Ant. Magini, t. 2, f. 21b. 229) *Geografia*, cioè *Descrittione Universale della Terra di Tolomeo.* XXIII *Descrittione dell' Africa*, f. 131a; Cesare De Lollis *Scritti di Cristoforo Colombo*, t. 2, part. 2, *Doc. XV*, pag. 24. 230) Alludere videtur S. Auctor ad itinera Christophori Columbi, in cuius epistolis pluries hanc affirmationem invenimus. Siquidem die 17 Augusti 1498, cum pervenisset ad os fluvii Orinoci in Venezuela, admiratus se navigare in quodam mari aquae dulcis, percipiens postea illam esse cuiusdam magni fluminis aquam, coram situ paradisi terrestris se stare arbitratus est. In diario enim nautico (*giornale di bordo*), sub eadem die, haec nota invenitur: « Viernes... 17 de Agosto..., le certifica (Christophoro Columbo) que aquella tierra de donde viene (fluvius ille) sea gran tierra firme, o *adonde está el parayso terrenal*, porque todos dizen... que está en fin de oriente, y es este ». De Lollis loco cit. Et in epistola a Columbo paulo post ad reges Hispaniarum missa, hanc suam sententiam confirmat. « Algunos le ponian (el parayso terrenal) allí donde son las fuentes del Nilo en Ethiopia; mas otros anduvieron todas estas tierras e no hallaran conformidad d'ello en la temperancia del cielo... Y creo que, si yo passara por debaxo de la linea equinocial, que en llegando allí, en esto mas alto, que fallara muy mayor temperancia y diversidad en las estrellas y en las aguas, no porque yo crea... que se pueda subir allà; porque creo que allí es el parayso terrenal, adonde no puede llegar nadie, salvo por voluntad divina.... Grandes indicios son estos del parayso terrenal, porque el sitio es conforme a la opinion destes sanctos e sanos theologos (Sant' Isidro, y Beda, y Strabo), y asimismo las señales son muy conformes, que yo jamàs ley ni oy que tanta cantitad de agua dulce fuese asi adentro et vezina con la salada. y en ello ayuda asimismo *la suavissima temperancia*, y se de allí del parayso no se sale, pareçe aun mayor maravilla, porque no creo que se sepa en el mundo de rio tan grande e tan fondo ». Ibid. *Doc. XVI*, pag. 37-38. Hanc sententiam confirmat in eadem epistola, pag. 39; item et in alia quam ad S. P. Alexandrum VI misit, petens missionarios ad evangelizandas gentes terrae illius: « crey y creo aquello que creyeron y creen tantos sanctos y sacros theologos, que ally en la comarca es el parayso terrenal ». Ibid. *Doc. XXXIIII*, pag. 165. Et sic etiam in alia epistola ad Hispaniarum reges missa 7 Iulii 1503. *Doc. XLI*, pag. 184.

impertransibilis caliditas, appropinquat ad nos in aestate, et hieme elongatur[231].

Sed certe neque haec positio admodum satisfacit. Cum enim zona ista torrida sit ex natura loci, quae semper fuisset etiam si homo in loco paradisi perstitisset, non est cur dicatur esse gladius ille flammeus atque versatilis, qui ad eius loci custodiam a Deo positus est, non a natura productus.

sed falso, quia gladius ille non a natura, sed a Deo positus dicitur.

Alii posuerunt[232] hunc paradisum in principio cancri; et quod

231) *S. Thomas :* « Salvis spiritualis sensus mysteriis, ille locus praecipue videtur esse inaccessibilis propter vehementiam aestus in locis intermediis ex propinquitate solis; et hoc significatur per flammeum gladium, qui versatilis dicitur propter proprietatem motus circularis huiusmodi aestum causantis ». *S. Theolog.* 2ª 2ªª, q. 164, a. 2, ad 5, 232) De situ paradisi et de gladio flammeo multae et variae sunt opiniones.

Nic. Lyranus, cum putaret paradisum terrestrem *in excelsissimo orbis terrarum monte* fuisse collocatum, censet ex eo, iussu Dei, maximam copiam ignis erupisse et in modum muri omnem aditum praecludere. Op. cit. f. 43ᵇ. Alph. Tostatus etiam per gladium flammeum putat ignem intelligendum esse a Deo ibi creatum, vel aliunde allatum, qui instar muri circum paradisum esset ad modum gladii flammas quasi vibrantis. Op. cit. f. 24ᵃ. Tertullianus ait paradisum « locum esse divinae amoenitatis, recipiendis Sanctorum spiritibus destinatum, maceria quadam igneae illius zonae a notitia orbis comunis segregatum ». *Apologeticus*, cp. 47, (P. L. 1, 520). Iuxta Mosen Bar-Cepha « paradisus est in nostro orbe, sed ea terra in qua situs est, multo eminentior ac sublimior est hac, quam nos habitamus ». *De Paradiso*, part. 1, cp. 9, (P. G. 111, 494). « Ephrem dicit, paradisum universam ambire terram, atque ultra oceanum ita positum esse ut totum terrarum orbem ab omni circumdet regione, non aliter atque lunae orbis lunam cingit ». Ibid. cp. 13, col. 497. De fluminibus autem ait: « Illud flumen revera ingens... ex terra Eden scaturiens atque promanans, in medium penetrat paradisum, eumque universum irrigat, quo perluto, finditur in quattuor deinde fluvios, et ipsos grandes, qui ab illo diducti, simul ac paradisum reliquere, sub ipsa maris Oceani vada delabuntur, atque inde rursus in hac a nobis habitata emergunt terra; in occidentem prorumpit Phison, per regionem Indorum delabens, quam Moyses vocat terram Havilae; Gehon perluens terram Chussorum (idest Aethiopiam) et Aegyptum; et alii duo prosiliunt in medio terrarum orbe, fontibus non procul inter se dissitis, ac prolapsi desinunt in mare australe ipsius Bosrae ». Ibid. cp. 21, col. 510-512,

S. Basilius collocat paradisum *loco sublimi, perpetua siderum luce illuminatum. De Paradiso, Orat. 3*, ibid. 30, 63. Sic et S. Io. Damascenus, *De Fide Orthodoxa*, lib. 2, cp. 11, ibid. 94, 914. S. Isidorus paradisum *in orientis partibus* constituit, et post peccatum undique romphaea flammea septum, ita ut eius incendium ad coelum pene pertingat. *Etymol.*, lib. 14, cp. 3, (P. L. 82, 496); *De Origine Creaturarum*, cp. 6, ibid. 83, 926; cp. 10, ibid. col. 938-939. S. Beda *Hexaem.*, ibid. 91, 43-44, et Rupertus *De Trinitate*, etc. *In Gen.*, lib. 1, cp. 37, ibid. 167, 269 sqq., asserunt *paradisum coelo proximum esse.* Rabanus Maurus ait paradisum *attingere orbem lunae. Comment. in Gen.*, lib. 1, cp. 12, ibid. 107, 478. Sic et Strabus *Glossa Ord. in Gen.*, ibid. 113, 86, et Petrus Lombardus *Sentent.*, lib. 2, dist. 17, ibid. 192, 686.

S. Bonaventura opinatur *paradisum esse sub aequinoctiali zona* et quidem tantae altitudinis ut ad illum non conscendant vapores in aere elevati, sed esse ibi aerem mundum et purum idoneum statui perpetuitatis; « non autem adeo elevatum ut ad lunam usque pertingat ». *Sentent.*, lib. 2, dist. 17, a. 2, q. 3. Etiam Alphonsus Tostatus censet paradisum non quidem pertingere ad orbem lunarem, excedere tamen omnes terminos huius nostri aeris et montes quosque celsissimos, minimum viginti cubitis, ita ut non potuerint aquae diluvii illum attingere. Op. cit. f. 24ᵃ.

Alii paradisum ponunt in principio cancri.

gladius flammeus et versatilis est quaedam terrae patens vorago in monte, ex quo semper ignis egreditur, qui ad modum gladii videtur. Sed tunc oporteret partes terrae illius sulphureas ponere, unde ignis ille generaretur essetque ignis naturaliter genitus, sicut in Vulcano et Aetna monte generatur ignis ex partibus terrae sulphureis.

At, contra, e sensu litterali S. Scripturae,

Quapropter alia mihi de hac re sententia est. Sed primo monendus est animus de paradisi situ, ceu supra in suo loco exposuimus[233]: quod *plantavit . . . Dominus Deus paradisum voluptatis ab initio*[234]. Etenim Veritas Hebraica ibi, ut praemonuimus, sic habet: *Et plantavit Dominus Deus hortum in Heden ab oriente*, sive *a plaga orientali*. Certe clarissime Scriptura loquitur et eius loci conditionem ostendit. Eum etenim paradisum *hortum* vocat, ne putaremus per immensos terrarum tractus protrahi ac immensae magnitudinis in longitudine et latitudine esse. Deinde: nomen regionis, in qua hic paradisus sive *hortus* consitus esset, declarat dicens: *In Heden*, quae regio ab amoenitate, deliciis et voluptate hoc nomen sortita est, quoniam regio illa amoenissima et deliciosissima erat, tem-

e nomine ipso regionis, in qua paradisus plantatus erat,

Paradisum terrestrem inveniri *extra nostrum orbem* videntur admittere S. Irenaeus *Contra Haereses*, lib. 5, cp. 5, (P. G. 7, 1134-1135); Origenes, ponens situm paradisi « in illa terra, quae sursum est et quam mansueti hereditabunt ». *In Numer. Hom. 26*, ibid. 12, 777 sqq.; S. Caesarius Nazianzenus *Dial. 1, q. 77* sqq., ibid. 38, 943 sqq.; *Dial. 3, q. 141* sqq. ibid. col. 1089 sqq.; S. Epiphanius *Adversus Haereses, Haeres. 64*, ibid. 41, 1148; *Ancoratus*, ibid. 43, 118-119; Philostorgius *Eccles. Historiae*, lib. 3, ibid. 65, 492-495; Moses Bar-Cepha *De Paradiso*, part. 1, cp. 8-9, ibid. 111,492-494; S. Ambrosius, qui ait: « Adam electus est de paradiso, hoc est ex illo sublimi et coelesti loco, ad quem raptus est Paulus in corpore, corpus nesciens ». *In Ps. 118, Sermo 4*, (P. L. 15, 1307); S. Augustinus *De Genesi ad Litteram*, lib. 8, cp. 7, ibid. 34, 378; Honorius *De Imagine Mundi*, ibid. 172, 123; Hugo de S. Victore *Adnotat. Elucidat. in Gen.*, ibid. 175, 39-40.

S. Thomas, reiiciens sententiam S. Bedae, paradisum statuit *in terra nostra*, sed « seclusum a nostra habitatione aliquibus impedimentis vel montium, vel marium, vel alicuius aestuosae regionis, quae pertransiri non potest ». *S. Theolog.*, 1ᵃ, q. 102, a. 1, ad 1 et 3. B. Odoricus, Franciscanus, qui saec. XIV Indiam fere totam peragravit, cum pervenisset prope insulam Sylanae, quemadmodum scribit in suo itinerario, refert traditionem illius gentis de situ paradisi in eadem insula: « Quivi è il monte Grande, come dicono quei della contrada, ch'Adamo ed Eva piansono Abello per Caino »; et prosequitur describens admirabilem ubertatem terrae illius, et maximam copiam auri et gemmarum. Angelo De Gubernatis *Storia dei Viaggiatori Italiani*, cp. 2, *Supplem. 1*, pag. 141. — Similiter Ioannes Maringolli, item Franciscanus, qui paulo post eandem provinciam peragravit, eadem refert: « Perreximus per mare ad Seyllanum (Ceylon), montem gloriosum, ex opposito paradisi, ut de Seyllano usque ad paradisum, ut dicunt incolae ex traditione patrum, sunt milliaria italica quadraginta, ita quod, ut dicitur, auditur sonitus aquarum fontis cadentium de paradiso ». De Gubernatis ibid. *Supplem. 2*, cp. *De Creatione*, pag. 142. Et in eadem opinione, quod paradisus plantatus sit « ultra Indiam Columbinam, contra montem Seyllanum, locus altissimus », prosequitur in sequentibus capitulis, ut videri potest ibid. pag. 145-156. Demum de situ paradisi et quaestionibus adnexis cf. ampla dissertatio P. Ildefonsi de Vuippens O. M. Cap. *Le Paradis Terrestre.*

233) Cp. 2, pag. 227.

234) Gn 2, 8. Vulg.: *Plantaverat... a principio.*

peratissima et habitationi maxime accommoda. Tertio: ad quam mundi partem paradisus iste spectet ostendit, et a qua regionis illius parte plantatus esset a Deo, inquiens: *Ab oriente*, sive *a plaga orientali*. Locum ergo in quo is paradisus conditus sit, habemus.

et ab indicatione situs,

Hanc autem regionem, quae Eden dicitur, non existimandum est vel extra nostrum orbem esse; neque ad sidera attingere, quae quidam opinati sunt[235]; neque ultra tropicum capricorni, quae regio semper ignota fuit; neque sub aequinoctiali: sed sub ea coeli positura sitam esse, quae habitari possit et habitata ac frequentata sit a primis hominibus et eorum posteris. Adam enim e paradiso eiectus non mare transmeavit, aut per longissimos terrae et marium tractus quam longissime a loco illo eiectus est: sed ante fores paradisi, non longe ab eo loco eiectus, e regione paradisi collocatus est, ut terram illam incoleret, sicut Septuaginta transtulere et omnes Graeci Doctores tenent[236], praesertim Chrysostomus in hoc loco[237]. Quod Scripturae etiam testimonio comprobatur. Etenim Cain, *egressus a facie Domini*, vagus et *profugus habitavit... ad orientalem plagam Eden*[238] cum sua posteritate ibique *civitatem aedificavit*. Adam vero et Seth non longe ab eo terram incoluisse putandum est, sed prope; alioquin quomodo potuissent *filii Dei*, idest descendentes ab Adam per Seth, qui propter Dei cultum sic dicebantur, videre *filias hominum*, idest a Cain descendentium, *quod pulcrae essent*, ut acciperent *sibi ex omnibus quas elegerant*[239] Deumque magnopere irritarent ad delendam omnem carnem? Si ergo Cain ad *orientalem plagam Eden* habitavit, quae regio erat ubi[240] paradisus erat consitus, nec Adam, Seth et omnes posteri longe ab ea regione terram incoluere. Adam vero non longe a terra promissionis habitavit; in Hebron enim sepultus creditur *in spelunca duplici*, sicut dicitur in libro *Iosue*[241]; in qua etiam Abraham et Sara, Isaac et Rebecca, Iacob et Lia sepulti fuerunt[242].

deducendum est hortum Eden non extra nostrum orbem situm fuisse, sed in regione illa, quae a primis parentibus habitata fuit.

Adam enim et Cain et eorum posteri prope Eden habitaverunt,

et Adam sepultus creditur in Hebron, prope terram promissionis;

Unde existimo nunc quoque regionem illam Eden habitari et eam esse, quam apud Ezechielem legimus[243], qui *super Tyrum*

de qua regione etiam Ezechiel loquitur,

235) Cf. not. 232 huius cp. 236) Cf. Theodorus Mopsuestenus *Fragmenta in Gen.*, (P. G. 66, 638); Procopius *Comment. in Gen.*, ibid. 87, 226-227; Moses Bar-Cepha *De Paradiso*, part. 1, cp. 14, ibid. 111, 498. 237) *Hom. 18 in Gen.*, ibid. 35, 152. 238) Gn 4, 16-17. 239) Ibid. 6, 2. 240) Ms.: *In*. 241) 14, 15. 242) Cf. Gn 23, 19; 49, 31; 50, 13. 243) 27, 2.

et hodie quoque existit in Mesopotamia, ubi reperiuntur flumina, quae de paradiso exire dicuntur.

lamentum assumens, haec inter cetera dicit: *Haran et Chene et Eden negotiatores tui* [244], nomina regionum ponens unde ad Tyrum mercatores veniebant. Si ergo ab Eden, scilicet paradisi loco, negotiatores ad Tyrum, qui prope terram Israel est, accedebant, clarum est locum illum et habitatum fuisse et non maximis spatiis remotum a terra Israel extitisse. Haran etenim non longe a terra Israel distare nullus ambigit; Haran enim ea regio prope terram Israel est, quae Mesopotamia dicitur, ibique reperiuntur flumina, quae de paradiso exire dicuntur. Haran enim inter duo flumina Tigrim et Euphratem est; quapropter graeca voce Μεσοποταμία dicitur [245], regio media inter duo flumina. De Phison autem et Gehon ea, quae supra diximus [246], consulantur.

Tenendum ergo est paradisum in regione Eden plantatum fuisse, at ab aquis diluvii postea eversum;

Quapropter haec omnia mihi fidem certissimam faciunt decantatissimum illum paradisum in Eden regione, quae non longe a terra Israel est, ad orientalem plagam illius plantatum fuisse eamque regionem nunc habitari ab hominibus: quoniam aquis diluvii paradisus ille eversus est atque ita locus ille amoenissimus et deliciosissimus concidit. Aquae enim diluvii omnem terram *inundaverunt*... *et praevaluerunt* super *omnes montes*, qui sunt *sub universo coelo* [247]; quare et locum illum occupaverunt et arbores illas amoenissimas everterunt.

sed quandiu perduravit, Cherubini ibi permanserunt cum *gladio flammeo*.

Quandiu autem locus ille perduravit, nullo pacto ambigimus *Cherubinos* coelestes spiritus ibi positos esse ad illius loci custodiam, cum *gladio flammeo et versatili*, sive cum *lamina gladii* idest posuit ibi gladium ardentem atque expositum, qui flammam evomere videretur: tantus erat splendor! atque eo aspectu exterrebat adeuntes pavoremque horribilem iniiciebat; et *versatilis* dicitur, quia omnem viam, quae ad vitae lignum ducebat, suo terrore praecludebat. Forte sic positi erant ibi Cherubini, sicut angelus Domini gladium exemptum in manu tenens viam custodiebat, eam praecludens Balaam, ne ad maledicendum filios Israel a Balac accersitus accederet [248]. Vel certe per hunc gladium poenae mortis interminatio intelligitur, more

244) Ibid. vr. 23. In ms. constanter invenitur: *Heva*, *Heden*, *Henoch*, *Charan* et *Chenan*. Nos vero, cum textus hebraicus adducitur, haec nomina ut in codice extant reliquimus. 245) Cf. S. Hieronymus *De Nominibus Hebraicis*, (P. L. 23, 848); Ptolomaeus *Geographia*, lib. 5, cp. 18, pag. 98. 246) Cp. 2, pag. 231-234. 247) Gn 7, 19. 248) Cf. Nm 22, 22 sqq.

Scripturae, quae ad illum locum praesumentibus accedere ministerio angelico inferebatur; sicut praecaverat Dominus ne quis filiorum Israel aut vasa sacra ministerii[249], aut arcam tangere[250], vel intra sanctuarium sive Sancta Sanctorum intrare praesumerent[251], praeter eos, quibus ex officio competebat: et eos quidem mundos et sanctificatos[252], sub poenae mortis interminatione, quae ministerio angelico inferebatur.

Per *gladium* hunc forte intelligenda est interminatio poenae mortis praesumentibus illuc accedere;

Potuit autem esse ut ibi *ad custodiendam viam ligni vitae* lampades ac fulgura angelico ministerio emicarent, quae accedentibus mortem minarentur. Nam et dictio: לַהַט, quam l a m i n a m significare diximus, fulgur quoque et lampadem significat, quia poterat ibi ad modum gladii micare. Postquam vero vastatus ille paradisus est, omnis illa custodia cessavit; sicuti postquam Arca illa foederis et Sancta Sanctorum deleta sunt, omnis tum custodia tum observantia et ministeria, quae ibi fiebant, desierunt.

vel etiam fulgura angelico ministerio emicantia, quae accedentibus mortem minabantur.

Nonnulli autem putant adhuc locum illum incolumem permanere[253] ac ibi Enoch, Eliam et Ioannem apostolum felicem vitam degere usque ad iudicium. At vero quod in[254] illum paradisum translati sint nullibi constat; nam Enoch quidem, Scriptura teste[255], assumptus est: sed in quem locum Scriptura non refert; Elias pariter translatus est[256]: sed quem in locum, Scriptura non prodit; de Ioanne autem omnino incertum est an adhuc vivat in carne[257]. Et

Alii putant hunc paradisum adhuc existere et ibi Enoch, Eliam et Ioannem apostolum degere.
Sed ubi degant Enoch et Elias Scriptura non

249) Cf. Ex 30, 29 sqq. 250) Cf. Nm 4, 15; 2 Rg 6, 6-7; 1 Par 13, 9-10. 251) Cf. Ex 28, 35; 29, 37; 30, 29; Lv 16, 2; Nm 4, 20; 8, 22. 252) Cf. Ex 28, 40; 29, 9; Nm 21, 23; Is 52, 11; Hebr 7, 28. 253) Videntur admittere paradisum adhuc existere Theophilus Antiochenus *Ad Autolycum*, lib. 2, (P. G. 6, 1090-1091); S. Irenaeus *Contra Haereses*, lib. 5, cp. 5, ibid. 7, 1134; S. Epiphanius *Adversus Haereses*, *Haeres. 64*, ibid. 41, 1147; Severianus *De Mundi Creatione*, *Orat.* 5, ibid. 56, 478-481; S. Io. Damascenus *De Fide Orthodoxa*, lib. 2, cp. 11, ibid. 94, 210-214; Tertullianus *Apologeticus*, cp. 17, (P. L. 1, 520); *De Resurrectione Carnis*, cp. 28, ibid. 2, 833; S. Isidorus Hisp. *De Ortu et Obitu Patrum*, cp. 3, ibid. 83, 131-132; Fel. Capitonus *Explicationes*, etc. part. 1, *Explicat. 1*, pag. 10-12; et cf. not. 232 huius cp. 254) Ms.: *In* repetitur. 255) Cf. Gn 5, 24; Eccli 44, 16; Hebr 11, 5. Cf. S. Irenaeus *Contra Haereses*, lib. 5, cp. 5, (P. G. 7, 1134-1135); S. Augustinus *Contra Secundam Iuliani Responsionem*, lib. 6, cp. 38, (P. L. 45, 1598); S. Isidorus, Hisp. *De Ortu et Obitu Patrum*, cp. 3, ibid. 83, 131-132; S. Beda *De Templo Salomonis*, cp. 19, ibid. 91, 788; Petrus Comestor *Historia Scholastica*, *lib. Gen.*, cp. 24, ibid. 198, 1075; cp. 30, ibid. col. 1080; S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 102, a. 3; 3ª, q. 49, a. 5, ad 2. 256) Cf. 4 Rg 2, 16-17. 257) Cf. S. Io. Damascenus *Hom. in Transfiguratione Domini*, (P. G. 96, 558); Andreas Caesar. *Comment. in Apocalypsim*, cp. 29, ibid. 106, 310; Simeon Metaphrastes *Vita S. Ioannis*, ibid. 116, 703; S. Hilarius *De Trinitate*, lib. 6, (P. L. 10, 189); S. Ambrosius *Exposit. in Ps. 118*, *Sermo 20*, ibid. 15, 1487; *Exposit. in Evang. S. Lucae*, lib. 7, ibid. col. 1699-1700; S. Augustinus *Sermo 253*, cp. 4, ibid. 38, 1181; Gregorius Turonensis *Miraculorum*, lib. 1, cp.

dicit; de Ioanne vero omnino incertum est an adhuc vivat in carne.

quod de Elia apud *Ecclesiasticum* legimus [258], quod in paradisum assumptus seu *translatus est*, dicimus eum in aliquem eminentem et excelsum locum a Deo sibi paratum paradisi nomine designari [259]. Deo enim possibile est eum, ubi magis libet, conservare; nec ob id necesse est ponere paradisum illum. Idem de Enoch et Ioanne, si adhuc vivit, dicendum est.

Per Cherubim, omnes angeli intelligi possunt,

quibus custodia paradisi commissa fuit.

De Cherubinis autem quaestio esse potest quomodo Deus illos tam excelsos spiritus *ad custodiendam viam ligni vitae* applicaverit. Cherubini enim spiritus sunt secundi chori supremi principatus sacri, sive hierarchiae; secundum D i v u m D i o n y s i u m [260] autem, illi non solent mitti, sed tantum angeli infimae hierarchiae et ultimi ac penultimi chori. Sed responderi ad hoc potest quod aliquando per Cherubinos omnes angeli intelliguntur et sic etiam angeli infimae hierarchiae et ultimi chori. Secundo vero, quod si forte ea cura illis data est coelestibus spiritibus qui eius chori sunt, qui peculiari voce Cherubim appellatur, ipsos tamen per inferiores eam custodiam executos fuisse, quemadmodum et Seraphim, qui missus est ad purgandum labia Isaiae [261]. Etenim, ut D. D i o n y s i u s docet [262], Seraph ille non per se executus est illud officium, sed per aliquem inferiorum.

Custodiam hanc Deus statuit ne homines de ligno vitae comederent, et sic vitam longius protraherent et magis peccata multiplicarent.

Ad quid autem Dominus Deus illos angelos ad hanc custodiam applicarit, manifeste huius causa superius dicta est: ne homines sumerent de ligno vitae et viverent in aeternum, idest vitam longius protraherent, qua homines peccatores pessime usi fuissent et frequentius peccassent et diutius in peccatis mansissent. Quapropter melius fuit ut homines ab esu illius ligni prohiberentur, ne cum illud vitam longius ac diutius [263] protraheret, ipsi eo magis peccata multiplicarent. Nunc ad quartum caput accedamus.

30, ibid. 71, 730; S. Thomas *Comment. in Evang. S. Ioannis*, lectio 4, t. 19, pag. 885; Nic. Lyranus op. cit. *Evang. S. Ioannis*, cp. 21, t. 5, f. 243ª; Io. De La Haye op. cit. t. 14, pag. 592; Aug. Calmet *Dissert. In Obitu S. Io. Evang.*, t. 7, pag. 515-519. 258) Cf. 48, 9-13. 259) Cf. S. Gregorius M. *Hom. in Evang.*, lib. 2, *Hom. 29*, (P. L. 76, 1216); Rupertus *De Trinitate*, etc. *In Gen.*, lib. 3, cp. 33, ibid. 167, 321; Dionysius Cartusianus *Enarrat. in Gen.*, a. 31, pag. 143; Caietanus op. cit. pag. 52. 260) *De Coelesti Hierarchia*, cp. 5, (P. G. 3, 199-202). 261) Cf. Is 6, 6-7. 262) *De Coelesti Hierarchia*, cp. 5, (P. G. 3, 199-202). 263) Ms.: *Vitam* repetitur.

CAPUT QUARTUM

Vr. 1 *Adam vero cognovit uxorem suam Evam, quae concepit et peperit Cain, dicens: Possedi hominem per Deum.*

Textus Hebraicus: *Possedi,* sive *acquisivi hominem Deum,* sive *a Deo,* vel *ad Deum.*

Textus Chaldaicus: *Possedi hominem a conspectu Domini.*

Adam vero cognovit uxorem suam, etc. **Finis principalis matrimonii est procreatio filiorum;**

Adam vero cognovit Evam uxorem suam. Honeste semper ac decenter Scriptura loquitur; quae enim pudenda sunt, non verborum obscenitate, sed quanta licet semper decentia et honestate exprimit; conventionem enim coniugum et adhaesionem viri ad mulierem in matrimonii actu, *cognitionem* vocat [1]: *Adam,* inquit, *cognovit uxorem suam.* Convenerunt enim in unum primi illi coniuges in actu legitimi matrimonii, post commissum peccatum et post spem perditae benedictionis recuperandae in mulieris semine. Convenerunt autem ut filios procrearent humanumque genus propagarent, ne una cum ipsis deficientibus, natura quoque humana tota periret, quod voluntatis Dei non erat: sed ut maneret in aevum. Quapropter convenerunt etiam ut Deo obedirent.

secundarius autem, remedium libidinis;

Demum in remedium libidinis; matrimonium enim, post peccatum, in libidinis remedium conceditur: modo tamen primus ac praecipuus eius finis, qui generatio est, non praecidatur. Alioquin si ad solam libidinem explendam fit copula, ita ut generationem nolint, grave peccatum est atque a Deo reprobatur matrimonium illud; iccirco enim Her et Onan, filii Iuda, a Deo percussi fuerunt [2], quoniam non ad generationem, sed ad solam libidinem explendam cum Thamar copulati fuerunt. Primi autem parentes [3] non ita coniuncti sunt: sed ad prolem procreandam; quare sequitur: *Quae concepit et peperit Cain,* idest filium, cui hoc nomen impositum

nunquam tamen unus ab altero seiungi potest.

1) Cf. Gn 4, 17. 25; 19, 5. 8; 38, 26; Nm 31, 34; Idc 21, 11; 1 Rg 1, 19; 3 Rg 1, 4; Idt 16, 26; Mt 1, 25; Lc 1, 34. 2) Cf. Gn 38, 6-9. 3) Ms.: *Parente.*

est, sicut sequitur: *Dicens: Possedi hominem per Deum;* Cain enim possessionem et acquisitionem sonat.

Origo, natura et admirabiles seminis vires,

Antequam autem ad altiorem huius loci speculationem ascendamus, de humani corporis in matris utero formatione quaedam in medium adducemus. Ac primo de natura, praestantia ac viribus seminis, quo mulier concepit.

Semen quidem ex tertia alimenti digestione et concoctione originem trahit, natura aereum, calidum et humidum, multo spiritu et eo quidem calido confertum; quod testium calore vitalem spiritum exagitante in spumam conversum concrescit et albescit.

quod, per-modicum cum sit, virtute continet formas totius corporis et singularum partium;

Eius autem admirabiles vires sunt, cum ex tam modico semine talis oriatur membrorum tam pulcra dispositio, tam convenientissimus ordo, tam efficax compositio, tam eximia singularium partium coniunctio, tam spectabilis organorum diversitas et concentus, tot operationum et facultatum causae, tot spiritus; quomodo omnis forma et species tum totius corporis tum partium singularum praecedat et contineatur in semine et adumbratio totius futuri operis; quomodo in promiscuo et confuso semine tanta est tum formarum tum specierum distinctio, totius corporis et eius partium singularum.

et etiam animam vegetalem et sensitivam, antequam rationalis superveniat.

Quidquid enim ex semine procreatur et consurgit, necesse est prius virtute ac potestate contineri in semine omnemque animae potestatem obtinere eiusque viribus et facultate praeditum esse, cum eae illinc aliquando parebunt et suscitabuntur. Animam enim in se continet naturalem et altricem, cum semen in utero conceptum non secus ac stirps vita fruatur; ea quoque, quae sensus particeps est, a qua animalis nomen assumit, temporis progressu accedit; tum demum rationis vis, qua homo dicitur, infusa supervenit. Et vegetalis[4] quidem anima atque sentiens in semine virtute ac potestate continentur et ex eo prodeunt suarumque facultatum functionem exercent, quousque, rationali adveniente, deficiant[5].

4) Ms.: *Naturalis.* 5) Notum est olim viguisse in scholis opinionem non statim ac conceptum fetum humanum informari anima intellectiva. Aliqui sentiebant embrionem esse animae expertem; operationes autem vitales, quae in eo apparent, vel animae matris, vel virtuti, quae in semine est, formatrici esse referendas. Quod tamen obstabat doctrinae Aristotelis, (*De Generatione Animalium*, lib. 1, cp. 20, t. 1, pag. 651-652; S. Thomae *S. Theolog.*, 1ª, q. 76, a. 3, ad 3; q. 118, a. 2, ad 2). Ideo fere omnes cum Aristotele (*De Generatione Animalium*, lib. 2, cp. 3, t. 1, pag. 658-659), non simul animal fieri et hominem docebant, sed materiam fetus primum informari anima vegetativa, deinde sensitiva, postremo intellectiva. Cf. Conimbricenses *De*

Non tantum viri, sed et mulieris semen virtutem aliquam formativam continet;

Prima autem hominis ex semine constitutio ad hunc modum orditur. Maris ac feminae fecunda semina, ubi consentanea quadam moderatione opportune conveniunt, mutua quadam amicitia tanto complexu iunguntur vereque miscentur, ut fiat amborum vis unica eademque natura. Utrumque enim necesse est convenire, non tantum viri, etsi praestantius et fecundius est, sed mulieris etiam; cuius fecundum esse semen vimque habere procreantem atque fingentem inde colligitur, quod non alium in ea, quam in mare, ortum et a testibus et a vasis acceperit; quod etiam mulier, quae morbo comitiali, aut calculo, aut podagra affligitur, prolem gerit horum malorum heredem; quod demum partus sit plerumque matri similis. Quae omnia non maternus sanguis, sed quod ab illa profusum est semen efficit.

quod comprobari videtur etiam experientia.

Semen ergo, quod de mulieris partibus similaribus decesssit, ad similarium partium effectionem et conformationem vim quandam obtinet. Qualis autem et quanta sit vis declarant ova, quae s u b v e n t a n e a dicuntur, et molae, quas mulieres quandoque proprii dumtaxat seminis vi, nullo viri concubitu, concipiunt. In his siquidem procreationis est quaedam adumbratio et rudis materiae concretio, quam, si maris semen suis instructum viribus accessisset, tanquam multo potentius, numeris et ornamentis omnibus absolvisset. Neque tamen hoc per se et solitarium, sed femineo dumtaxat permixtum quicquam perficit[6].

Initium et processus fecundationis fetus.

Seminibus ergo fecundis in unum permixtis, mox suscitata vis illa in semine latens, huius materiam varie distrahit eiusque partes secernit: non enim est exquisite unum et omni ex parte consimile. Itaque statim uno et altero die partes seminis tenuiores, calidiores et spiritus magis participes, intro et in medio totius molis se recipiunt;

Generatione et Corruptione, lib. 1, cp. 4, q. 21, a. 3; *De Anima*, lib. 2, cp. 1, q. 4, a. 1-2, qui hoc demonstrare volunt etiam ex Canone Ecclesiae, cp. *Siculi*, 33, q. 2, ubi dicitur non committi homicidium ab eo, qui fetum in utero necat ante infusionem animae rationalis, cum nondum dici possit homo. 6) Inhaeret S. Auctor sententiae Hippocratis et aliorum antiquorum, qui docebant omne semen tum maris tum feminae esse activum, « quod, ait Galenus, in gallinis est perspicuum: concipiunt enim hae ova, quae υπηνέμια, idest *subventanea* nuncupantur, sine coitu cum mare. Quibus ovis quod desit quidpiam ad perfectionem, id inditio est, quod animal ex ipsis gigni non possit. Verum in gressibus quidem animalibus, quid reperias, quod ovo proportione respondet, nisi quem medici appellant *molae conceptum*? Quae sane caro quaedam est otiosa atque informis. Satius igitur est semen feminae ad animalis generationem existimare ipsi aliquid conferre ». *De Usu Partium Corporis Humani*, lib. 13, cp. 7, t. 1, f. 287a.

crassae vero et magis terrenae illas ambiunt et circumcirca obvallant; ex quibus durioribus factis et coactis uteri contagione et calore, obvolventes fetum membranae proferuntur.

qui primo variis membranis involvitur

Omnium extima ac prima fit ἀλλαντοειδής [7], tenuis ea quidem et invalida ac angustior, quam quae totum conceptum involvat, longis tamen et arctis processibus ad utrumque apicem porrecta; per hanc membrana χορίον dicta uteri apicibus annectitur; sub hac tota seminis pars exterior et magis terrena – semper enim semen sese colligit in angustum et parte sui media vires continet multo maximas, – quae uterum contingit, in membranam alteram concrescit, quam Latini s e c u n d a s appellant. Semen enim, cum lentum sit et omni ex parte cohaereat, calore crassius fit et magis cogitur, ob idque externa et summa eius facies in membranae substantia coit; levis autem cum sit, utero committitur et adhaerescit per ora vasorum, quae in uterum desinunt: ea dicuntur acetabula, per quae semen alimentum ad se rapit; perforatur enim membrana cum mollis adhuc et recens sit coacta.

et virtute spiritus evolvitur

Praeter has autem et tertia, ἀμνίον appellata, gignitur, circumcirca universum conceptum amplectens et involvens, valida certe et futura sudoris receptaculum; reliquum autem semen, quod intro conclusum est multo tenuius, multo etiam magis calore diffunditur. Hinc mox turgescit spiritus concipiens ac per id tempus quidquid in semine tenue est, id in spiritum abit: non eum quidem venti flatusque plenum, non enim tum uterus flatu turget aut eius distensione torquetur, nec per uteri cervicem flatus ulla vis erumpit; at vero sic in spiritum id vertitur, ut spiritus ille caloris omniumque facultatum moderator et primus procreationis auctor, in seminis medium se collocat [8]. Non enim evanescit aut avolat a semine; sed in eo persistit omnium partium conformator et opifex, in quibus radicitus ac penitus inhaerens, prima fit partium omnium natura hasque, ubi primo conformaverit, postea semper assistens, in omnem vitam, quantum potest, semper diutissime et saluberrime conservat.

7) Ms: *Allantoides*, et sic infra: *Chorion*, *amnion*, *hypezocos*, *peritoneos*, *meninx*, *periosteios*.

8) Nomen *spiritus* apud antiquos philosophos nedum substantiam materiae expertem significat, sed per *spiritum vitalem* intelligitur corpus tenuissimum, calidum et purum, quod ex subtilissima sanguinis portione progenitum est quodque est vinculum animae et corporis. Cf. Boyvin *Physica*, part. 2, q. 3, cp. 1, t. 3, pag. 694.

Itaque hic spiritus et vehiculum est primum ac instrumentum procreatricis facultatis – in eo enim constituta est summa illa ac divina vis conformandi, – et omnes alias naturales [facultates], quibus mutatur et augetur conceptus, earumque auxiliarias, is unus in se omnes sustinet et comprehendit; ex quibus planum evadit spiritum et omne facultatum genus ex semine originem ducere. Hoc pacto quod nuper simplex semen erat a parentibus emissum, naturae rationem sumit, aut, ut explicatius dicam, quae prius in semine sopita erat naturae vis, tum ad agendum excitatur dum primum id innatum sibi officium peragit; quod diximus conceptionem esse et nuncupari.

et nutritur in suis singulis partibus.

Itaque hic spiritus facultates habens et naturae instrumentum, tres bullas in medio seminis constituit, quasi guttas pellucidas, quae proxime sibi rudimenta quaedam et principia exhibent trium principiorum: cordis, iecoris et cerebri; ac quamvis multorum [9] ferat opinio cor primo formari, observatione tamen et experientia compertum est ex puriore et vegetiore seminis portione, quae in uteri medium consedit, tres portiones, quae a tribus parentum principiis defluxerunt, in primis comparere medio semine in tres quasi bullas digestas, spiritu ac facultate refertas, easque rudimenta esse iecoris, cordis ac cerebri [10].

Quod primum in fetu formatur, non cor, sed iecur est;

Ac tunc generans facultas seminis materiam commutat aptamque reddit efformationi; et iccirco aliae portiones crassiusculae apparent, quae in ossa abiturae sunt; aliae tenues ac liquidae, ex quibus nervi fient, venae atque membranae: sic omnium praeparatio quaedam instituitur ad futuram conformationem huius operis. Nonnihil iam die septimo cerni potest ac multo apertius decimo quinto, cum in semine iam conspicuae sint partes et substantia et situ discretae.

postea vero reliquae partes,

Post id tempus conformatrix facultas opus aggressa, primum rudia et inchoata principia, iecur, cor et cerebrum, in propria loca seiungit propriaque figura ac specie exornat; simul et membranae

quae paulatim suam formam et functionem acquirunt.

9) Cf. Meletius Monachus *De Natura Hominis*, (P. G. 64, 1086); Aristot. *De Partibus Animalium*, lib. 3, cp. 4, t. 1, pag. 615; *De Generatione Animalium*, lib. 2, cp. 6, ibid. pag. 662-663. *Galenus*: « Chrysippo aliisque multis philosophis, tam stoicis quam peripateticis, visum est de corde ita pronuntiare ut asserant id primum omnium animalis partium generari ab eoque alias oriri, quodque primum formatum fuerit cor ». *De Fetuum Formatione*, cp. 4, t. 1, f. 139[a]; Averrois *De Partibus et Generatione Animalium*, lib. 3, cp. *De Corde*, sine numeratione folii.
10) Hippocrates et Galenus primam delineationem corporis animalis iecori adscribunt ex propria experientia. *De Fetuum Formatione*, cp. 2, t. 1, f. 138[b].

fetum obvolventes robur nanciscuntur. Mox in his venae et arteriae confinguntur, omnes in fetus umbilicum deductae et quarum oscula polyporum modo acetabulis uteri cohaerent. Tunc temporis e iecore tum vena porta tum cava multiplici sobole dispergitur, et e corde arteria, e cerebro spinae medulla caudicis instar, e qua et nervi filis aranearum tenuiores emergunt: ventriculus, intestina, vesica, cordis involucrum, δπεξωκὼν membrana atque περιτόναιον, duplex μῆνιγξ, omnes denique membranae firmo robore obtenduntur; cutis concrescit omnia contegens.

De ossium origine et progressiva fetus dispositione et conformatione.

Ex ipso quoque semine, non, ut quidam tradiderunt [11], ex carne aridiore facta, ossa figuram sensimque duritiem conquirunt ex coacto et vere concreto semine. Ab ossibus quidquid vi caloris spumae modo emanat, id partim iuxta ossium extrema reponitur ad vinculorum conformationem: partim circumcirca et in longum effunditur, ut membrana [12] fiat, περιόστεον graece appellata. Die quidem vigesimo septimo partes omnes et dispositae et conformatae quodammodo iam apparent: sed perfecte in maribus die trigesimo, in feminis trigesimo sexto.

quae perfectior apparet quadragesimo die a fecundatione;

Hactenus sola existit solidarum partium conformatio ex solo semine, quod quantulumcumque initio conceptum est a parentibus, id nihil auctum, nihil amplificatum, satis est partibus omnibus conformandis. Tum inde sanguis ex utero prolicitur, qui primum circum iecoris in spermaticas fibras atque rudimentum concrescens, totam illius molem et substantiam constituit. Ita quidem saepe observatum est die [13] quadragesimo eiectum fetum semidigiti magnitudine [14], vere ac prorsus conformatum et cuius partes omnes, excepto iecore, albae spermaticae cernebantur: caput par erat avellanae et maius quam pro reliqui corporis ratione; oculi ut cancri [15] exerti; nasus, auriculae, brachia, manus, crura, pedes hisque secreti digiti; penis conspicuus, sub quo scrotum milii magnitudine. Superiora autem inferioribus maiora, nullo ossium robore, sed flexibilia quocumque

11) *Aristoteles:* « Ossa in prima partium constitutione gignuntur ex semine ». *De Generatione Animalium*, lib. 2, cp. 6, t. 1, pag. 665. *Galenus:* « Ex semine et sanguine magis semper siccescentibus, perficiuntur ossa et ungues ». *De Temperamento*, lib. 2, cp. 2, t. 1, f. 15ᵇ.
12) Ms.: *Membra.* 13) Ms.: *Die* repetitur. 14) Hoc invenitur relatum quoque ab Aristotele *De Historia Animalium*, lib. 7, cp. 3, t. 1, pag. 547; Cf. etiam Conimbricenses *De Anima*, lib. 2, cp. 1, q. 4, a. 2. 15) Ms.: *Cancris.*

ducerentur, omnia contecta cute tenuissima et pellucida, per quam interiora cernebantur, alba quidem omnia, fibrosa et seminis aemula, nullo carnis aut sanguinis rubore perfusa. Unum tantum iecur rubrum iam erat, amplum et recens concreto sanguini persimile, in quod ex secundis per umbilicum venae ferebantur sanguine confertae, fetum posthac nutriturae. A die autem trigesimo sexto, aut quadragesimo conformatae partes solidae nutriri incipiunt et carne fulciri: idque iecoris beneficio, quod omnibus alimentum conficit et ministrat.

Specie itaque atque forma modo adornatus fetus, totus tenellus est omnique ex parte prae immodico humore lentus et muci plenus, ob idque ad omnes actiones minus accommodatus; reliquo deinceps tempore, dum vi caloris continuo aridior fit et siccior, cuncta firmantur: membranae, nervi atque cutis, ungues in extremis digitis ac pili in capite radices agunt. Sensus autem facultate fetus illustratur circiter diem sextum et trigesimum. Ubi autem iam ad mensem tertium mas pervenerit, femina ad quartum, firmatis ossibus ac paulo durioribus factis, moveri incipit ac calcitrare.

tunc enim et sensu et motu donatur.

Omnes autem tum spiritus tum vires ac facultates, quibus ad hoc usque tempus potitur fetus, a parentum semine originem trahunt, in quo virtute ac potestate continebantur[16]. Ceterum princeps ea anima, quae mens dicitur et rationis praestantia excellit, separabilis cum sit a corpore, nequaquam in materia potestate continebatur, ex qua demum temporis progresssu erumperet; alioqui enim immersa corpori ipsiusque egens perpetuo, nec ratiocinari, nec intelligere, nec aliud quicquam citra organum corporeum posset efficere. A summo autem rerum Conditore primum creata, in praeparatum instructumque infantis corpus universum temporis momento commigrat: idque mense circiter quarto fieri a nonnullis proditum est[17], quo tempore cor et cerebrum consummata iam sunt;

Cum vero corpus aeque conformatum fuerit, anima rationalis a Deo infunditur;

quod fit quarto circiter mense, ut quidam asserunt.

16) Cf. not. 5 huius cp.

17) Notum est circa temporis punctum, quo anima intellectiva infunditur corpori, valde inter se disceptasse veteres philosophos. In eo tamen fere omnes conveniebant eam infundi cum primum organis humanae proli convenientibus distinctum perfectumque corpus esset. *Conimbricenses :* « Communior veraque sententia est in maribus absolvi circa quadragesimum diem, in feminis circa octogesimum ». *De Anima*, lib. 2, cp. 1, q. 4, a. 2. *Aegidius Romanus :* « Quaedam Glossa super Levitici 12, ubi habetur quod mulier pariens masculum immunda erat quadraginta diebus, pariens autem feminam octoginta, dicit quod masculus formatur in tanto tempore, scilicet in quadraginta diebus. Philosophus autem, in 9 *De Animalibus*, formationi feminae superaddit decem dies, ponens formationem eius scilicet in nonaginta diebus ». *De Humani Corporis Formatione*, cp. 15, pag. 100.

ceterum humoris redundantia, veluti ebrietate aut lethargo sopita, nondum potest, quae sua sunt, munera proferre. Hoc autem tempore, quanquam unaquaeque particula conformata apparet, nondum tamen integre consummata est atque firma; proinde hinc ad nonum usque mensem, quo fetus lucem ortumque accipere consuevit, perficiuntur singulae, nutriuntur et increscunt.

Tum deinde, cum fetus id magnitudinis et roboris consecutus est, ut seipso regi et ore sumptum alimentum conficere valeat, amplior factus uberioremque cibum expostulans et aerem ampliorem, quem nativi caloris refrigerationem spiritus ducat, viam et gressum ipse sibi facit. Utero gestatus, incurvus totus ac contractus, talos ad nates applicat, manibus genua apprehendit, in quae caput sic demittit, ut oculi manuum pollicibus veluti affixi haereant, nasus vero inter genua procumbat; prior corporis pars in matris abdomen, posterior in dorsum vergit, si mas geritur: nam feminae adverso situ collocantur.

Quandiu autem in utero iacet hac ratione alitur: singulis acetabulis tum venarum tum arteriarum alia adnata sunt vasa carne suffulta, per s e c u n d a r u m medias regiones dispersa; tandem in umbilicum coeunt, ex quibus fetus sanguinem et spiritum assiduo rapit. Duae siquidem in umbilico cernuntur arteriae in ramos arteriae maioris lumbis subiectos insertae; totidem venae ex umbilico in unam coeunt et in iecoris cava pertinent, ut qui per has ex s e c u n d a r u m venis, tanquam ex radicibus, tractus est sanguis, rursus in fetus iecore perfectionem suscipiat et quasi nova mutatione familiare illi fiat alimentum; hinc per venam cavam quoquoversum derivatus, partibus singulis pastionem afferat; omnes quippe hinc alimentum capessunt atque in hunc modum alitur, augetur perficiturque fetus.

Ceterum circa nonum mensem factus grandior, copiosiore egens alimento et spiritu, diutius concludi non patitur. Proinde primum sese convolvit caputque declinans pudendo offert crura, ac reliquos artus in superiora distendens – id autem nonnunquam molitur uno mense ante partum, – ac sic se invertens, nihil defringit, quod laxior sit umbilicus duos plerumque cubitos longus, multis modis et involucris fetum praecingens. Instante autem partu, ille calcitrans, primum ἀμνίον membranam manuum pedumque crebra impulsione disrumpit; posthaec vero maiore impetu sese convolutans, plurima acetabula dissolvit; quo tempore mater ventris fortiores [dolores] expe-

Nono mense in lucem editur.

ritur. Postea vero s e c u n d a e ab acetabulis divelluntur et reliquae discerpuntur membranae atque ex utero defluunt; cumque nil amplius haeret, fetus excidit ceu maturum malum ab arbore soluto sponte pediculo, sicque conceptum fetum parit mulier.

Ecce quam mira in his Sacrae Scripturae verbis continentur: *Cognovit Adam uxorem suam, quae concepit et peperit.*

Nunc autem sunt diligenti indagine excutienda nobis ea verba, quae, dum peperit, protulit mulier, dicens: *Possedi hominem per Deum.*

L i t t e r a autem H e b r a i c a sic habet: *Possedi,* vel *acquisivi virum* אֶת־יְהוָה.

R a b b i n u s S a l o m o n hunc locum ita exponit [18]: « Quando, inquit, Deus creavit me et virum meum, ipse solus creavit nos. Veruntamen in hoc ego communicavi cum eo »; ut sit sensus: *Possedi hominem cum Deo,* quia non ipse solus hunc creavit, sicut nos: sed ego cum ipso concurri. Alii vero sic exponunt [19]: Filius iste erit possessio Dei, et quando nos moriemur, ipse loco nostro remanebit ad serviendum ei. Alii autem ita, ut R a b b i n u s A b r a b a n e l [20], quod hoc dixit « propter gloriam; quod si prima vice mulier acquisita est et facta ex viro os ex ossibus eius et caro de carne eius [21], nunc factus est vir Cain de muliere Eva, matre eius, in auxilio vel adiutorio Dei; et non est supra memoratum a sermone mulieris, quod mulier egressa sit de viro; et ecce nunc quoque vir de muliere egreditur; et hoc est quod dicit: *Acquisivi hominem :* quia appropriat illum sibi ipsi et non patri eius ».

Possedi hominem per Deum. Variae expositiones huius loci iuxta Hebraeos.

At vero, si recte inspiciatur, aliud praeseferre locus hic conspicue videtur. Ait enim: *Acquisivi hominem,* sive *virum* אֶת־יְהוָה, idest *Dominum* τετραγράμματον [22]; ut sit sensus: virum acquisivi, qui

Videtur quod Eva, sciens ex promissione Dei Messiam venturum,

18) Op. cit. f. 6a. 19) Cf. Nachmanides h. l. 20) Op cit. f. 35a. 21) Cf. Gn 2, 23.

22) Ms.: *Tetragrammaton,* et infra. *Helvicius :* « Audiamus Pareum : Sic inquit in postrem. Comment. Gen. p. 665. *A Domino ;* hebr. את יהוה ; LXX διὰ θεοῦ. Sic omnes Graeci et Latini Interpretes, Hieronymus, Ambrosius. Chrysostomus, Augustinus. Onkelos, *Coram Domino,* q. d. Divina ope enixa sum filium. Alii, *A Domino,* sic agit gratias Deo, donum eius agnoscens. Alii, *Domino,* q. d. Qui nobis defunctis in cultu succedet. Alii, *Dominum,* quod promissum illud semen, Christum Redemptorem, se iam peperisse putavit mater ». *Desiderium Matris Evae, Critici Sacri,* t. 1, part. 2, in calce *Deuteronomii,* pag. 3. *Pagnini :* « *Acquisivi virum Dominum :* Nonnulli per accusativum exponunt : ipsum Dominum..., iuxta sententiam Caballicorum, quasi se putaret Chavam peperisse Messiam ». Op. cit. sub radice : קָנָה, col. 2467.

est Dominus τετραγράμματον. Quo autem id clarius elucescat, illius, quod supra ad serpentem Dominus dixit, advertendus est animus, dum ait: *Inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illius, ipsum conteret tibi caput* [23]. Ex quibus verbis deprehendit mulier Messiam esse venturum redemptorem, qui caput diaboli contereret ipsumque hominem ab eius captivitate et crudeli tyrannide liberaret. Deprehendit etiam hunc Messiam redemptorem non purum hominem fore, cum diabolum fortem armatum venturus esset vincere ac superare eiusque arma diripere [24]: omnis autem homo natura et virtute multo imbecillior est diabolo; adde quod omnis homo iam in diaboli redactus erat potestatem eiusque servus constitutus. Sed futurus erat Deus verus de Deo vero et perfectus homo, *sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior coelis factus* [25]: qui tamen ex eius propagatione erat nasciturus ac eius semen, mulieris scilicet, futurus; et secundum quod homo futurus erat, perfectus *vir* dicitur: secundum vero quod Deus, יהוה, nomen ineffabile soli Deo conveniens.

qui simul Deus et homo futurus erat,

Eva ergo existimans hunc suum primogenitum fore, ingenti gaudio perfusa, dum suum primogenitum peperit, ait: *Acquisivi virum Deum* τετραγράμματον. Recte Messiam et *virum* et *Deum* τετραγράμματον vocat; utroque enim nomine per I e r e m i a m Christus insignitus est. *Vir* enim ab eo vocatur dum inquit [26]: *Novum creavit Dominus super terram, femina circumdabit virum;* alio autem in loco Dominum eum τετραγράμματον vocat, dicens: *Et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus* τετραγράμματον *iustus noster* [27]. Cum autem id verissime esset futurum, in verborum intellectu nihilo decepta est mulier; in eo autem alucinata est, quod hunc filium suum primogenitum putavit, Cain scilicet.

alucinatione ducta, existimavit hunc esse Cain, et ideo vocavit eum *possessionem Dei.*

Cum autem eum parentes, praeter spem, pravis moribus perversum agnoverunt, novam alteram inchoarunt nativitatem et genuerunt Abel. Hoc est quod sequitur:

Rursumque peperit fratrem eius Abel.

Quam facile humanum iudicium alucinatur, hic apparet!

Advertendum hic Abel non cum א [28] in hebraeo scribi, sed

23) Gn 3, 15. Ex hebraico. 24) Cf. Lc 11, 21-22. 25) Hebr 7, 26. 26) 31, 22. Vulg.: *Creavit Dominus novum*, etc. 27) 23, 6. 28) Ms.: *Aleph* et: *He*, sic et infra.

Filius, qui secundo genitus est, Abel vocatur, idest *vanitas*.

cum ה: unde v a n i t a t e m, non luctum significat, ut multi falso dicunt[29]; l u c t u m enim significaret si cum א scriberetur: אבל; modo non sic scribitur, sed cum ה: הבל, v a n i t a s, iuxta illud: *Vanitas vanitatum*[30], ubi est: הבל. Primi enim parentes primogenitum suum *Cain*, idest *acquisitionem* vel *possessionem* vocaverunt; secundogenitum *Abel*, idest *vanitatem*. Quod etsi apud hominem ita fuit – nam Cain permansit quidem in terra filiosque possedit et terrae bona acquisivit, cum Abel occisus a fratre ab oculis hominum evanuerit, – apud Deum vero aliud omnino futurum erat. Abel enim Dei futura erat possessio propter innocentiam, iustitiam, fidem et caritatem; Cain autem vanitas et nihil ante Deum, ad quem *et ad eius munera non respexit*[31] : et demum suorum facinorum merito damnatus est. In his autem duobus fratribus iustos ac impios, tanquam in evidenti simulacro, licet contemplari.

Aliqui asserunt Cain et Abel gemellos fuisse; alii autem in primo et secundo partu marem et feminam natos gemellos fuisse.

Ex eo autem quod hic non additur: *concepit* sed tantum: *rursumque peperit*, Hebraeorum nonnulli existimant[32] Cain et Abel gemellos fuisse fratres; id autem parvi momenti est. Alii autem dicunt[33] semper gemellos natos fuisse, marem scilicet et feminam, tum in primo tum in secundo partu, cum Scriptura dicat Cain uxorem suam cognovisse, nulla de eius nativitate habita mentione; sed sororem suam, quae una cum eo nata est, eius fuisse uxorem; quod nec mihi displicet. Quod autem nonnulli ipsorum dicunt[34] hos fratres in paradiso natos fuisse, non postquam inde eiecti sunt, cum id Sanctis Doctoribus non placeat[35], nec ipse probo, sicut nec a multis eorum probatur, etsi omnium fere Hebraeorum par sit consensus[36] Adam statim cognovisse uxorem suam, ut de ligno vetito comedit, cum se in medias arbores absconde-

Probanda non videtur sententia eorum

29) Cf. Origenes *Comment. in Matth.*, (P. G. 13, 1635); Eusebius Caesar. *Praeparat. Evang.*, lib. 11, cp. 6, ibid. 21, 859; Io. Zonara *Annales*, lib. 1, ibid. 134, 38; S. Hieronymus *Graeca Fragmenta, Libri Nominum Hebraicorum, fragm. 3*, (P. L. 23, 1166); *Lexicon Graecum Nominum Hebraicorum*, ibid. col. 1204; *Lib. Nominum Hebraicorum*, ibid. col. 1282. 30) Eccle 1, 2. 31) Gn 4, 5. Vulg.: *Ad munera illius*, etc. 32) Cf. Rab. Salomon, qui refert aliorum Hebraeorum opiniones. Op. cit. f. 6ª. 33) Cf. *Bereshit Rabba*, XXII, 2-3, pag. 205-206; Nic. Lyranus op. cit. f. 46ª; Alph. Tostatus op. cit. f. 25ª. 28ª; Io. Monochius op. cit. pag. 5; Aptowitzer op. cit. pag. 1. 94. 34) Cf. *Pirke Rabbi Eliezer*, cp. 21; Nic. Lyranus op. cit. f. 44ᵇ. 48ᵇ; Alph. Tostatus op. cit. f. 25ᵇ. Caietanus op. cit. pag. 36, annot. F. A. Fonseca. 35) Cf. S. Io. Chrysostomus *Hom. 18 in Gen.*, (P. G. 53, 153); Procopius *Comment. in Gen.*, ibid. 87, 234; S. Hieronymus *Adversus Iovinianum*, lib. 1, (P. L. 23, 235); S. Augustinus *De Genesi ad Litteram*, lib. 9, cp. 4, ibid. 34, 396; S. Beda *Hexaem.*, lib. 2, ibid. 91, 63; Remigius *Comment. in Gen.*, ibid. 131, 68. 36) Cf. cp. 3, pag. 270, not. 56. De his opinionibus cf. etiam Ginzberg op. cit. V, pag. 134, not. 4.

qui dicunt Cain et Abel in paradiso natos fuisse.

runt[36a]. At quomodo in tanto timore id potuerunt efficere? Quapropter quae hic dicuntur eo ordine gesta esse existimo, qua hic serie narrantur; et sicut postquam de paradiso eiecti sunt haec dicuntur, ita etiam post eiectionem haec facta esse.

Vr. 2

Fuit autem Abel pastor ovium et Cain agricola.

T e x t u s H e b r a i c u s : *Et fuit Abel pastor ovium et Cain fuit colens terram.*

C h a l d a i c u s : *Vir colens terram.*

Fuit autem Abel pastor, etc. Abel oves pascebat, non ut carnes comederet, sed ad lactis usum, et ad sacrificia, et ad vestes conficiendas ex lana et pellibus earum.

Cum, ex Domini sententia[37], omne hominum genus *in sudore vultus* panem erat comesturum, hinc, cum ex primis parentibus filii nati Scripturae serie propositi sint, statim quae eorum exercitia fuerint, quibus alimenta lucrarentur ad vitam agendam, narratur: *Fuit*, inquit, *Abel pastor ovium;* innocens, simplex et humilis, quae etiam patriarcharum vita fuit, qui viros ovium pastores se esse dixerunt[38]. *Cain* autem *vir colens terram.* R a b b i n u s A b r a b a n e l notat hic[39] quod Cain accepit sibi artem ad colendam terram, propterea quod non fuit timens Deum et non curavit maledictionem terrae: *Maledicta terra propter te*[40]*:* quae dicitur Adam patri suo.

Dubitare autem quis posset: cum carnium esus non esset laxatus, ad quid Abel oves pascebat? Sed oves non ad esum tantum sunt carnium, sed ad lactis usum, qui non prohibebatur; propter lanam et pelles, quibus vestiebantur; tum demum propter sacrificium, sicut infra legimus Abel de pinguibus gregis sui Domino obtulisse.

Vrr. 3-5

Factum est autem post multos dies ut offerret Cain de fructibus terrae munera Domino; Abel autem obtulit de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum, et respexit Dominus ad Abel et ad munera eius; ad Cain autem et ad munera eius[41] *non respexit; iratusque est Cain vehementer et concidit vultus eius.*

T e x t u s H e b r a i c u s : *Et fuit a fine dierum, obtulit Cain de fructibus terrae oblationem Domino; et Abel etiam ipse obtulit de primogenitis gregis sui et adipem earum,* etc. *Et conciderunt vultus eius.*

P a r a p h r a s t e s C h a l d a i c u s ita prorsus, nisi in hoc: *Et fuit voluntas,* sive *beneplacitum a conspectu Domini in Abel et in*

36a) Cf. Gn 3, 6-10. 37) Cf. ibid. vr. 19. 38) Cf. ibid. 46, 34; 47, 3. 39) Op. cit. f. 35a. 40) Gn 3, 17. Ex hebraico. 41) Vrr. 4-5. Vulg.: *Abel quoque obtulit... ad Cain vero et ad munera illius,* etc.

oblatione eius ; in Cain autem et in oblatione eius non fuit beneplacitum, sive *electio*, vel *cor; et exarsit ira Cain vehementer et conciderunt vultus eius.*

T h e o d o t i o transtulit [42]: *Et inflammavit Dominus super Abel*, etc.

Factum est autem post multos dies, **etc. Iuxta Hebraeos aliquos, inter Cain et Abel contentio orta est circa excellentiam respectivae artis.**

Hebraeorum nonnulli [43], inter quos R a b b i n u s A b r a b a n e l [44], hunc locum ita exponunt quod, « cum posuerit Scriptura horum fratrum exercitia, orta fuit contentio inter eos, quodnam opus et ars melior esset et Deo acceptior. Cain enim dicebat quod melius erat ut esset colonus terrae, dans escam omni carni [44a], quia omnia alia indiguissent eo, ipse autem non indiguisset illis: quod est magnus honor; et quod in opere suo essent multae species tum plantarum tum fructuum et plura alia. Abel autem e contra dicebat quod eius ars esset magis honorabilis, quam ars Cain, quia opus Cain esset tantum vita vigens, ut sunt germina, plantae et fructus: opus autem suum esset vita sensuque vigens et praestans, eo magis quod terra in opere suo esset maledicta homini et spinas ac tribulos germinaret [45]. Veruntamen pastura gregum non fuit maledicta, et propterea obtulit primogenita gregis sui et adipes eorum ad ostendendum perfectiones et benedictiones eorum, quia erant in eis, quae mandi poterant, praeter carnem, butyrum et lac cum lacticiniis. Praeterea est negotium et regimen et honor bonus in semetipso, adeo ut Deus nuncupandus sit pastor Israel [46], et Sancti Patres [47] et David [48] rex futuri sunt pastores et nullus eorum colonus terrae. Cum ergo esset haec contentio inter eos, dixerunt: Videat Deus et iudicet. Et propterea uterque obtulit sacrificia et oblationes Domino de fructibus artis suae: *Et respexit Dominus ad Abel et ad munera eius*, mittendo ignem de coelo super ea, et non super Cain et munera eius »; vel, secundum R a b b i n u m L e v i b e n G h e r s o n [49], benedicendo Abel et non Cain et opera eius. Haec est Hebraeorum expositio.

Qua de re iudicio Dei invocato, sacrificia obtulerunt.

Deus vero respexit, seu acceptavit sacrificium Abel, Cain vero respuit.

Nos vero ita exponimus. Cum primus homo Deum Optimum Ma-

42) Cf. Origenes *Hexapla*, (P. G. 15, 182). 43) Cf. Ginzberg op. cit. V, pag. 138-139, not. 17 ; Aptowitzer, op. cit. pag. 9-29. 44) Op. cit. f. 36a. 44a) Cf. Ps 135, 25. 45) Cf. Gn 3, 18. 46) Cf. Ez 34, 10-16. 47) Cf. Gn 3, 7 ; 26, 20 ; 29, 3 sqq.; 46, 34 ; Ex 3, 1 ; Am 1, 1. 48) Cf. 1 Rg 16, 11 ; 17, 15. 34 ; Ez 34, 23. 49) *Tohliot RaLBaG*, seu *Commentum in Pentateuchum* Rabbini Levi ben Gherson, h. l. sine numeratione folii, et apud Rabbinum Abrabanel op. cit. fol. 36a.

Tenendum est Adam, cum sciret se esse nedum patrem, sed et hierarcham generis humani et institutorem,

ximum ab omnibus hominibus supremum dominum summumque dominatorem agnosci debere eumque sacro cultu et summa adoratione colere ac vereri honoribus summis, Deo interius mentem illustrante, cognovisset: cumque nedum se totius propagandae posteritatis patrem, a quo omnis homo originem traheret, sed et principem quoque ac hierarcham totius humani generis agnosceret, quibus deberet vitae instituta praebere, vivendi rationem, bonos mores sacramque religionem pietatemque in Deum et ea, quae divini iuris sunt:

non tantum ea, quae ad vitam materialem, sed et quae ad rectam vivendi rationem et ad divinum cultum spectant, docuisse,

non solum primores filios suos artium rationem docuit, quibus victum ad corporalem vitam sustentandam lucrarentur – nam Cain terrae colonus factus est, *Abel* autem *pastor ovium,* – sed eos quoque sacrae religionis, divini cultus pietatisque in Deum leges iuraque instruxit [50]; primo, ut summum Deum agnoscerent eumque mente et corde, in *spiritu et veritate* [51] ss. adorarent summisque honoribus venerarentur et omnium, quae a largissima eius manu accepissent, munera ei tanquam omnium largitori offerrent pro suis piaculis,

et praecipue Domino sacrificia offerre.

victimas sacrificarent litarentque hostias pro impetrandis votis eoque propitiando. Fratres ergo hi paternarum institutionum non immemores, nec surdi auditores, sed factores operum [52], pro divino cultu munera Domino obtulerunt oblationesque suas, tanquam summi altissimique Dei sacerdotes ac divinae religionis cultores, sanctificaverunt.

Ad luculentiorem autem huius loci intelligentiam advertendum animo est primo, quod huiusmodi oblationes a Septuaginta nunc δῶρα, idest munera, nunc θυσία dicuntur, idest sacrificia. Quare videndum est quid in causa fuerit ut huiusmodi sacrificia instituerentur et quid proprie sacrificium sit et quotuplex.

Duplex est sacrificium: *internum,* quod est mentalis oblatio sui ipsius Deo facta;

Statuendum autem principio est duplex esse sacrificium: unum internum, alterum vero externum. Et internum quidem nihil aliud est, quam mentalis quaedam devotio et oblatio suiipsius facta Deo in recognitionem supremi dominii.

***externum,* cum id quod mente agitur, externe ostenditur ora-**

Externum vero est, cum id, quod mente agimus, etiam externe significamus atque ostendimus: aut voce, et haec est oratio: aut abstinentiis et morti-

50) Cf. S. Athanasius *De Decretis Nicaenae Synodus,* (P. G. 25, 431); Petrus Comestor *Historia Scholastica, lib. Gen.,* cp. 27, (P. L. 198, 1077); Nic. Lyranus op. cit. f. 45ᵃ; Alph. Tostatus op. cit. f. 26ᵃ; Caietanus op. cit. pag. 36, annot. A. Fonseca. 51) Cf. Io 4, 23.
52) Cf. Iac 1, 22.

ficationibus affligimur: vel denique martyrio, quod summum sacrificium est: aut cum externorum bonorum partem aliquam Deo offerimus in signum confessionis et laudis ac in debitum et recognitionem suorum erga nos beneficiorum, cum ab illo sint cuncta, quae habemus et possidemus.

tione, mortificatione, martyrio, et tandem bonorum exteriorum oblatione.

Haec autem bona externa quae offerimus, sacrificium proprie non sunt, nisi aliquid circa illa fiat, quo sacra reddantur; profanae enim sunt res externae; unde oportet eas prius sacras fieri: deinde offerri in sacrificium. Sacrificium enim est quid sacrum factum; et sacrificare, rem sacram, iuxta vocis etymon, facere. Hinc pro sacrificare, rem divinam facere Latini dicunt. Quapropter ad huiusmodi res Deo digne offerendas, sacri ritus, orationes sanctae, sacramentales ceremoniae a Deo et ab Ecclesia institutae sunt, sicuti et in Veteri quoque Lege fiebat [53].

Ut res externae Deo offerri possint, prius oportet eas sacras facere, cum per se profanae sint.

Ad hoc institutae ceremoniae quaedam a Deo et Ecclesia fuerunt;

In internis autem sacrificiis necesse non est quidquam circa ea fieri, quo sacra reddantur; iam enim per adeptam gratiam sacra est mens nostra simulque eam et sacramus et offerimus, cum in Deum elevamus: cum etiam corpora nostra per gratiam sanctificentur – sunt enim, iuxta Apostolum [54], nostra membra Christi membra et corpora nostra templum Spiritus Sancti [55], – de his quae circa nostrum corpus fiunt, idem iudicium est.

quae non requiruntur in sacrificiis internis, quia per gratiam et mens sacra est et corpus sanctificatum.

Advertendum praeterea est non esse unum dumtaxat sacrificiorum finem. Est enim sacrificium merae laudis et confessionis ac gratiarum actionis, cum per illud profitemur nos Deo esse subiectos, sicut erat in Veteri Lege sacrificium תודה תרומה [56], idest laudis et elevationis. Est et sacrificium expiationis et placationis, quo ira Dei et indignatio eius in nos ad nostra punienda peccata et divinae offensionis vindictam suffertur; et hoc *sacrificium pro peccato* [57] dicitur peccatumque praesupponit. Imo peccatum praecipue in causa fuit, ut haec in-

Multiplex sacrificii finis: in laudem Dei et gratiarum actionem, ad expiationem peccatorum et divinae indignationis placationem.

53) Cf. Ex 29, 1-30, 1 sqq.; Lv 1, 1-2, 1 sqq.; 16, 6 sqq. 54) Cf. 1 Cor 6, 15. 19.
55) Cf. ibid. vr. 19; 2 Cor 6, 16. 56) Ms.: *Toda–Theruma*. Cf. Ps 49 (hebr. 50), 23; 106 (hebr. 107), 22; 115 (hebr. 116), 17; 2 Par 23, 16; Ez 45, 13. תודה enim, idest *laus et confessio*, significat sacrificia quae fiebant laudibus et gratiarum actionibus; תרומה autem, *exaltatio et elevatio*, ea quae Deo offerebantur, in altum elevando res oblatas. 57) Cf. Lv 4, 1 sqq.; 7, 1 sqq.

stituerentur sacrificia. Cum enim totum genus nostrum esset sub peccato et inimicum Deo, necessarium fuit sacrificia quaedam institui ad eluenda peccata.

Nemo digne poterat Deo sacrificia offerre, quia ob peccatum omnes Dei inimici erant; res quoque offerendae profanae et sub maledicto.

At cum omnes inimici Dei constituti essemus [58], quis hominum unquam Deo placens et factus dilectus [59] inveniri potuit, qui coram eo assisteret ac sacerdotio fungeretur ac sacrificare idoneus, quod est rem sacram facere, meritoque hanc potestatem habere potuisset, cum unusquisque Deo esset odibilis, in peccatis conceptus et natus [60]? Aut quid unquam Deo acceptum offerre potuit quis, quod Deum placare et propitiare valuisset, cum nedum nos ipsi, sed et cuncta nostra profana essent et sub maledicto [61]?

Unus Dominus Iesus Christus, seipsum offerens *immaculatum Deo*, et dignus sacerdos et hostia perfecta inventus est.

Unus tantum inventus est natura merito maledicti immunis, qui ideo designatus est hostia et sacrificium ac sacerdos pro nobis, *qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore eius* [62], et *oblatus est quia ipse voluit* [63] *et peccata nostra ipse portavit* [64]. Unicum ergo pro totius mundi delendo ac abolendo peccato undequaque perfectum inventum est sacrificium, Christi videlicet sanctissima et innocentissima caro in ara crucis Deo per passionem et cruentam mortem offerenda, ut Christus *semetipsum* offerret *immaculatum Deo* [65] hostiam pro peccato, in redemptionem totius humani generis: sicut et fecit in cruce, cuius sacrificii virtus per universum mundum omni tempore extenderetur.

Eius sacrificii virtus utpote infinita et perpetua, nedum ad praesens et futurum, sed et ad retroacta tempora protrahitur.

Licet enim sacrificium illud ad modicum tempus duravit, eius tamen virtus perpetua est ac infinita, quae exhauriri non potest, et ad omne tempus expansa. Hinc enim dicitur: *Christus Iesus heri et hodie . . . et in saeculum* [66]; quoniam eius sacrificii virtus, nedum ad praesens et futura tempora protracta est: sed retroacta etiam ad superiora tempora in praescientia et praevidentia Dei ac Sanctorum Patrum fide vim habuit atque omnia sacrificia veterum Patrum, sive quae in lege sive quae ante legem praecesserunt, veluti typis et figuris sacrificium istud repraesentabant.

Nec ad emundationem et expiationem peccati coram Deo ex pro-

58) Cf. Rom 5, 10. 59) Cf. Sap 4, 10. 60) Cf. Ps 50, 7. 61) Cf. Gal 3, 10. 62) 1 Petr 2, 22. Vulg.: *Nec inventus est dolus.* 63) Is 53, 7. 64) 1 Petr 2, 24. Vulg.: *Pertulit.* 65) Hebr 9, 14. 66) Ibid. 13, 8. Vulg.: *In saecula.*

prio merito et virtute quidquam valebant; impossibile enim erat, teste Apostolo[67], sanguine animalium auferri peccata, quamvis irregularitates et immunditias, ex transgressione legis contractas, coram hominibus eluebant[68]: huius tamen hostiae, quam referebant, vigore poterant absque dubio expiare peccata. Hinc est quod, Archipropheta teste[69], Christus Iesus, agnus innocens et immaculatus, ab origine mundi passus dicitur; per fidem enim venturi Salvatoris ex merito futurae eius passionis a Deo praevisae et in sacrificiis illis cruentis repraesentatae, Sancti Patres a Deo instructi ut id crederent et sperarent, in sensibilibus illis sacrificiorum signis gratiam accipiebant et a peccatis expiabantur[70].

Quare omnia V. Testamenti sacrificia hoc solum repraesentabant et ex hoc virtutem remittendi peccata mutuabant.

Hoc pacto divina Sapientia *illum, qui primus formatus est..., eduxit a delicto suo*[70a]. Adam enim, accepta Redemptoris et Salvatoris promissione a Deo[71] in verbis Dei ad serpentem, ut nos supra explicuimus[72], sacrificium Deo obtulisse creditur, ad sui peccati expiationem. Nam praeter ea, quae nos supra diximus[73], eum scilicet carnes illorum animalium Deo in sacrificium litasse, ex quorum pellibus tunicas ei et uxori Dominus fecit, Cabalistica traditio habet[74] eum, post angelicam consolationem et futurae liberationis et salutis spem acceptam, in gratiarum actionem erecto altari sacrificasse et iuvencum Deo obtulisse; quod etsi Scripturis Sacris commendatum non sit, verissimum tamen puto.

Hoc modo Adam ipse, statim ac accepta promissione Salvatoris, creditur sacrificium obtulisse et sui peccati remissionem obtinuisse.

67) Ibid. 10, 4. 68) Cf. Lv 12, 6-8; 14, 1-32; 15, 14 sqq. 69) Cf. Is 16, 1; 53, 7. 70) Cf. S. Rob. Bellarminus *Controversiae Christianae Fidei, De Effectu Sacram.*, lib. 2, cp. 16, t. 3, col. 152; *De Missa*, lib. 2, cp. 12, ibid. col. 796-797. 70a) Sap 10, 1-2. 71) Ms.: *Dei*. 72) Cp. 3, pag. 288-290. 73) Ibid. pag. 313-314. 74) Cf. *Talmud*, *Sciabbad*, f. 28b; *Holin*, f. 60a; *Aboda Zara*, f. 8a, ubi loquitur de hoc sacrificio et dicitur etiam iuvencum illum cornu habuisse in media fronte. *Pagnini*: «קָבַל, idest *Cabal*, quod est suscipere, recipere, acceptare, excipere, perceptum ab alio habere, unde Cabala Doctrina, per manus accepta, et oretenus ab aliis ad alios transfusa. Sic volunt Paulum *Ad Galatas* 1, dicere: *Si quis vobis aliud Evangelium annuntiaverit, praeter id quod accepistis...*; et rursum: *Neque ab homine accepi...* Syriacum est: unde fere nonnisi in libris captivitatis invenitur... Hinc non est dubium, ut dixi, קַבָּלָה ductum quasi receptionem, hoc est, receptam doctrinam dicas, doctrinae genus, quod non litteris mandabatur, sed viva voce tradebatur. Παράδοσιν, idest Traditionem videntur postea Graeci appellasse. Haec de rebus seriis erat et toto Dei cultu et mysteriis magnis, quam posteri et recentiores Hebraei magna ex parte, in nugas et curiositates ac superstitiosiores numeros, Pythagoreorum more, et litterarum aut nominum inversiones, transmutationes, seu transformationes et anagrammatismos mutarunt, ne quid de impio deinceps invecto abusu dicam. Sic primum *Cabalae* nomine, quod viva voce a primis illis Patribus, et deinceps a viris sapientibus acceptum erat, vocarunt; ut nomine *Midras*, quod in scripta redigebatur». Op. cit. sub hac radice, col. 2400.

Id tradunt Hebraei, licet in Scriptura non memoretur, ne Adam putaretur radix et origo iustitiae, quod erat Christi.

Cur autem in Scripturis sacrificium, quod Adam primus obtulit, non commemoretur, in causa fuisse existimo, ne sicut ipse radix et origo peccati in omnes notatus fuit, ita etiam radix et origo sanctitatis in omnes, quod erat Christi, designaretur. In Scriptura enim Adam fere in omnibus gestabat personam omnium; sed nato peccato et nova ratione status instituta, ipse consideratus est ut privata persona, et iccirco sacrificavit pro se et uxore sua, velut quilibet sacerdos, non ut caput et origo omnium; atque eo sacrificio ipse et uxor eius a peccato emundati sunt.

Respexit Dominus ad Abel et ad munera eius,

Et ad peccati expiationem sacrificium institutum est, alioquin ad divinum honorem; et hoc pacto filios suos sacrificare docuit et munera Deo offerre. Quare filii a patre instructi munera et sacrificia Domino obtulerunt: et Cain quidem, quoniam terrae colonus erat, *de fructibus terrae* munera obtulit; *Abel* autem *pastor ovium, de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum ; et respexit Dominus ad Abel et ad munera eius ; ad Cain autem et ad munera eius non respexit. Non personarum acceptor est Deus* [75], sed unumquemque ex merito iudicat.

quia eius sacrificium externum iungebatur interno ;

ideo ignem de coelo misit in signum acceptationis, sicut pluries accidit in V. Testamento.

Sed cur placuit Deo Abel et munera eius, Cain autem minime? Memorandum hic est quod paulo ante diximus [76], quod sacrificium duplex est: internum scilicet et externum; et prius ac magis internum a nobis exigit Deus, quam externum; nec istud illi unquam placere poterit sine illo; et si illud non placet, nec istud placebit unquam. Quoniam ergo Abel semetipsum prius Deo omni cum mentis devotione obtulit fuitque eius persona accepta Deo, iccirco et ad ipsum et ad munera eius respexit Deus, inflammando super eum et munera eius, quod est manifestum signum divinae acceptationis; sicut de sacrificio Noe creditur [77], et de sacrificio Gedeonis, in libro *Iudicum* [78], et Salomonis, in libro *Paralipomenon* [79], et Eliae [80]; idem in holocausto Aaron [81] manifeste apparet. Quoniam vero Cain Deo non placuit, nec eius munera placuere.

Ad Cain autem non respexit, nec mu-

Cur autem persona quidem Abel Deo placuerit, persona autem Cain minime, respondet D. Ioannes in *1* sua *Canonica,* dicens [82] quia Cain *ex maligno erat . . .* et *eius opera erant mala, fratris autem*

75) Act 10, 34. Vulg.: *Non est personarum,* etc. 76) Pag. 342-343. 77) Cf. Gn 8, 20-21. 78) Cf. 6, 20-21. 79) Cf. 2 Par 7, 1. 80) Cf. 3 Rg 18, 38. 81) Cf. Lv 9, 4. 82) 3, 12. Vulg.: *Opera eius maligna erant . . . , iusta.*

nera eius acceptavit, quia ex diabolo erat, et pravi eius mores.

eius bona, quia ex Deo erat. Esse[83] autem *ex maligno* nihil aliud significare videtur, quam esse ex diabolo, iuxta illud Domini: *Vos ex patre diabolo estis et opera patris vestri vultis perficere*[84]. Esse autem ex diabolo non secundum naturam intelligendum est, cuius auctor est Deus, sed secundum pravos mores et mala opera, quorum inventor est diabolus: ac propterea peccatorum pater dicitur; ab ipso enim omnis iniquitas traxit originem. Abel autem per fidem et caritatem Dei filius erat.

Abel Deo placuit, quia in Christum venturum credens, primogenita gregis sui obtulit;

Apostolus *ad Hebraeos* aliam videtur assignare rationem, dicens[85]: *Fide Abel copiosiorem hostiam quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est quod esset iustus, testimonium perhibente de muneribus eius Deo, et per illam defunctus adhuc loquitur.* De fide Christi loquitur, quod crediderit Abel in Christum venturum ac propterea primogenita gregis sui Deo obtulerit in sacrificium agnos immaculatos, quo in sacrificio Christum et eius passionem agnoscebat, venerabatur et adorabat. Cain autem infidelis fuit, nec fidem Redemptoris habuit; quapropter Deo placere non potuit et Deum quidem ut Creatorem credebat et venerabatur, quod fere certo sciebatur in origine illa mundi, Redemptorem autem non credebat, nec praestolabatur; iccirco de *fructibus terrae* obtulit, in quibus creatio, non redemptio elucet.

Cain autem non placuit, quia, etsi in Deum Creatorem, non tamen in Redemptorem credebat,

et forte nec de melioribus fructibus terrae offerebat.

Deinde quantum ad rationem oblationis, Scriptura dicit quod obtulit *de fructibus terrae*; non de primitiis fructuum, non de electis et melioribus, quae Deo debentur, sed de fructibus quasi communibus et forte etiam corrosis vel vilibus; unde fructus terrae quasi viles dicuntur. Abel autem *obtulit de primogenitis gregis sui* et de pinguibus eorum: ומחלבהן, idest *de adipibus eorum;* חלב enim adipem significat: vel *de electis et optimis earum;* ea enim vox electum etiam et optimum significat. Merito ergo *respexit Dominus ad Abel et ad munera eius, ad Cain autem et ad munera eius non respexit.* Cain autem, innocentis fratris gratiae invidens, *iratus est vehementer et concidit vultus eius.* Invidia enim et iram et moerorem parere solet; propterea dicitur concidisse vultus eius propter tristitiam et dolorem.

Hinc invidia et ira in fratrem exardescere coepit.

83) Ms.: *Esset.* 84) Io 8, 44. Vulg.: *Desideria... facere.* 85) 11, 4. Vulg.: *Plurimam hostiam Abel... esse iustus.*

Vrr. 6-7 *Dixitque Dominus ad Cain*[86]: *Quare iratus es? et cur concidit facies tua? Nonne, si bene egeris, recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit? Sed sub te erit appetitus eius, et tu dominaberis illius.*

Textus Hebraicus: *Quare iratus es? et cur ceciderunt facies tuae? Nonne, si bene egeris, parcere; si autem non bene egeris, ad ostium peccatum cubabit? Et ad te appetitus eius et tu dominaberis in eo.*

Chaldaeus Interpres: *Nonne, si bonum feceris opus tuum, remittetur tibi,* sive *relinquetur; si autem non bene feceris opus tuum, ad diem iudicii peccatum tuum vigilabit in statutum tempus ad vindicandum,* seu *ulciscendum de te, si non conversus fueris? Si autem conversus fueris, remittetur tibi.*

Targum etiam Ierosolymitanum ad eundem sensum locum hunc translatum habet; ita enim habet: *Nonne, si bonum feceris opus tuum in saeculo isto, residuum erit et relinquetur tibi ad saeculum futurum? Et si non bonum feceris opus tuum in saeculo isto, ad diem iudicii magni peccatum tuum vigilabit et super ostium cordis cubabit? Veruntamen in manu tua tradita est facultas eius concupiscentiae malae, et tu eris dominus eius inter meritum,* sive *iustitiam, et inter peccatum.*

Translatio Septuaginta hic omnino a Veritate Hebraica deviare videtur[87].

Quare iratus es? etc. Deus Cain interrogat, non quasi nesciens, sed ut peccatum recognoscat,

Nunc ad expositionem accedamus. *Quare iratus es? et cur concidit facies tua?* Non ignorans aut nesciens interrogat, sed potius ad excitandum Cain ut peccatum suum recognoscat animadvertatque irrationabiliter ac sine iusta causa ea ira accensum esse eoque moerore affici, dum de bono fratris sui tristatur. Quid tristaris, inquit, de bono fratris tui quod accepit a me, quasi tu non possis eandem gratiam consequi? *Nonne, si bene egeris, recipies?* hoc est bonorum operum praemium consequeris? Hebraica autem Veritas habet:

86) Vr. 6. Vulg.: *Ad eum,* loco: *Ad Cain.* 87) Septuaginta habent: Καὶ εἶπε κύριος ὁ θεὸς τῷ Καϊν. Ἵνα τί περίλυπος ἐγένου, καὶ ἵνα τί συνέπεσε τὸ πρόσωπόν σου; οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; ἡσύχασον. πρὸς σὲ ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ, καὶ σὺ ἄρξεις αὐτοῦ. « *Et dixit Dominus Deus ad Cain: Quare tristis factus es? et quare concidit vultus tuus? Nonne si recte offeras, non autem recte dividas, peccasti? Quiesce: ad te conversio eius; et tu principatum habebis ipsius* ».

Erit sublevatio, sive *elevatio;* unde hunc videtur praeseferre sensum: concidit, inquit, facies tua, quod ego ad Abel fratrem tuum et ad munera eius respexerim; non autem ad te et ad munera tua. Hoc autem ideo feci, quia opera fratris tui bona sunt. Ne ergo irascaris neque tristeris, quod fratrem tuum praeposuerim tibi quodque eum tibi praelatum videas. Nam si et tu, sicut ipse, bene operatus fueris, *erit sublevatio*, idest exaltatio et praelatio: ut sicut fratri tuo natu maior es eumque natura praecellis, ita etiam honore et dignitate praestabis, et tunc laetaberis ac exultabis, ita ut facies tua, quae nunc prae tristitia et moerore concidit, prae laetitia et exultatione elevetur cum hilaritate.

et poeniteat et convertatur, ac sic misericordiam mereatur et cordis laetitiam recuperet.

Sed adhuc alium sensum habere potest. Etenim ea vox: [שאת], remissionem etiam sonat, ut sit sensus: ad fratrem tuum et eius munera respexi, propter eius bona opera; ad tua autem nequaquam, quia opera tua mala sunt. Sed nonne, si tu conversus fueris a via tua mala [88] et *fructus dignos poenitentiae* [89] egeris beneque operatus fueris, erit remissio, idest remittentur tibi peccata tua [90], et tunc respiciam ad te et ad munera tua?

***Nonne, si bene egeris*, etc. Haec verba insinuant arbitrii libertatem et praedestinationis ac reprobationis contingentiam.**

Locus iste manifestissime et absque omni tergiversatione arbitrii libertatem demonstrat et praedestinationis ac reprobationis contingentiam. Nam Cain quidem praedestinatus non fuit; Dominus tamen dixit quod, si bene egisset, mercedem recepisset aeternamque damnationem, quae reprobatorum est, evasisset. Unde Rabbinus Moyses Haddarshan [91] hunc locum ita exponit: *Nonne, si bene egeris, recipies* benedictionem; *si autem non bene egeris*, recipies maledictionem? *Sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit.* Dura profecto explicatu sententia!

Ut autem locus hic intelligatur, videndum nobis est quid *peccati* nomine, quidve *ostii* vocabulo intelligendum sit. *Peccatum* proprie actus quidam est pravus et inordinatus, qui a nobis propria voluntate fit contra Dei praeceptum et voluntatem. Hic autem actus, etsi cito transit, manet tamen macula animam inficiens, manet reatus,

Per *peccatum* intelligitur actus voluntarius contra Dei legem; et etiam macula, reatus et poena;

88) Cf. Ez 3, 18-19. 89) Lc 3, 18. 90) Cf. Mt 9, 2; Lc 5, 20; 7, 48.

91) Rab. Moyses Haddarshan, idest Praedicator. *Comment. in Pentat.* huius Rab. ineditum est, sed certe notum clarissimo eius discipulo Rab. Salomoni Iarchi, seu Rasci, qui frequenter magistrum citat in suis commentariis. Cf. Io. B. De Rossi, *Dizionario degli Autori Ebrei*, t. 2, pag. 65.

manet peccati conscientia, manet tandem poena luenda, in quibus effectibus cum peccatum quodammodo vivat, etiam ipsi plerumque peccati voce designantur. Nonnunquam vero peccatum dici solet ipsa concupiscendi libido, quae ab actu peccati non extinguitur, sed crescit; quae ad ostium, sive fores voluntatis semper cubat pulsans, idest ad malum semper deprecans, alliciens et propense inclinans. Per *ostium* aliquando notum quid ac evidenter manifestum designatur, quemadmodum dici solet: «ab ostiis quis errabit?» [92] Nonnunquam vero in Scripturis Sacris *ostii* nomine iudicium significatur tum temporale [93], tum novissimum ac finale [94]; solebant enim antiquitus in portis civitatis iudicia haberi [95].

necnon et ipsa concupiscentia, quae ad peccatum semper allicit.

His sic positis, exponitur primo locus: *Si male egeris.* Haec sunt peccata, actus mali contra Dei mandata perpetrati: *Peccatum tuum cubabit ad ostium,* idest conscientia peccati tui excubabit ad fores, idest cogitationes cordis tui te semper arguent. Scelere enim et flagitiis polluti excruciamur a conscientia, quae ad nostri cordis fores semper excubat, et quidquid agimus aut molimur, illico nobis praesto est, neque laetos unquam esse permittit; quae neque ad tempus unquam desaevit: sed post multa temporum spatia ad plectendum lacerandumque animum revertitur. Quare et fratres Ioseph, post multorum annorum excursa tempora, ad admissi sceleris memoriam revocavit multarumque calamitatum eis metum iniecit [96]. Sensus iste verissimus est; sed, meo iudicio, non valde a littera intentus.

Per *ostium* significatur conscientiae remorsus semper excrucians ac animum lacerans,

Aliter exponitur: *Si male egeris, peccatum tuum cubabit ad ostium,* idest mihi erit notissimum, sicut quae in palam sunt ante ostiorum fores.

Tertio exponitur: *Si male egeris, peccatum tuum ad ostium excubabit,* idest peccati tui conscientia et reatus ad poenam, ad iudicium vigilabit, ut a te dignas poenas exigat et tuametipsa conscientia in iudicio accusabit et condemnabit, ut de omnibus perpetratis facinoribus poena tibi perpetuo luenda sit. Audi, inquit, Cain: *si bene egeris, recipies* mercedem et larga ac summa praemia; *si autem male*

vel conscientia accusans, iudicium et condemnationem pro peccato expetens.

92) Aristot. *Metaphysic.*, lib. 2, cp. 1, t. 2, pag. 493. 93) Cf. Dt 21, 19; 22, 15; Ruth 4, 1-11; Iob 31, 21; Prv 31, 23; Is 14, 31; Am 5, 15. 94) Cf. Mc 13, 19; Lc 13, 25; Apc 3, 20; 4, 1-2. 95) Cf. S. Gregorius M. *Moralium*, lib. 21, cp. 20, (P. L. 76, 208).
96) Cf. Gn 45, 4 sqq.

egeris, tuorum facinorum poenas dabis, tua te conscientia accusante ac tui peccati reatus dignas poenas exigente, iudicaberis a me, condemnaberis, punieris et poenas tum temporarias tum aeternas exolves.

Sensus iste verissimus ac litterae valde consonus est: nam et antithesim servat et proportionem debitam oppositi et propositi ad propositum et oppositum; cui etiam Chaldaica Paraphrasis quam maxime favet.

Intelligi etiam potest ipsa concupiscentia, quae semper animum ad malum allicit, sed tamen cogere non potest.

Posset tamen et aliter exponi propter id quod sequitur: Sed *sub te erit appetitus eius et tu dominaberis illius :* ut per peccatum intelligatur profana illa concupiscendi libido, quae ad fores voluntatis cubat pulsans, voluntatis consensum deprecans et ad malum semper alliciens, ut expleatur; quia tamen cogere rationem et voluntatem non potest, iccirco dicitur: *Sub te erit appetitus eius et tu dominaberis illius* : idest debes et potes [dominari] : allicere enim potest, urgere non potest. Prior vero expositio explicatior est, et ad illum sensum sic verba ista exponuntur: *Si bene egeris*, praemia *recipies ; si . . . male egeris*, iudicaberis et condemnaberis, ut poenas luas facinorum. Est quidem in te appetitus ad malum; nam *iratus es* in fratrem tuum et vis illum occidere, tristitia et moerore affectus ob eius bonum et gratiam. At huic appetitui tu dominari potes, *sub te enim est ;* subrepere appetitus hic potest et insultare, petens expleri, ut malum perpetretur; cogere tamen non potest: sed tu, tanquam eius dominus, eum reprimere ac coercere poteris, ut non malum, sed bonum opereris.

Nec putandum est verba haec insinuare hominem absque Dei gratia quicquam facere posse.

Locus tamen hic, circa horum verborum intelligentiam pleniorem requirit declarationem; videtur enim Deus hic libero hominis arbitrio amplius tribuere, quam ei natura competat et multa alia Scripturarum loca ei permittant. De Cain enim, *qui ex maligno erat* [97] ac proculdubio Dei gratia destitutus, cum eius opera mala essent, propter quod ad eum Deus *et ad munera eius non respexit*, hic dicitur quod sub eius arbitrio eius esset libido, et poterat dominari peccato illudque reprimere et coercere, tanquam sub eius potestate positum. Multa autem alia Divinarum Scripturarum loca manifestissime asseverant non posse hominem absque Dei gratia quicquam, vel modicum

97) 1 Io 3, 12.

facere. Apud Ioannem enim legimus[98]: *Sine me nihil potestis facere, sicut palmes . . . nisi in vite manserit.* D. Apostolus ait[99]: *Non . . . sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Beatus Iacobus inquit[100] quod *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Iccirco, ut locus iste clarius elucescat, sunt nobis nonnulla in medium adducenda.

Per liberum arbitrium intelligitur liberum rationis iudicium in eligendo;

Et primo: liberum arbitrium ab arbitrando rationali consideratione, vel discernendo quid eligat quidve recuset, nomen accepit, ut dicatur liberum arbitrium quasi liberum rationis iudicium. Liberum autem dictum est, quod in sua sit potestate positum, habens eligendi quidquid voluerit liberam potestatem. Quamvis autem liberum arbitrium, secundum propriam vocis significationem, actum quendam significet, scilicet liberum iudicium rationis, ex communi tamen sententia, quae a communi usu loquendi evenit, liberum arbitrium dicimus et intelligimus id, quod est illius actus principium, quo scilicet homo libere iudicat et eligit.

et proprie est animae facultas iudicandi et eligendi quaecunque voluerit.

Principium autem istud est libera quaedam animae facultas atque potestas ad libere eligendum quaecunque sunt ad finem, sive quidquid voluerit; unde liberum arbitrium proprie non est habitus aut potentia animae, sed facultas. Non habitus, quia si esset habitus, non esset nisi habitus naturalis; naturale est enim homini esse liberi arbitrii. Non potest autem esse habitus naturalis; naturales enim habitus sunt ad ea, ad quae naturaliter inclinamur, ut intellectus principiorum: ea autem, ad quae naturaliter inclinamur, non subsunt libero arbitrio; sed ex necessitate ea voluntas appetit, qualis est appetitus beatitudinis. Sicut enim intellectus ex necessitate inhaeret primis principiis, ita voluntas ultimo fini; ex necessitate enim volumus esse beati, non quidem necessitate coactionis, sed naturali: necessitas enim coactionis repugnat voluntati. Sicut enim impossibile est aliquid esse naturale et violentum, cum violentum sit id, quod est contra inclinationem naturae: ita impossibile est aliquid esse voluntarium et coactum; voluntarium enim est quod est secundum inclinationem voluntatis: coactum autem est id, quod est contra inclinationem

Dicitur *facultas*, non habitus naturalis, quia habitus est ad quae naturaliter inclinamur, et ex necessitate ea voluntas appetit.

98) 15, 5. 4. Vulg.: *Nisi manserit in vite.* 99) 2 Cor 3, 5. Vulg.: *Sufficientes simus . . . quasi ex nobis.* 100) 1, 17.

voluntatis. Necessitas autem naturalis non repugnat voluntati, sicut nec necessitas finis; finis enim necessitatem medii imponit volens enim mare transire, necessario vult navem. Voluntas autem naturali necessitate vult finem ultimum, idest aeternam beatitudinem, sicut intellectus assentit primis principiis; non autem quaecumque vult ex necessitate, quia non ad quaecumque alia naturaliter inclinatur. Unde sicut intellectus se habet ad intelligibilia, sic voluntas ad volibilia.

Sunt autem quaedam intelligibilia, quae non habent necessariam connexionem ad prima principia: sicut sunt propositiones contingentes, ad quarum remotionem non sequitur principiorum remotio; et talibus non ex necessitate assentit intellectus. Quaedam autem sunt intelligibilia, quae necessariam connexionem habent cum primis principiis: ut sunt propositiones necessariae, ad quarum remotionem removentur prima principia et conclusiones demonstrabiles, quibus intellectus ex necessitate assentit, cognita per demonstrationem necessaria connexione ad principia; non autem assentit priusquam necessariam hanc connexionem cognoscat.

Sicut intellectus necessario inhaeret primis principiis;

Sic voluntas ex necessitate inhaeret summae beatitudini propter se; secundo his, quae necessariam connexionem habent ad veram beatitudinem, quibus scilicet homo Deo inhaeret, in quo est vera beatitudo. Antequam tamen per certitudinem necessitas huius connexionis demonstretur, voluntas non ex necessitate Deo inhaeret, nec his, quae Dei sunt: sed voluntas per certitudinem divinae visionis certam habens necessariam hanc connexionem, ex necessitate inhaeret Deo, sicut nos ex necessitate volumus esse beati. Ea autem particularia bona quaeque ad beatitudinem necessariam connexionem non habent, sine quibus potest quis esse beatus, voluntas non ex necessitate appetit; et haec libero arbitrio subsunt una cum his, quae necessariam quidem connexionem ad beatitudinem habent, ante tamen necessariae huius connexionis certitudinem: quoniam ad haec voluntas non naturaliter inclinatur. Liberum ergo arbitrium non potest esse habitus naturalis.

ita voluntas necessario inhaeret summae beatitudini;

sed antequam Deo inhaereat, necesse est ut cognoscat in Deo esse veram beatitudinem.

Nec potest esse habitus non naturalis, cum naturale sit homini esse liberi arbitrii; unde contra naturalitatem eius est esse habitum non naturalem, et contra propriam eius rationem est esse habitum naturalem; eius enim propria ratio est, ut dominium supra suos actus

Nec est habitus non naturalis.

habeat et sit ad utrumlibet: quod habitui naturali non competit. Non est ergo habitus.

Nec est potentia intellectiva, quia intellectus libertatem non habet, sed agit naturaliter.

Nec proprie est potentia; nam si esset animae potentia, cum sit rationalis, aut esset intellectus, aut voluntas: potentiae enim rationales sufficienter per intellectivam et affectivam dividuntur. Sed non potest esse intellectus; intellectus enim non est potentia libera, sed naturalis, et operatur mere naturaliter; unde non est dominus suorum actuum, sicut sol non est dominus suae calefactionis vel illuminationis.

Nec est potentia affectiva, quia voluntas iudicium non habet.

Nec potest esse voluntas; voluntas enim arbitrium, idest iudicium habere non potest, sicut nec intellectus libertatem. Cum ergo liberum arbitrium et iudicium et libertatem importet secundum suum nomen, ratione libertatis non potest esse intellectus, et ratione iudicii non potest esse voluntas.

Sed ad liberum arbitrium ambo requiruntur: intellectus iudicans quid praeferendum sit; voluntas eligens quod per consilium iudicatur;

Cum autem proprium liberi arbitrii sit electio, ex hoc enim dicimur liberi arbitrii, quod possumus unum eligere, altero reiecto, ideo natura liberi arbitrii ex electione consideranda venit. In electione autem duo semper concurrere clare perspiciuntur: intellectus et affectus; intellectus quidem consiliando et iudicando quid sit alii praeferendum; voluntas autem appetendo et acceptando quod per consilium iudicatum est. Unde electio dicitur vel intellectus appetitivus, vel magis appetitus intellectivus; proprium enim obiectum electionis est id quod est ad finem, in quantum habet boni utilis rationem; ideo a P h i l o s o p h o dicta est[101] electio: desiderium consiliabile.

quamvis electio principaliter sit actus voluntatis, cum eius obiectum sit bonum utile.

At vero etsi cum voluntas tum intellectus ad electionem concurrant, ipsa tamen principaliter voluntatis actus est, cum eius obiectum sit bonum utile, quod est appetitivae virtutis obiectum. At vero quia in huiusmodi obiectum voluntas non fertur, nisi sit praecognitum et intellectum, ideo ad electionem voluntatem ipsam principaliter agentem intellectus tanquam consiliarius concomitatur et ostensivus ac demonstrativus ipsius eligibilis.

Cum ergo electio tum in intellectu

His positis patet liberi arbitrii natura. Cum enim liberum arbitrium tanquam proprius actus electio consequatur, ipsa autem electio tum in voluntate tum in intellectu consistat, manifestum est quod ip-

101) *De Moribus*, lib. 3, cp. 4, t. 2, pag. 17.

sum quoque liberum arbitrium in his ipsis potentiis consistet, ipsamque tum rationem tum voluntatem complectetur. Cum autem non sit vel habitus vel potentia, ut supra deductum est, erit quaedam rationis et voluntatis facultas ad libere eligendum quidquid voluerit; id enim intellectus ex se nequaquam efficere potest, quia naturalis potentia non libera est; neque voluntas per se, quoniam arbitrari et iudicare non potest. Ex concursu ergo rationis et voluntatis causatur liberi arbitrii facultas: sicut ex concursu virtutis duorum hominum causatur facultas atque potestas ad trahendum navem, ad quod neutra per se sufficeret; et ex concursu virtutis manus et oculi resultat potestas scribendi, ad quod altera illarum non sufficeret.

tum in voluntate consistat, et nec potentia nec habitus animae sit,

restat ut sit facultas animae, resultans ex coniunctione intellectus et voluntatis.

Ex coniunctione ergo intellectus et voluntatis resultat liberi arbitrii facultas eaque eligendi potestas; unde optime gemino nomine nuncupatur, ut alterum quidem voluntati, alterum vero rationi [adiudicetur]; liberum enim voluntatem exprimit, et arbitrium rationem. Principalius tamen in voluntate liberi arbitrii ratio, quam in intellectu, consistit. Non enim per intellectum homo est suorum actuum dominus, cum ea potentia non sit libera, sed agat mere naturaliter, sed per voluntatem, quae libera est, quae etiam mere contingenter et ad utrumlibet operatur, per eamque meremur et demeremur: in qua est caritas. Et ipsa demum est quae suo imperio movet omnes animae vires tum etiam intellectum; ipsa enim in universum bonum respicit et finem tanquam obiectum: potestas autem quae respicit finem universalem, movet potentias, quae particulares respiciunt fines. Quemadmodum rex, qui regni totius universale bonum intendit, suo imperio singulos in singulis civitatibus vel provinciis curam regiminis impendentes praepositos movet: ita voluntas ceteras animae vires libero arbitrio subditas – non enim omnes libero arbitrio subsunt, ceu sunt naturales, vegetativae vires, – ad actus et operationes suas [movet]; tum etiam ipsum intellectum ad cognitionem veri, vel cuiuscunque alterius. Et eapropter in cogitationibus malis aliquando peccati arguimur, quia eas vel imperat, vel acceptat voluntas.

Principaliter tamen liberum arbitrium in voluntate consistit, quia haec est quae regit omnes animae potentias et ipsum intellectum.

Quando igitur liberum arbitrium dicimus voluntatis et rationis facultatem esse ad eligendum [102], voluntas ut principalius ponitur,

Licet ratio sit regula et norma voluntatis

102) Ms.: *Intelligendum*, loco: *Eligendum*.

ad recte agendum, dominium tamen in voluntate residet:

intellectus ut concomitans. Ratio enim agenda dictat, voluntas autem imperat; unde intellectus est tanquam consiliarius, voluntas vero tanquam imperator. Etsi autem recta ratio sit regula et norma libero arbitrio et voluntati ad recte agendum, unde actus a recta ratione devius dicitur malus, tota tamen ratio dominii et potestatis in voluntate consistit; illud enim est quia ratio consiliatrix est voluntatis. Unde sicut rex perperam quidem agit si aut non faciat bonum et rectum consilium sui consiliarii, aut contra faciat: totum tamen super hoc dominium est apud regem; ita est de ratione et voluntate. Tanta est enim voluntatis libertas, ut multa etiam contra iudicium rectae rationis operetur: quanquam id defectus sit potius libertatis, quam libertas. Hinc enim apud Lucam legimus[103] de servo, *qui cognovit voluntatem Domini sui . . . et non fecit*, sed *fecit digna plagis.* Hinc est peccatum ex certa malitia distinctum contra peccatum ex ignorantia. Hinc etiam apud Beatum Petrum[104] de illis, quibus *posteriora facta sunt deteriora prioribus*, legimus: *Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiae, quam post cognitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Liberum ergo arbitrium principaliter in voluntate consistit. Est igitur libera quaedam facultas voluntatis et rationis ad libere eligendum quidquid vult.

et ideo saepe voluntas contra iudicium rectae rationis operatur.

Vera libertas in eo proprie consistit quod, quidquid vult, ad sui ipsius imperium vult.

Eius autem libertas proprie non in eo sistit, quod adeo hoc, quod vult, velit, ut etiam eius oppositum velle possit; ut scilicet adeo bonum velit et eligat, ut malum etiam velle et eligere possit. Nam in Deo, angelis et beatis est liberum arbitrium, qui malum velle et eligere non possunt; et, ut iam dictum est, abusus et defectus est libertatis velle malum. Sed in eo proprie consistit, quod quidquid vult, appetit ad suiipsius imperium, quia sic vult, ut velit se velle atque complaceat et seipsum in actu volendi moveat et suis actibus dominetur. Unde etsi beati necessario Deum diligunt et non possunt non diligere, et peccatum adeo nolunt, ut nec velle possint: id tamen totum libere faciunt, quia sic volunt et velle et nolle.

Liberum arbitrium referri potest etiam

Et sic liberum arbitrium est etiam respectu necessarii; quantum ad deliberationem autem non est, nisi contingentium. De necessario enim et impossibili aliter se habere nemo deliberat: sed de his, quae

103) 12, 47-48. 104) 2 Petr 2, 20-21. Vulg.: *Facta sunt posteriora... Agnitionem*, loco: *Cognitionem.*

aliter esse possunt, deliberatur; et sic non ad praesens, vel ad praeteritum, sed ad futurum semper refertur, quod est contingens. Quod enim praesens est, determinatum est, nec est in potestate nostra, ut sit vel non sit, quando est; potest enim non esse, vel aliud esse [105] postea: sed non potest non esse dum est, vel aliud esse dum id est, quod est; sed in futuro, an hoc fiat vel illud, id potestatem liberi arbitrii spectat. Nec tamen omnia futura sub potestatem liberi arbitrii veniunt: sed ea tantum, quae per liberum arbitrium possunt fieri vel non fieri; si quis enim tale quid velit ac disponat facere, quod in eius nullatenus sit potestate, insipientiae arguerctur.

ad necessarium, deliberatio vero solum ad contingens futurum.

Viso de natura liberi arbitrii, de eius potestate nunc videndum est, quid et quantum possit. Prima liberi arbitrii potestas est, quod cogi non potest ab aliquo agente vel creato vel increato, quantum ad eius proprium actum, qui est actus interior. Nam quantum ad actum exteriorem cogi potest, ut vi genua coram idolo flectat et manibus propriis thura incendat; quantum ad actum vero interiorem, qui est velle et eligere, induci quidem potest, moveri potest, impediri potest: cogi autem non potest; induci quidem potest efficacibus persuasionibus, promissis, terroribus, minis, tristium inflictionibus, vel delectabilium blandimentis, quae ad aliquid possunt liberum arbitrium inclinare; et sic tum a creatura tum a Deo induci potest.

Prima potestas liberi arbitrii est quod a nullo agente cogi potest ad actum interiorem;

sed solum moveri, vel impediri, vel etiam induci minis vel promissis.

Secundo: moveri potest a Deo, vel mutari, dum ipsum quidem sua potenti virtute in unum fertur; a Deo tamen affectio ei in aliud, vel etiam contrarium immittitur, quam acceptat: sic Deus hominem temporalium nimium amatorem, eorum facit contemptorem et coelestium amatorem.

Impediri potest per corporis laesionem propter coniunctionem et inclinationem quam habet ad corporalem naturam; hinc enim multi ex corporis laesione amentes fiunt et a liberi arbitrii actu impediuntur. Etsi enim vires rationales, cum ab extrinseco veniant et non a materiali potentia deducantur, non sunt corpori immixtae, nec corporeo organo ad suos eliciendos actus utuntur; cum tamen anima rationalis uniatur corpori ad constitutionem unius tertii, quod est unum per essentiam et cui proprie debetur ope-

Impediri etiam potest per corporis laesionem, quia anima per sensus recipit species in intellectu ad efformandum iudicium;

105) Ms.: *Esse* repetitur.

ratio, quia unum est, haec autem operatio non sit tantum vivere vel sentire, aut movere, sed etiam ratiocinari et intelligere: ideo anima, quandiu est in corpore, non omnino intelligit praeter corpus, etsi non per corpus, sicut priores operationes exercet. Cum enim duo concurrant ad actum intelligendi: specierum receptio et iudicium: et specierum quidem receptio a corpore est; per sensus enim corporeos receptae usque ad intellectum perveniunt agentem, a quo intellectiles efficiuntur, et possibilem, a quo intelliguntur, qui et iudicat. Ut autem haec fieri possint, debita requiritur corporis dispositio. Sicut enim, etsi anima non pendeat a corpore, ad hoc tamen quod sit in corpore, necesse est corpus debite complexionatum esse, ad cuius complexionis corruptionem contingit animam non amplius esse in corpore; ita ad hoc ut anima intelligat in corpore, necessaria est optima sensuum corporalium dispositio; qua dispositione laesa, non potest intellectus intelligere, nec iudicare; et sic actus liberi arbitrii impeditur, eius salva natura et propria ratione.

et ideo requiritur optima sensuum dispositio, sine quibus nequit intellectus intelligere et iudicare.

Impediri ergo potest, cogi autem omnino non potest; ipsum enim cogi est virtute aliqua aliena movente et compellente invitum et repugnantem actum [106] voluntatis deliberativae, manente tali repugnantia, ad aliquid inclinari et velle. Hoc autem est impossibile. Sicut est impossibile aliquid esse naturale, idest secundum inclinationem naturae, et violentum, idest contra inclinationem naturae: ita est impossibile aliquid esse voluntarium et liberum, idest secundum inclinationem voluntatis, et coactum, idest repugnante inclinatione voluntatis. Cum ergo sit impossibile omnino, neque creatura aliqua, neque Deus potest liberum arbitrium cogere. Non dico quod non posset Deus libertatem eius auferre: hoc enim suae potentiae immensitate potest; sed si eius auferret libertatem, eius quoque naturam destrueret. Sed dico quod, salva eius natura et libertatis proprietate, impossibile ac non intelligibile est posse liberum arbitrium cogi.

Et ita impediri potest actus liberi arbitrii, non vero cogi,

nisi destruatur natura libertatis, quod solus Deus facere potest.

Quantum autem ad eius potestatem quoad operationes, liberum arbitrium tripliciter considerari potest: vel in puris naturalibus tantum, cum generali influxu et auxilio gratiae Dei. Omnium enim effectuum positivorum particularium causarum Deus quoque est causa: non

Liberum arbitrium quoad operationem considerari potest in pu-

106) Ms.: *Repugnante actu.*

enim solus ignis comburit, sed Deus cum igne: et omnis quidem res operatur, sed simul concurrente Deo ad talem operationem; ita tamen concurrit Deus, ut simul operetur secundum modum illius rei: ita enim « res quas condidit administrat, ut proprios motus agere sinat »[107]; unde cum causis necessariis necessario operatur secundum suam ordinationem, cum contingentibus contingenter, cum naturalibus naturaliter, cum liberis libere; ita et ad quamcunque liberi arbitrii operationem Deus homini generali influxu concurrit.

ris naturalibus sub generali influxu auxilii Dei;

Secundo: potest considerari cum speciali munere et influxu gratiae gratum facientis, in quantum est liberum a culpa; et demum a miseria, et est libertas gloriae, quae nobis servatur in patria, et est in omnibus beatis. Liberum arbitrium hoc tertio modo sumptum, cum sit perfectissimum, summo bono, ultimo fini et verae beatitudini coniunctissimum, eiusque opera sunt omnino perfecta, ita quod nonnisi bonum facere potest; malum autem non solum potest non facere, sed omnino, ex gratia perfecta et consummata, facere non potest. Ideo liberrimum est et multo liberius, quam in primis parentibus fuerit, quia omnino liberum est ab illa servitute, de qua dicitur: *Qui facit peccatum servus est peccati*[108]; et quanto ab ea servitute longius absistit, tanto in eligendo bono liberius habet iudicium.

vel sub speciali influxu gratiae Dei, in quantum est liberum a culpa; et demum a miseria, ut in beatis,

quae vera libertas est et perfecta.

Prout autem in praesenti speciali munere gratiae est donatum, in primis quidem parentibus ante lapsum, bonum quidem facere poterat magna cum perfectione tum facilitate: malum autem non facere quidem poterat, non autem facere non poterat; liberum quidem valde erat, quia nedum sine coactione et necessitate, sed ab omni procul culpa et miseria, omni cum facilitate valebat appetere atque eligere bonum, quod ex ratione decreverat. Non tamen omnino a peccandi potentia liberum erat: sed poterat non peccare, habens tamen ad peccandum potentiam. In nobis vero liberum arbitrium cum munere gratiae imperfectius est; nam peccare quidem potest, sed non potest non peccare, saltem venialiter, iuxta illud: *Septies in die cadit iustus*[109]; et apud I o a n n e m[110]: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est*; et occurrentibus enim sine deliberatione plena incurritur peccatum veniale:

Cum auxilio et gratia in primis parentibus liberum arbitrium bonum facere poterat magna cum facilitate, sed poterat etiam eligere malum;

in nobis vero valde imperfectius est, quia non potest non peccare, saltem venialiter.

107) S. Augustinus *De Civitate Dei*, lib. 7, cp. 30, (P. L. 41, 220). 108) Io 8, 34.
109) Prv 24, 16. Vulg.: *Enim*, loco : *In die*. 110) 1 Io 1, 8.

ab huiusmodi autem occurrentibus homo in hac vita liber esse non potest ab omnibus, etsi a singulis cavere potest, et quia non cavet peccatum incurrit.

Attamen per actus elicitos cum habitu gratiae mereri potest augmentum caritatis de congruo, et gloriam de condigno, ex promissione scilicet Dei;

Quantum autem ab bonum agendum, potest per actus elicitos cum habitu gratiae caritatis augmentum mereri et finaliter gloriam consequi; quemadmodum D. Paulus ad *Timotheum* ait[111]: *In reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die . . . ; non solum autem mihi, sed et his qui diligunt adventum eius :* quod autem alicui secundum iustitiam redditur, de condigno meretur. Id autem non est secundum naturam ex se et quatenus huiusmodi opera a libero arbitrio procedunt simpliciter; sic enim non possunt esse beatae vitae meritoria: *non sunt* enim *condignae passiones huius saeculi ad futuram gloriam, quae revelabitur ex nobis*[112]; sed tamen ex institutione legislatoris: quemadmodum posset rex instituere, ut tantum daretur pro obolo, quantum pro aureo; tum etiam ex munere gratiae. Et quia talia opera procedunt a Spiritu Sancto inhabitante in homine[113] iustificato per gratiam et movente ipsum liberum arbitrium ad opus meritorium, et quatenus huiusmodi opus procedit a Spiritu Sancto, qui est infiniti valoris, meretur de condigno bonum infinitum, idest vitam aeternam. Hinc D. Paulus *ad Romanos* ait[114]: *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem ; spes autem non confundit, quia caritas Dei diffusa est . . . per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Deinde subintulit[115]: *Commendat autem caritatem suam Deus in nobis, quia* si *cum adhuc peccatores essemus . . . , Christus pro nobis mortuus est : multo igitur magis iustificati nunc in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum. Multo magis,* inquit; iustificationem enim liberum arbitrium de congruo meretur: per iustificationem vero gloriam de condigno.

quia cum hi actus liberi arbitrii procedant a gratia Spiritus S., infinitum valorem acquirunt.

Liberum arbitrium in puris naturalibus imperfectissimum est ob

Si vero demum consideremus liberum arbitrium huiusmodi dono gratiae destitutum, sed in puris naturalibus tantum, cum generali auxilio et gratiae influxu, imperfectissimum est. Et primo quidem ipsum gratia destitutum. Cum in statu isto necessario sit sub aliquo

111) 2 Tim 4, 8.Vulg.: *Iis qui*, loco: *His qui*, etc. 112) Rom 8, 18. Vulg.: *Huius temporis... in nobis.* 113) Cf. ibid. vr. 11. 114) 5, 3-5. 115) Ibid. vrr. 8-9. Vulg.: *Quoniam... nunc iustificati*, etc.

peccato vel originali vel actuali vel sub utroque, non potest per se a peccato surgere sua virtute; necesse est enim Deum remittere sibi culpam et tribuere gratiam: hanc autem condigne mereri non potest; si enim gratia esset ex merito, *iam gratia*, ut inquit Apostolus[116], *non est gratia.*

peccatum, a quo sua virtute surgere non potest.

Secundo: non potest mortale peccatum meritorie vitare, ut sic: potest quidem actum peccati simpliciter vitare; ad hoc enim ut peccatum fiat plena deliberatio requiritur: ad deliberandum autem a nulla virtute cogitur, nec cogi potest, cum per peccatum libertatem, quoad essentiam, non amittat. Itaque cum peccatum sit voluntarium, adeo quod si non est voluntarium, non est peccatum, et voluntas in eo adhuc sit libera ad utrumlibet, potest committere et vitare peccatum. Sed dico quod meritorie vitare non potest; principium enim meriti est gratia et caritas, quam non habet.

Nec potest meritorie peccatum vitare sine auxilio gratiae, quam non habet.

Tertio: liberum arbitrium, ut sic, potest quidem elicere actum meritorium in genere motum sine gratia, sed non meritorie. Actum enim virtutum moralium et posuerunt et habuerunt philosophi gratiam non habentes: nihil tamen meruerunt, cum principium meriti sit gratia, quam non habebant; et Hebraei adhuc quoque zelum Dei habent[117] et multa bona opera legis faciunt, cum tamen sint gratia destituti; et multi peccatores multa opera fidei et misericordiae exequuntur, in peccato nihilominus existentes.

Nec potest meritorie actum virtutis elicere, cum non habeat gratiam;

Quarto: non potest actum elicere condigne aeternae vitae meritorium. Ex puris enim naturalibus non potest quis aeternae vitae condignus esse; ita enim Dominus apud Beatum Matthaeum, cum de aeterna vita consequenda loqueretur, ait[118]: *Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt;* et ita intelligenda sunt loca illa: *Sine me nihil potestis facere*[119]; et: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis*[120]; et omnia similia[121], quod nihil dignum vita aeterna absque gratia agere possumus aut operari.

et ideo nec actum condigne meritorium aeternae vitae.

Quinto: etsi liberum arbitrium a peccato surgere et gratiam consequi condigne mereri non possit, potest tamen ex congruo et decenti;

Potest tamen de congruo, per attritio-

116) Ibid. 11, 6. Vulg.: *Gratia iam non est gratia.* 117) Cf. ibid. 10, 2. 118) 19, 26. 119) Io 15, 4. 120) 2 Cor 3, 5. 121) Cf. Act 15, 11; Rom 3, 24; 1 Cor 15, 10; Gal 2, 16; Eph 2, 8-9.

nem et contritionem ex influxu generali gratiae Dei, a peccato surgere et remissionem consequi.

attritio enim atque contritio peccati actus sunt de congruo gratia digni. Per contritionem autem, vel saltem attritionem, potest se disponere ad gratiam recipiendam quocumque tempore; absque aliquo speciali influxu, sed ex puris naturalibus et generali influxu potest commissi facinoris displicentia et moerore ac poenitudine affici, ac ita ad gratiam consequendam praeparari. Deus autem, *qui vult omnes homines salvos fieri* [122] et neminem vult perire [123], gratiam eis semper liberaliter offert; hoc est enim: *Ego sto ad ostium et pulso : si quis . . . aperuerit mihi . . . , intrabo . . . et coenabo cum illo* [124]*;* imo liberum arbitrium sua gratuita misericordia praevenit, sicut per Psalmistam dicitur [125]: *Misericordia eius praeveniet me ;* et alibi: *Cito anticipet nos misericordia tua, Domine* [126]. Si ergo liberum arbitrium commissi sceleris poenitudine affectum et per contritionem vel attritionem Deo liberalissime gratiam offerenti consentiat, procul dubio gratificantem gratiam consequetur et aeterna vita dignus efficietur; si autem Deo resistat et oblatam gratiam abnuat et abrenuat, reum se constituet gehennae ignis et mortis aeternae: quoniam si divina iussa non impleat omnia, quae nec implere potest absque munere gratiae, ut digne possit consequi vitam aeternam, statutum est enim: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata* [127], excusari certe et defendi non potest, quod impossibilia ei praecipiantur, quae digne implere propria virtute non possit absque munere gratiae. Deus enim auxilium gratiae continuo praestat et offert semper; quam si non habet ut, quae aliter servare non potest, digne possit implere, sua est culpa, quia non vult habere et se ad oblatam gratiam recipiendam disponere, ut iustificetur. Quare cum Dei gratia nobis semper praesens assistat cum volumus, absistat autem cum nolumus, quasi in nostra potestate est digne praecepta servare: quoniam in nostra semper est potestate ad gratiam nos disponere eique oblatae digne assensum praebere; quod dum facimus, gratiam semper consequimur. Propterea Dominus apud Matthaeum aiebat [128]: *Aut facite arborem bonam, et fructus eius bonos ; aut facite arborem malam,*

Quam gratiam Deus semper offert, imo praevenit liberum arbitrium,

et ideo inexcusabiles sumus si, gratia reiecta, iussa Dei non observamus,

cum semper sit in nostra potestate assensum praebere gratiae oblatae, sine qua praecepta divina servare non possumus.

122) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Qui omnes homines vult,* etc. 123) Cf. Sap 11, 24; Ez 18, 23. 32; 33, 11; 2 Petr 3, 9. 124) Apc 3, 20. 125) Ps 58, 11. 126) Ps 78, 8. Vulg.: *Cito anticipent nos misericordiae tuae.* 127) Mt 19, 17. 128) 12, 33. Vulg.: *Fructum eius bonum... fructum eius malum.*

et fructus eius malos. Arborem quippe bonam facimus, quae *fructus bonos facit* et non potest fructus malos facere, cum Deo pulsanti per contritionem cordis aperimus eique, ut intret et nobiscum coenet, assentimur gratiae oblatae consentiendo et debita dispositione, obice ablato, recipiendo per iustificationem.

His sic visis, clara atque dilucida erit praesentis loci intelligentia. Cum enim dicit Dominus ad Cain: *Sub te erit appetitus eius et tu dominaberis illius,* cum Cain haberet liberum arbitrium, etsi gratia destitutum, in eius tamen libera potestate erat appetitum peccati frenare ne in actum exiret; quod quidem absque dono gratiae potest, ut visum est. Id autem verum est, quod digne et cum vitae aeternae merito facere non poterat absque munere gratiae gratificantis; quod si ita Dominus intellexit, eatenus eum dixit posse et frenare et peccatum revincere, quatenus suam gratiam ei liberrime offerebat et in Cain potestate erat oblatae gratiae dignum assensum praebere, qua meritorie potuisset appetitum peccati coercere ipsumque peccatum omnino vitare. Ita etiam id, quod supra dixerat, intelligendum est: *Nonne, si bene egeris, recipies ?* scilicet mercedem. Non quod Cain poterat sine gratia digne mereri; sed quia Domino gratiam offerenti poterat assentiri et gratiam, se disponendo, recipere, quacum posset et bona digne operari et vitam aeternam mereri.

Cain ergo, licet gratia destitutus, appetitum peccati cohibere poterat,

et ut hoc posset etiam meritorie facere, Deus liberrime gratiam offerebat, cui ille utique assentire potuisset dummodo voluisset.

Multa alia possent hoc in loco notari, maxime de praedestinationis et reprobationis contingentia; cum Cain non praedestinatus, sed reprobatus esset, attamen Dominus ei dicit: *Si bene egeris, recipies :* quod et reprobatos Dominus non omnino sibi relinquit, sed ad bonum hortatur, ut mercedem recipiant; et pleraque alia, quae ad aliud tempus opportunius et seriosius tractanda relinquimus.

Vr. 8 *Dixitque Cain ad Abel . . . : Egrediamur foras. Cumque essent in agro, insurrexit*[129] *Cain adversus fratrem suum Abel et interfecit eum.*

Textus Hebraicus: *Et dixit Cain ad Abel fratrem suum . . . Et factum est cum essent ipsi in agro, insurrexit Cain,* etc.

Ita prorsus Chaldaeus Interpres.

Targum autem Ierosolymitanum sic transtulit, paraphra-

129) Vr. 8. Vulg.: *Consurrexit,* etc.

stico more, hunc locum: *Et dixit Cain ad Abel fratrem suum: Veni et egredere ad superficiem campi. Et factum est cum essent egressi uterque eorum ad superficiem campi, respondit Cain et dixit ad Abel fratrem suum: Non est iudicium et non est iudex, et non est saeculum aliud et non est expectationi merces bona pro iustitia, neque ultio ex iniquitate: et non in misericordia creatus est mundus, et non in misericordia ipse rector sive dux. Propter quid enim acceptata est oblatio tua ex te in voluntate eius, et ex me non est acceptata in beneplacito eius? Respondit Abel et dixit Cain: Est iudicium et est iudex et est saeculum aliud et est expectatio mercedis bonae pro iustitia et ultio de iniquitate: et in misericordia creatus est mundus et in misericordia ipse regens sive princeps. Veruntamen in fructibus operum bonorum accepit ipse opera mea recta, plusquam tua; acceptata est oblatio mea ex me in beneplacito seu voluntate, et ex te non est acceptata in voluntate. Et fuerunt uterque eorum in campo contendentes. Et insurrexit Cain super fratrem suum Abel et interfecit eum.* Haec omnia Targum Ierosolymitanum; quae quidem paraphrasis pulcherrima est.

Vulgata autem Editio Graeca cum nostra concordat; habet enim: Καὶ εἶπε Κάϊν πρὸς Ἄβελ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ. Διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον: idest: *Et dixit Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur in agrum.*

Dixitque Cain ad Abel: Egrediamur foras. **Variae paraphrases huius loci,**

Nunc loci huius expositionem aggrediamur. *Dixitque Cain ad Abel.* In hebraeo eclipsis sive aposiopesis est hic; non enim quid Cain dixerit ad fratrem suum exprimitur. Cui similem modum in *2 Regum* legimus [130]: *Et dixit David in illa die: Quicumque percusserit Iebusaeum:* quod nostra Translatio habet: *Proposuerat... David... praemium* ei, *qui percusserit Iebusaeum.* Hebraeorum nonnulli inquiunt [131] quod probris, contumeliis et verbis iniuriosis affecit eum; post quae, adhuc ira effervescens, occidit eum. Nostra Translatio una cum Graeca habet, quod dixerit ei: *Egrediamur foras;* quae paraphrasis non est aspernenda.

inter quas Chaldaica praeferenda videtur, cui etiam magis

Mihi vero, post eas, Chaldaica Paraphrasis admodum arridet. Textus autem sermonis, iuxta Hebraicam Veritatem, id videtur exprimere, quod Cain dixerit fratri suo quaecumque sibi Dominus dixerat eum arguendo, et ipse omnia verba

130) 5, 8. 131) Cf. Rab. Salomon op. cit. f. 6a; Nic. Lyranus op. cit. f. 45b; Alph. Tostatus op. cit. f. 27a; Fagius, col. 166. 174; Cartwrightus, col. 203.

illa retulerit fratri suo, quasi Abel coargutionis illius causa exstitisset; quapropter nimio furore in eum succensus insurrexit et interfecit eum. Stulta et insana omnino ac virulenta cogitatio Cain mentem obrepserat. Existimabat enim fratrem suum Abel in causa fuisse ne Dominus in eum eiusque munera respiceret: non autem quod eius munera indigna omnino, ut respicerentur et tanquam grata acceptarentur a Deo. Eapropter inquit in corde suo: fratrem meum de medio tollam, et tunc Deus ad me et ad munera quoque mea respiciet et benedicet mihi Deus, sicut fratri meo benedixit. Sed fefellit eum omnino cogitatio eius; unde sequitur:

conformatur Textus Hebraicus.

Vrr. 9-12 *Et ait Dominus ad Cain: Ubi est Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio. Nunquid*[132] *custos fratris mei sum ego? Dixitque ad eum: Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quae aperuit os suum et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cumque operatus fueris terram*[133], *non dabit tibi fructus suos; vagus et profugus eris super terram.*

Textus Hebraicus: *Et dixit Dominus ad Cain: Ubi Abel frater tuus? Et dixit: Non cognovi. An custos fratris mei ego? Et dixit: Quid fecisti? Voce sanguines fratris tui clamant ad me de humo. Et nunc maledictus tu plusquam terra, quae aperuit os suum ad suscipiendum sanguines fratris tui de manu tua. Si excolueris terram, non addet dare virtutem suam tibi; mobilis et vagus eris in terra.*

Interpres Chaldaicus: *Vox sanguinis seminum,* seu *filiorum, qui futuri erant ut egrederentur de fratre tuo, clamat coram me de terra.*

Targum Ierosolymitanum pariformiter habet: *Vox sanguinum coetuum iustorum, qui futuri erant ad surgendum de Abel fratre tuo.*

Vulgata Editio Graeca cum nostra pene tota concordat. Habet autem: *Et nunc maledictus tu a terra, quae aperuit os suum ad suscipiendum sanguinem fratris tui a manu tua, quoniam operaberis terram et non addet virtutem suam dare tibi:* στένων καὶ τρέμων ἔσῃ, idest *suspirans et tremens eris super terram.*

Nunc expositionem aggrediamur. *Ubi est Abel frater tuus?* Narrat

132) Vr. 9. Vulg.: *Num custos,* etc. 133) Vr. 12. Vulg.: *Cum operatus fueris eam,* etc.

Et ait Dominus ad Cain, etc. Deus ostenditur iustissimus ultor peccati, sciens tum actus pravos tum cordium abditissimas cogitationes.

Scriptura Sacra Deum sanctum et benedictum, semper iustissimum et omnis peccati ultorem aequissime severissimum, coarguisse Cain commissi sceleris in fraterni sanguinis effusione iustisque eum poenis affecisse, ne malum impunitum maneret essetque dedecus culpae sine decore iustitiae. Una autem cum hoc ipsum ostendit omnium tum actuum tum in cordium intimis degentium cogitatuum praescium et conscium; quodque etsi *pravum sit cor hominis et imperscrutabile* [134], ipse tamen corda scrutatur et renes probat [135]. Hinc est quod, cum pravissimi cordis Cain cogitationes intimissime latitantes perciperet, ipsum interrogat ubi sit frater eius. Putabat enim insipienter insipiens Cain quod, cum nemine praesente aut vidente fratrem suum occidisset, Deum quoque lateret; propterea ipse respondens ait: *Nescio; nunquid custos fratris mei sum ego?*

Qui respondit: Nescio, etc. Plura peccata Cain commisit: infidelitatis, non credens Deo coarguenti; fratricidii, occidens fratrem suum; mendacii et arrogantiae,

Apud Hebraeos in Bereshit Rabba, teste Rabbino Abrabanel [136], tria peccata in die illo commisisse Cain dicitur; primum est: quod non credidit verbis Dei, quae ei dixerat cum coargueret eum; secundum est: quod occidit Abel fratrem suum; et tertium est: quod adduxit et mentitus est dicendo: *Non cognovi; nunquid custos fratris mei sum ego?* Ubi et mendacium et arrogantia ipsius ostenditur: Quid, inquit, me de fratre meo ubi sit requiris? Nunquid ipsum meae fidei aut curae credidisti? Quid ad me spectat ubi sit nosse? Expectavit Deus Cain ut bonum faceret fructum: fecit autem malum; sicut vinea, quae expectata est *ut faceret uvas, fecit* autem *labruscas* [137]. Requisivit Cain de fratre suo, ut ipsa inquisitione perpetratum scelus et crudele facinus prae oculis obiiceret, ut tanti piaculi Cain poeniteret et culpam suam agnoscens, poenitens veniam a Deo humiliter deprecaretur. Ipse vero durior et obstinatior factus, nedum culpam non agnovit, sed impudenda fronte et indomito supercilio et superbe et insipienter respondit, Deum facti nescium reputans, quoniam carneis oculis, dum fratrem occideret, praesentem non viderat; mentis autem oculis, quibus Deus cernitur, caecus omnino erat.

qua durior factus, superbe et insipienter Deo respondit, reputans eum facti nescium.

Dominus autem, eius tum insipientiam tum nequitiam cernens ait: *Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Putas,

134) Ier 17, 9. Vulg.: *Pravum est cor omnium et inscrutabile.* 135) Cf. 1 Rg 16, 7; 1 Par 28, 9; Ps 7, 10; Ier 11, 20; 17, 10; Rom 8, 17. 136) Op. cit. f. 36b. 137) Cf. Is 5, 2.

inquit, me latere quid feceris fratri tuo; et quid est vox ista clamans, in auribus meis, qua *vox sanguinis fratris tui*, quem occidisti, *clamat ad me de terra ?*

In Hebraeo autem habetur: קוֹל דְּמֵי אָחִיךָ צֹעֲקִים[138] אֵלַי מִן־הָאֲדָמָה[139]: idest: *Vox sanguinum fratris tui clamantium ad me de terra:* vel: *Voce sanguines fratris tui clamant ad me de terra;* ubi דְּמֵי, est לשון רבים, idest numeri pluralis.

Vox sanguinis, etc. Interpretatio huius loci iuxta Hebraeos.

Hebraeorum magistri[140] dicunt, quod sanguis voce plurium ponitur ad significandum sanguinem tum ipsius Abel tum filiorum ipsius, quos genuisset si mansisset in mundo; et propterea dixit Deus ad Cain, quod non tantum viri unius sanguinem fudit, verum etiam semihabitationem fere hominum, qui per lineam Abel descensuri fuissent. Sentiunt enim Hebraei[141], quod per hos duos Adae filios totum humanum genus propagandum erat, et iam a generando cessaverat Adam. Hanc sententiam utraque Chaldaica Paraphrasis probat.

Aliae aliorum interpretationes.

Rabbinus Salomon inquit[142] id esse, quoniam Cain « vulnera multa inflixit fratri suo Abel, quia nesciebat unde anima ipsius egrederetur, et propterea dicitur: *Vox sanguinum :* propter sanguinem, qui fluebat hinc et hinc ».

Ex nostris vero quidam ita locum hunc interpretantur[143], ut his verbis demonstrare voluerit Deus ipsi Cain peccatum ipsius adeo sibi esse patens ac manifestum, ac si sanguis eius magna voce clamaret in coelum.

Per *sanguinem* anima intelligi potest, iuxta phrasim hebraicam frequentem in S. Scriptura.

Nobis vero aliter locus iste exponendus videtur. Per sanguinem autem nos animam Abel proprie intelligimus. Homo enim, qui ex corpore et anima constat, corpore apparente et anima intus latente, Hebraeis בשר ודם, idest caro et sanguis dicitur; atque ita intelligimus illud in Evangelio Matthaei, cuius phrasis tota hebraica est, cum hebraice scriptum fuerit[144], quod Dominus ad Petrum testimonium de eius divinitate reddentem, dixit : *Beatus es, Simon*

138) Ms.: צועקים. 139) Ms.: קל. 140) Cf. Rab. Salomon op. cit. f. 6^a; *Mishna, Sanhedrin*, IV, 5; *Talmud Babyl. Sanhedrin*, f. 48^a et loci paralleli; Nic. Lyranus op. cit. f. 45^a; Alph. Tostatus op. cit. f. 27^a. 141) Cf. Ginzberg op. cit. V, pag. 148, not. 46.
142) Op. cit. f. 6^b. 143) Cf. S. Ambrosius *De Cain et Abel*, lib.2, cp. 9, (P. L. 14, 356); S. Eucherius *Comment. in Gen.*, lib. 1, ibid. 50, 917. 144) 16, 17. Vulg.: *Bar Iona*. Communiter sentiunt Doctores Ecclesiae S. Matthaeum Evangelium suum hebraico sermone scri-

Bar Iohana, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est. Caro, inquit, *et sanguis*, idest homo, ut per carnem foris apparentem corpus, per sanguinem autem intus latentem animam intelligamus. Ita et illud, quod dixit Dominus ad Noe, cum ei et cunctis filiis suis *omnes pisces maris . . . et omne, quod movetur et vivit in terra, quasi olera virentia* dedisset in cibum, *excepto*, inquit, *quod carnem cum sanguine non comedetis*[145], idest hominem. Mox enim sequitur: *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum; et de manu hominis, de manu viri fratris eius requiram animam hominis. Quicumque effuderit sanguinem humanum* in terra, *fundetur sanguis ipsius; ad imaginem quippe Dei factus est homo*[146]. Ubi manifeste conspicitur quod per sanguinem animam intelligit. Hinc Moyses in *Deuteronomio* tantopere praecavit[147] ne carnem cum sanguine etiam brutorum comederent, dicens: *Hoc solum cave ne sanguinem comedas; sanguis enim eorum pro anima est, et idcirco non debes animam comedere cum carnibus.*

Anima Abel clamabat ad Deum, non quidem voce materiali, sed ratione, petens ultionem iniquitatis.

Per sanguinem ergo hic ad Deum clamantem animam ipsius Abel intelligimus, quae non voce, sed ratione ad Deum clamat, postulans se vindicari de fratre iniquo et in iniquitate et nequitia perseverante. Iuxta quod in *Apocalypsi* legimus[148]: *Vidi sub altare animas interfectorum propter verbum Dei et propter testimonium quod habebant; et clamabant voce magna dicentes: Usquequo, Domine, sanctus et verus, non iudicas et non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?* Ita profecto Abel voce magna clamat ad Dominum: atque ita *defunctus*, Apostolo teste[149], *adhuc loquitur*, manifestando coram Deo fratris sui nequitiam. Vide, inquit, tu, Domine, qui iustus et verus es, quid operatus sit in me frater meus: quam nefarium facinus, quam abominabile opus, caedem novam et raram iam primum vitae hominum sua dextra invectam. Me enim hominem simplicem, iustum et innocentem fratrem suum, qui nunquam ei malum aliquod

psisse. Cf. S. Irenaeus *Adversus Haereses*, lib. 3, cp. 1, (P. G. 7, 844); Origenes *Comment. in Matthaeum*, ibid. 13, 830; Eusebius Caesar. *Historiae Eccles.* lib. 3, cp. 24, ibid. 20, 266; lib. 6, cp. 25, ibid. col. 582; S. Io. Chrysostomus *Comment. in Matthaeum*, *Hom. 1*, ibid. 56, 612; S. Hieronymus Epist. 20, (P. L. 22, 379); *De Viris Illustribus*, cp. 3, ibid. 23, 643; *Comment. in Isaiam*, lib. 3, ibid. 24, 98; S. Augustinus *De Consensu Evang.*, lib. 1, cp. 2, ibid. 34, 1044; lib. 2, cp. 66, ibid. col. 1139. 145) Gn 9, 2-4. 146) Ibid. vrr. 5-6. Vulg.: *Humanum sanguinem... fundetur sanguis illius.* 147) 12, 23. 148) 6, 9-10. Vulg.: *Subtus altare... et iis qui habitant in terra.* 149) Hebr 11, 4.

intuli, nec verbum quidem, quod laedere eum posset, unquam protuli, immaniter interfecit: nonnisi ex bono opere, quia tibi placebam, quia tibi accepta munera offerebam, quia pie et innocenter vivebam, quia illi testimonium veritatis perhibebam, me, inquam, interfecit! Nec me tantum, sed et omnes, qui de meo femore, tua gratia donante, egressuri erant: gentem piam, sanctam et iustam, tuo cultui deditam, ut merito filii tui dici potuerint. Vide ergo, Domine, insaniam intolerabilem, nefarium scelus, factum inexpiabile, intolerabilem culpam. Vindica ergo, Domine, sanguinem meum, vel, si melius dicam, sanguines meos; nam et me et futuros filios meos interemit.

Pulcherrima paraphrasis huius loci;

Respondisse Dominum credo: Requiesce modicum tempus, o Abel iuste et innocens, donec compleatur numerus conservorum tuorum et fratrum, qui interficiendi sunt sicut et tu, propter iustitiam et testimonium veritatis [150]: quia una cum illis pro iniusta morte iuste stola alba immortalitatis indueris et pro iniqua vi, quam tibi frater tuus intulit, gaudiis perfrueris aeternis, tanquam verissimus protomartyr et primus veritatis testis. Pro filiis autem tuis tecum una interemptis, ego semen aliud patri tuo pro te ponam. – Ita enim scriptum est: *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain* [151]*:* ex quo gens illa sancta descendit, quae primo *coepit nomen Domini invocare* [152], unde *filii Dei* appellari [153] meruere.

ex quo etiam eruitur animae humanae immortalitas,

Locus itaque iste diligenter expensus, Abel quidem corpore mortuum, spiritu autem adhuc viventem et loquentem ostendit; corpus quidem nefaria Cain caede occisum est: anima autem occidi non potuit; sed adhuc immortalis immortaliter vivit nunquam peritura. Quare merito de animae immortalitate nonnulla hoc loco in medium afferamus.

quam multi negant, falso interpretantes Scripturam et apparentibus rationibus alucinati.

Multi enim hodie qui eam negant immortalem, sed una cum corpore mori autumant et affirmant, eo quod apud *Ecclesiasten* legant [154]: *Unus est interitus hominum et iumentorum . . . ; nihil habet amplius homo iumento;* et A p o s t o l u s etiam dicat [155] quod *solus Deus habet immortalitatem.* Deinde nonnulli [156] naturalium rationum appa-

150) Cf. Apc 6, 11. 151) Gn 4, 25. 152) Ibid. vr. 26. Vulg.: *Coepit invocare nomen Domini.* 153) Ibid. 6, 2. 154) 3, 19. Vulg.: *Unus introitus est hominis... nihil habet homo iumento amplius.* 155) 1 Tim 6, 16. 156) V. g. Alexandristae de quibus cf. Giacinto Tredici *Storia della filosofia, Epoca Quarta,* cp. 3, pag. 164. Cf. etiam S. Thomas *S. Theolog.,* 1ª, q. 75, a. 6; S. Bonaventura *Sentent.,* lib. 2, dist. 19, a. 1, q. 1.

rentium involucris alucinati, quod anima in operando a phantasmatibus pendeat hisque indigeat, cumque phantasma, sine quo nihil intelligere putant, non sit absque corpore, arguunt quod non possit anima permanere destructo corpore. Deinde quod omne genitum quodque esse coepit, corrumpi necesse sit et esse desistere: ipsa autem anima esse coepit; hinc ponunt animam omnino esse cum corpore perituram, sicut et brutorum quorumcunque animae. At sapientia istorum insipientia atque insania est hominum animalium, qui non sapiunt *quae Dei sunt* [157] et propterea, cum ut bruta animalia vivant, animam quoque se putant brutorum habere cum corpore morituram.

Veritas catholica de immortalitate animae in conciliis proclamata fuit,

Veritas autem catholica et fides determinavit animam quidem cum corpore incepisse, non aliunde quam a Deo creatam et corpori infusam, tanquam eius essentialem formam et vitam, ipsum vivificantem et moventem: post corpus vero perpetuo immortalem per se mansuram, quoadusque corpori iterum uniatur in universali resurrectione, prout Sancta Ecclesia, veritatis columna [158], in Viennensi concilio [159] et Lateranensi [160] sub Leone X celebrato, sub anathemate determinavit. Habetur etiam *in Clementina, De Summa Trinitate et Fide Catholica, capite unico* [161].

et multis etiam rationibus probatur;

Haec autem veritas, praeter quod universalis Ecclesiae auctoritate firmatur, Sacrae Scripturae auctoritate, sacrorum Doctorum et universalis scholae theologorum tum rationibus tum auctoritatibus firmissimis propugnaculis munitur; ea praeter ethnicorum philosophorum recte sapientium sententia fuit; ac demum cum theologalium et moralium, tum etiam naturalium rationum monimentis fulcitur.

Et primo quidem rationalem animam formam corporis esse, ultra quod in praedictis locis determinatum est, ex philosophorum etiam sententia patet, qui eam actum corporis physici, organici, potentia vitam habentis esse definivere [162]; tum quia si forma corporis informans non esset, homo vere non esset homo; forma enim est quae dat esse rei. – Nota quod fuit opinio D. Gregorii Nysseni [163] animam non esse corporis formam; sed non tenetur.

157) Mt 16, 23; Rom 8, 5; Phil 3, 19; Col 3, 2. 158) Cf. 2 Tim 3, 15. 159) Cf. Denzinger–Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 480. 160) Cf. ibid. n. 738. 161) *Lib. 6 Decretalium Clementin.*, lib. 1, tit. 1, pag. 8. 162) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 76, a. 4, c; Aristot. *De Anima*, lib. 2, cp. 1, t. 1, pag. 387. 163) *De Natura Hominis*, cp. 2-3, (P. G. 40, 571-574. 598). Nota haec in codice ad marginem folii adiecta invenitur. Huius tractatus,

Esse autem immortalem et manere post corpus, primo Christus adversus Sadducaeos[164], qui negabant resurrectionem, spiritum et angelum, ita probavit: *Non legistis*, inquit: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob ? Non est Deus mortuorum, sed viventium*[165]. Quoniam autem haec verba dixit Dominus in *Exodo*[166], iam Patres illi mortui erant, et non erant: si ergo nihil eorum vivebat, ergo Deus dicitur Deus nihili. Relatio autem creaturae ad Deum realis est: ergo rei existentis: aliquid ergo eorum existebat, non compositum, non corpus; iam enim non corpus, sed cadavera corrupta erant: ergo animae vivebant. Deinde apud Matthaeum Dominus dicit[167]: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ; sed eum potius timete, qui,* postquam occiderit corpus, *potest et animam perdere in gehennam.* Sed nimium esset omnia Novi Testamenti testimonia in medium afferre.

et in pluribus locis Novi Testamenti

In Veteri id quoque patet. Salomon enim, *Ecclesiastis* ultimo[168], de hominis morte loquens, sic ait: *Revertatur pulvis in terram... unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Id autem, quod alias Salomon dixit: *Unus est interitus hominum et iumentorum,* etc. ex persona insipientium dixit, qui in *Sapientia* ita loquuntur[169]: *Exiguum et cum taedio est tempus vitae nostrae, et non est refrigerium in fine hominis ; et non est qui agnitus sit reversus ab inferis. Quia ex nihilo nati sumus et post hoc erimus tanquam non fuerimus ; quoniam fumus afflatus est in naribus nostris.* Quibus in *Sapientia* etiam respondetur[170]: *Iustorum animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori . . . , illi autem sunt in pace.*

et Veteris docetur.

Doctores Hebraeorum omnes asseverant Salomonem ex persona insipentium ibi esse locutum, quemadmodum ipse dixit: *Dixi in corde meo de filiis hominum*[171]. Unde Rabbinus Abraham Aben Ezra, super illum locum, ait[172]: « Hic versus est secundum cogitationes filiorum hominum, qui non habent sapientiam et intelligentiam; qui videntes eventum unum esse homini et animali, pu-

Communis est etiam Hebraeorum consensus et fides circa animae immoratalitàtem et resurrectionem futuram,

qui in antiquis editionibus inter opera D. Gregorii Nysseni extabat et ei tribuebatur, auctor est Nemesius. Cf. Bardenhewer *Manuale di Patrologia*, vol. 2, pag. 90. 164) Cf. Act 23, 8. 165) Mt 22, 31-32. 166) 3, 6. 167) 10, 28. 168) 12, 7. Vulg.: *In terram... redeat ad Deum.* 169) 2, 1-2. Vulg.: *Flatus est in naribus.* 170) 3, 1-3. 171) Eccle 3, 18. 172) *Biblia Rabbinica, Comment. in Coheleth*, cp. 3, 19, fasc. 106, f. 8[a].

tant illa habere eundem spiritum, nec praestare hominem animantibus ceteris ». *Glossa* autem *Hebraeorum*[173] super illud: *Quis novit si spiritus filiorum hominum ascendit sursum et spiritus iumentorum descendat deorsum*[174] *?* accipit *si* pro *quia*, dictio enim hebraica utrumque significat[175], et ita locum exponit: « Quis cognoscens, idest quis ponit cor suum ad cogitandum quod spiritus hominis ascendit sursum ad iudicium divinum, ad rationem reddendam ? » Firmissima autem est Hebraeorum omnium sententia et fides animam rationalem esse immortalem, et universalis resurrectio futura est apud eos articulus fidei, sicut et apud nos.

sicut et omnium theologorum catholicorum.

Haec eadem veritas ex communi omnium catholicorum sententia manifesta est atque dilucida. D. enim Dionysius Areopagita, theologicae disciplinae columen et culmen, in quarto [capite] *De Divinis Nominibus*[176], inter plerasque dotes, quas anima a Summo Bono accepit, immortalitatem enumerat, quod virtutem intellectualem habet, inde essentialem vitam et immortalem. Idem ipsum late D. Augustinus, in libro *De Immortalitate Animae*, et affirmat[177] et seriose probat. Mitto communem omnium theologorum sententiam verissimam qui id latissime probant.

Eam docuerunt etiam ethnici philosophi, ut Plato, Pythagoras et Aristoteles.

Quo autem ad ethnicos philosophos, Plato, academicorum princeps, in *Timaeo*[178] expresse animae immortalitatem docet. Idem senserunt stoici plerique et Pythagoras, ut refert Plutarchus[179]. Aristoteles etiam in suis *De Anima* id expresse sentire videtur. In *2* enim ita ait[180]: « De intellectu autem et speculativa potentia nihil adhuc manifestum est: sed videtur genus aliud animae esse et hoc solum posse separari, sicut perpetuum a corruptibili ». In *3* autem ait[181], de intellectu loquens: « Separatum hoc autem solum est, quod quidem est et hoc solum immortale est et perpetuum ». In *12* autem *Metaphysicorum*[182], cum dixisset ani-

173) Apud Rab. Salomonem, ibid. ad vr. 21. 174) Eccle 3, 21. Vulg.: *Adam ascendat*, etc. 175) Textus enim hebraicus utroque modo interpretari potest, tum interrogative tum etiam positive. *Pagnini:* « Iuxta hebraicam punctionem, *qui ascendit*, sic mox, *qui descendit*, ut sit *He hajedihah* (idest *He* demonstrativum, seu articulus respondens graeco ὁ, ἡ, τὸ, de quo cf. supra cp. 1, not. 582), nam *He* interrogandi aliter scriberetur ». Op. cit. sub radice: רוה, col. 2655. Cf. Cornely *Introduct. in S. Script. Libros*, pag. 497. 176) P. G. 3, 695. 177) Cp. 1-16, (P. L. 32, 1021-1034). 178) T. 3, pag. 41-42. 179) *De Placitis*, lib. 4, cp. 7, t. 2, pag. 899. 180) Cp. 2, t. 1, pag. 388. 181) Ibid. cp. 5, pag. 402. 182) Cp. 3, t. 2, pag. 559-560.

mam, vel formam corpus moventem, non esse ante corpus, sed cum corpore, sicut sanitas tunc est cum est homo sanus, et aeneae sphaerae forma tunc cum ipsa aenea sphaera est: subintulit animam non omnem, sed intellectum manere posterius, nihil prohibet. Eandem sententiam multi ex Aristotelis interpretibus tenent, quos nimium esset singulos adducere.

Probatur autem animae immortalitas ex natura eius operationis, quae demonstrat naturam operantis.

Ad rationes accedamus, proposito prius quodam universali axiomate ex communi animi conceptione, ex quo licebit nobis conclusiones elicere. Est autem quod omnes res ex earum operationibus cognoscuntur, et hae [183] proxime earum indicant naturam. Qualis nanque est rei operatio, talem necessum est et naturam esse, cum operatio ex natura proveniat; et si eaedem operationes in specie, easdem esse res specie colligimus; et si diversas habeant operationes, diversas esse specie. Operationes praeterea potentias ostendunt et earum virtutem ex qua procedunt, nec non et propriam naturam; si fit operatio, ab aliquo principio procedit et propria a proprio. Et ita ex actibus potentias et ex potentiis rei naturam indagamus atque colligimus, imo demonstramus; ceu res naturales per motum cognoscuntur et ex motu demonstrantur.

Anima enim multas operationes habet, quae non pendent a corpore;

Iam ergo si ita res est, anima ex operibus et actibus cognoscenda erit; et eius pariter immortalitas eiusque existere et separatum esse post corpus. Si enim operationes aliquas habuerit, quae ex corpore non pendeant, nec corporeo organo suscipiantur, certum et evidens argumentum erit eam a corpore esse separabilem et spiritualem, utpote quae habeat immateriales et spirituales operationes a corpore separatas; contra vero si nullae essent tales operationes, eam nullatenus a corpore separari posse et permanere. Ita enim et Aristoteles, in *1 De Anima*, naturam animae coniectans, ait [184]: « Si igitur, inquit, est aliqua animae operatio aut passionum propria, continget utique ipsam separari; si vero nulla est propria ipsius, non utique erit separabilis ». At certe multae sunt rationalis animae propriae operationes a corpore nullatenus pendentes, aut a phantasmate.

Ipsa nanque Deum intelligit, spiritualia,

Et primo: circa intellectus operationes. Ipsa etenim mens dum Deum, intelligentias sive angelos, invisibilia quaeque et aeterna, seipsam

183) Ms.: *Haec.* 184) Cp. 1, t. 1, pag. 380.

aeterna, seipsam etiam et actus suos;

et actus suos intelligit, profecto intellectiones istae a corpore separatae sunt, cum a phantasmate non pendeant; spiritualia enim phantasmatibus non sunt subiecta.

similiter elicit actus fidei divinae vel humanae, quae operationes a corpore non pendent.

Praeterea: fides et actus fidei, non solum qua divina credimus, sed etiam qua humana ex alicuius auctoritate recipimus, actus est separatus et supra sensum. Intellectus enim ad credendum neque sensibus neque rationibus convincitur;[185] non rationibus: quia tunc esset scientia vel opinio, non fides; neque sensibus: siquidem, omnibus positis sensitivis actibus et omni agentis rationalis actione, non cogetur intellectus credere; credimus autem quia volumus et quia intellectus vult assentire alicuius auctoritati. Fides ergo actus separatus est.

Item ratiocinationes, divisiones, definitiones, universalium cognitio, etc. a sensu non pendent:

Praeterea: multae aliae sunt intellectus operationes, quas sensus non potest efficere, ut ratiocinari, syllogismos conficere, dividere, definire, ordinare, numerare, componere etiam et propositiones efficere, universalia cognoscere, et pleraque alia quae sensus non potest efficere; sed potentia altior haec operatur, idest intellectus spiritualis, atque adeo essentia spiritualis, cuius illa est spiritualis potentia: siquidem qualis operatio talis potentia, et qualis potentia talis est essentia. Tametsi autem haec intellectus sine sensuum adminiculo efficere non potest et absque phantasmatibus oblatis: his tamen positis, intellectus ipse per se haec[186] efficit; ipse etenim phantasmata illuminat et species intelligibiles elicit ex phantasmatibus. Intelligibiles autem species intellectu receptas, absque omni adminiculo intellectus speculatur; quare actus ille separatus est.


ergo procedunt a potentia, quae est supra sensum,

Praeterea: multa intelligit, quae phantasmata quidem non habent, quibus movere intellectum possint, sed terminare tantum possunt; ceu sunt relationes omnes, quae intelliguntur, cum speciem non habeant. Actus ergo ille a corpore non pendet, cum non a phantasmate recipiatur.

ergo separabilis est a corpore; ideo immortalis.

Amplius: anima, praeter naturalem intelligendi modum qui, ut plurimum, fit per sensus receptis phantasmatibus, potest multa per influxum et motum superioris causae intelligere: a Deo per revelationem et infusionem scientiae specierumque intelligibilium; quemadmodum et intelligentiae a corpore separatae. At certe hic intelli-

185) Ms.: *Intellectus* repetitur. 186) Ms.: *Has*.



FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII MAGNITUDINE NATURALI

gendi modus proculdubio a corpore et sensibus separatus erit, cum non sit a phantasmate, sed a Deo et lumine divino. Haec ergo operatio intellectus erit a corpore separata. Ergo si anima habet propriam hanc operationem, erit utique a corpore separabilis, ut permaneat.

Voluntatis praeterea operationes multae sunt separatae. In voluntate enim velle et nolle supra omnem sensum est et supra omnem appetitum sensitivum; voluntas enim imperat et dominatur sensui et appetitui sensitivo, et multa vult contra sensitivum appetitum, sicut in continente apparet, qui appetitus coercet et frenat ne, solutis habenis, libere debacchentur.

Voluntas etiam operationes habet, quae non pendent a sensu;

Praeterea: multae sunt virtutes in voluntate residentes, quae in sensu nullatenus esse possunt, ceu est amor Dei, timor et reverentia Dei, pietas in Deum atque devotio, spes in Deum, etc. Ad huiusmodi autem sese attollere sensus non potest, nec ea appetere. Illi ergo voluntatis actus in Deum atque divina a corpore non pendent: sunt ergo proprii.

item et virtutes, quae spirituales sunt;

Deinde: voluntas libera est et suarum actionum domina; ad agendum enim ipsa seipsam movet primo. Quidquid autem se movet primo et non potest naturali motu ab alia creatura naturaliter moveri, est aeternum et non potest interire. Si enim deberet interire, profecto ab aliquo naturali agente id esset naturaliter movente, efficaciter et violenter. Voluntas autem non potest sic moveri ad suam actionem, quia libera est; ergo neque moveri ad essentiae, sive existentiae corruptionem; ut sicut operatio impediri non potest, ita nec essentia vel essentiae existentia. Et sicut necessitas aut vis ulla a creatura aliqua potest voluntati inferri, ita nec eius essentiae; nam, sicuti diximus, qualis est rei operatio et potentia, talis est essentia, natura et existentia.

est domina suarum actionum, nec indiget alio movente ad agendum:

ergo sicut eius operatio impediri non potest, ita nec eius existentia.

Ea praeter: rationalis anima eius est virtutis, ut una cum suis potentiis supra seipsam reflectatur. Anima enim vult se intelligere, et intelligit se velle, et memoratur se voluisse et intellexisse, et intelligit et vult se memorari. Itaque intellectus reflectitur supra voluntatem, et voluntas supra intellectum, et utraque supra memoriam, et contra. Imo vero intellectus supra seipsum convertitur et reflectitur: nam intelligit se intelligere; et voluntas pariter vult se velle; et memoria memoratur meminisse. At certe haec omnia absque sensuum adminiculo fiunt et absque phantasmatibus: non sunt enim horum

Actus reflexi animae non dependent a sensu; probant ergo eius spiritualitatem et immortalitatem.

actuum phantasmata. Demonstrant etiam animam[187] immaterialem esse, cum corpus supra seipsum reflecti nequeat, idest ipsum sibimet superponi; quare cum anima supra seipsam convertitur, manifeste elucet quod incorporea [sit], immaterialis et spiritualis atque ideo incorruptibilis et immortalis: spiritualia enim et immaterialia immortalia sunt.

Intellectus etiam, memoria et voluntas habent actus reflexos, qui effici nequeunt a potentia corporea: ergo.

Esse autem spiritualem inde etiam roboratur: unaquaeque enim potentia ita supra alias reflectitur, ut omnes eas capiat et omne earum obiectum et omnes operationes. Etenim intellectus et memoriam intelligit et voluntatem et bonum, quod est voluntatis obiectum, et omnes voluntatis operationes. Similiter voluntas amat veritatem sive verum, quod est intellectus obiectum: et omnes veritates et ipsum intellectum et omnes ipsius intellectus operationes imperare potest et velle. Et in memoria similiter reponuntur omnes cognitiones rerum quarumlibet, etiam ipsius intellectus et voluntatis earumque operationum. Necesse est ergo has potentias spirituales esse, quandoquidem nulla corpora ita se possunt habere, ut unumquodque ex tribus simul omnia ex aequo capiat; nec tres ullae unquam corporeae mensurae tales reperientur, ut et singulae capiant omnes alias et quantum totae tres capiant. Sunt ergo spirituales potentiae. Ergo et anima immaterialis et immortalis.

Insuper capacitas intellectus et voluntatis est progressive quodammodo infinita: ergo et duratio.

Ad haec: ex infinita tum intellectus tum voluntatis capedine immortalitas animae comprobatur. Intellectus enim infinita est capacitas, tum etiam voluntatis; potest enim voluntas diligere bonum unius gradus et duorum graduum et quattuor et decem et mille graduum et sic in infinitum. Ita quoque eius appetitus infinitus est, quem nihil sub sole potest, nisi ad modicum, implere ac satiare: sed post quodvis consecutum bonum, voluntas aliud appetit. Et intellectus potest intelligere non solum universum hunc mundum, sed et duos et tres, etc. sine statu; et potest intelligere perfectionem unius gradus et duorum et trium et decem et mille, et sic sine termino; et in numerorum progressu potest, quovis numero dato, ei superaddere; similiter in figurarum processu addere sine termino. Infinita ergo ipsi inest capacitas. Et duratio ergo erit perpetua; quale enim proprium est rei, talis est et eius essentia et existentia. Non potest autem infi-

187) Ms.: *Animae.*

nita actu capere, sed progressu; sic non actu infinita essentia est, sed duratione.

Praeterea a natura ipsius animae eius probatur immortalitas. Illud enim moritur, a quo vita separatur. At impossibile est ab anima vitam separari, quia ipsa formaliter et secundum suam rationem vita est; unde sicut est impossibile albedinem a se separari, ut non sit alba: ita vitam ab anima.

Anima secundum suam rationem vita est:

At dicet quis albedinem quidem vere a se separari non posse: posse tamen deficere et destrui; et sic de anima. Dico quod si albedo destruitur, nonnisi ab aliquo agente destruitur; ita et anima si destruitur, ab aliquo agente destruetur. Agens autem omne vel creatum, vel increatum est; et de increato agente dubium nullum est quod eam possit destruere, sicut et creare potuit: etenim [188], ut quaelibet alia creata, quoad esse immediate a Deo dependet, qui contingenter mere et libere influit et operatur ad extra; unde, si cessaret Deus ab opere, in nihilum anima tenderet. Sed dico animam esse immortalem, quia per causalitatem cuiuscumque, citra Deum, non potest destrui.

ergo nequit a vita separari, nisi destruatur, quod soli Deo competit,

Omnis enim corruptio ex dependentia effectus oritur ab aliqua causa. Effectuum autem quidam a quattuor causis dependent: materia, forma, efficiente et fine, ceu est substantia quaelibet corporea, praesertim mixta; quidam vero a tribus tantum, ceu est forma quaelibet materialis: a materia enim, efficiente et fine dependent, non autem a forma, quia forma est, nec a seipsa potest dependere; alii a duabus tantum pendent: efficiente et fine ultimo, cuiusmodi sunt intelligentiae, quae materia et forma non constant, sed sunt actus puri. Effectus qui ab una tantum causa dependeat, vere non datur; etsi, secundum philosophos, detur intelligentia, quae a Deo in genere solum causae finalis pendeat.

quia ipsa ab alia causa non pendet.

Anima autem nostra ab efficiente et fine necessario dependet, sicut intelligentiae: unde sicut illae, ita ipsa immortalis est. Non enim a forma dependet, quia ipsa est forma et actus; neque a materia habet totum esse dependens; sicut enim in operari non dependet totaliter a materia, sed operationes aliquas separatas habet, ut supra ostensum est: ita nec secundum esse a materia dependet. Ergo separata non corrumpitur.

188) Ms.: *Cum* additur.

Et hoc probatur ex eo quod, deficiente et declinante corpore, ipsa non deficit nec senescit.

Praeterea: si a corpore rationalis anima et intellectus totaliter dependeret, ita ut, eo deficiente, deperiret et desineret: ergo deficeret et declinaret magis ac magis, corpore pariter deficiente et declinante. Ita enim vires vegetativa ac sensitiva, robur, forma et pulcritudo et pleraque alia, quae a materia dependent, senio et infirmitate, corporis passionibus debilitantur, marcescunt ac demum cum corpore pereunt. At certe intellectus viget in senibus, qui, corpore debilitato ac pene confecto, iudicio ac ingenio, scientia et prudentia magis ac magis pollent. Non pendet ergo a materia intellectus, cum non senescat, nec debilitetur. Alioquin autem esset si esset vis organica: ceu sunt alii sensus ac vires, quae debilitantur ac senescunt ab excellentibus obiectis; quoniam cum organicae sint, corrupta ac laesa ab excellenti obiecto et nimium intenso organica harmonia, [corrumpuntur]; intellectus autem ab excellenti obiecto non corrumpitur, sed perficitur.

Ideo non potest corrumpi *per accidens*, idest corrupto corpore, quia per se operatur;

Praeterea: si anima esset mortalis et corruptibilis, vel corrumperetur per se, vel per accidens, corpore videlicet corrupto, sicut accidentia corrumpuntur. At non potest per accidens corrumpi; generatio enim et corruptio competit rei sicut et esse: esse enim per generationem acquiritur et per corruptionem deperditur. Quod ergo per se est, per se generatur et corrumpitur. Et impossibile est quod per accidens ad corruptionem alterius corrumpatur: tunc enim non esset per se existens. At anima per se existit et potest existere; quod enim per se potest operari et operatur, potest etiam per se existere et existit; operari enim non est nisi entis in actu et operatio rei naturam demonstrat; anima autem nostra potest per se operari et operatur sine corporeo organo, ut supra ostensum est: ergo per se potest sine corpore existere. Si ergo est ens per se existens, non potest per accidens ad corporis corruptionem corrumpi; per accidens enim corrumpi non est entium per se existentium, sed accidentium et eorum quae materiae secundum totum esse suum innixa sunt.

nec potest corrumpi *per se* quia non habet contrarium; nec est substantia ex contrariis composita,

Nec itidem potest per se corrumpi; quod enim per se corrumpitur, a contrario et in contrarium corrumpitur: anima autem non habet contrarium; substantiae enim nihil contrarium est: ipsa autem anima est substantia. Nec est substantia ex contrariis composita, aut ex elementis mixta, aut contrariis qualitatibus adnexa, quae mutuo a se invicem dissidentes et sibi invicem contrariantes, interitum et dissolutionem ei parent et machinentur; sed forma et actus

simplex est. Cum igitur forma simplex sit a materia non dependens, sed per se existens, profecto immortalis et ininteribilis erit, sicuti sunt intelligentiae, ex eo quod formae et actus simplices sunt a materia non dependentes.

sed forma simplex.

Mitto demum quod si anima mortalis esset, multa et insupportabilia omnino inconvenientia sequerentur. Nam et ratio verae beatitudinis, quae in praesenti vita esse non potest, omnino periret si altera vita non esset. Multae etiam virtutes deperirent, cum in hac vita praemium non assequantur, ceu sunt temperantia, sobrietas, virginitas, poenitentia, paupertas, religio, etc.; hae enim virtutes maximis huius vitae voluptatibus privant atque destituunt. Quod si in alia vita nullum ipsarum esset praemium, omnino depereunt, cum vel nihil vel parum utilitatis habeant et voluptatis: mali autem plurimum et afflictionis.

Demum si anima mortalis esset, non existeret spes verae beatitudinis, ratio virtutum.

Iustitia Dei etiam aequissima non esset, cum in hac vita multae virtutes earumque actus et opera non praemientur; imo sancti ac laudabiles viri, qui continuo in virtutum actibus exercentur, voluptatem frenantes et desideria carnis non implentes, sed corpus suum castigantes et in servitutem redigentes[189], illud Apostoli verissime dicere possent[190]: Si dormientes in Christo pereunt, *si in hac vita tantum in Christo sperantes essemus, miserabiliores essemus omnibus hominibus*[191]. Quod enim Abel pro iustitia et veritate praemium in hac vita sumpsit? Quid praemii tot martyrum millia, qui pro iustitia et veritate dimicavere ad sanguinem et mortem usque? Quid emolumenti consecuti sunt quicumque pro virtutum actibus conservandis et tuendis, pro legibus sanctis, pro gente, patria et republica mortem subiere?

aequa Dei iustitia, quia nec iustum virtutis praemium, nec iusta poena iniquitatis haberetur.

Demum: si praeter hanc nulla alia esset vita, recte possemus iniustitiae Deum arguere et cum Ieremia ad eum dicere[192]: *Iustus quidem tu es, Domine, si disputem tecum; veruntamen iusta loquar ad te : Quare via impiorum prosperatur ? bene est omnibus, qui praevaricantur et inique agunt.* E contra autem iusti mortificantur *tota die*, facti sunt *sicut oves occisionis*[193]. Ecce dives ille magnus epulo, dives valde erat, *induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie splendide :*

Anima ergo immortalis est, quia Dei iustitia non moritur, sed vivit ad vindictam iniquorum.

189) Cf. 1 Cor 9, 27. 190) Cf. ibid. 15, 18. 191) Ibid. vr. 19. Vulg.: *Sperantes sumus, miserabiliores sumus*, etc. 192) 12, 1. 193) Ps 43, 22.

erat autem inique agens; iustissimus autem Lazarus pauperrimus erat et miserabilissimus mendicus, iacens ad portam divitis, *ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quae cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat*[194]. Ubi est ergo virtutum praemium et peccati punitio? Ubi iustitiae aequitas, quae nullum malum impunitum et nullum bonum relinquit sine praemio? Vivit, vivit certe anima post mortem et sic *mortuus est . . . dives et sepultus est in inferno*[195], ibique in tormentis manet perpetuis pro suarum gravitate culparum: iustus autem Lazarus ab angelis portatus est *in sinum Abrahae*, ubi *nunc . . . consolatur*[196] pro suarum remuneratione virtutum. Ita profecto et Abel occisus est a fratre iniquo; pro sua iustitia *defunctus adhuc loquitur* et clamat ad Deum, ut vindicet sanguinem suum de manu fratris iniqui. Cuius voce commotus Deus, miserabiles poenas Cain luendas infligit pro scelere, dicens:

Maledictus tu de terra[197], *quae aperuit os suum et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.*

אָרוּר אָתָּה מִן־הָאֲדָמָה: *Maledictus tu e terra*, sive *prae terra*, vel *plusquam terra*, vel *supra terram*.

מִן enim praepositio in hebraeo aliquando a, vel ab, vel de [significat], aliquando vero vox est qua comparativum circumloquuntur Hebraei et valet plus, magis, prae.

Maledictus tu de terra, etc. Interpretatio huius loci iuxta hebraeos doctores.

Rabbinus Salomon exponit[198] eam dictionem in secundo significato: יותר, idest plus, ut sit sensus: maledictus tu magis quam terra, quae ob peccatum Adam maledicta fuit supra, dum dicitur: *Maledicta terra in opere tuo*[199], sive *propter te*. Rabbinus vero Abraham Aben Ezra[200] et Rabbinus Moyses ben Nachman, ut Rabbinus Abrabanel refert[201], aliter exposuerunt: quod scilicet maledixit eum, ut proveniret ei semper egestas, inopia atque penuria a terra, quam elegerat colendam; quoniam non datura esset illi proventum suum et fructus suos ex seipsa, ut conveniens erat; ac etiam quod si excoluerit eam ad seminandum, non prospere egisset, nec addidisset dare virtutem suam, idest *fructus suos*, quemadmodum prius dabat usque ad tempus huius

194) Lc 16, 19-21. 195) Ibid. vr. 22. 196) Cf. ibid. vrr. 22-26. 197) Vr. 11. Vulg.: *Maledictus eris super terram*, etc. 198) Op. cit. f. 6ᵇ. 199) Gn 3, 17. 200) Op. cit. f. 6ᵃ. 201) Op. cit. f. 36ᵃ.

maledicti. Deinde ait: *Quae aperuit os suum ad suscipiendum sanguinem fratris tui de manu tua :* ad ostendendum quod fudit sanguinem eius et abscondit in terra.

Nos vero ita exponimus, ut poenas pro perpetrato scelere luendas iustissimus Deus Cain inflixerit. Poenae autem luendae tres dantur. Prima est: *Maledictus eris super terram;* secunda: *Cum colueris*[202] *eam, non dabit tibi fructus suos;* tertia: *Vagus et profugus eris super terram.*

Tres poenae infliguntur Cain.

Primo : maledicit Deus Cain dicens: *Maledictus eris super terram.* Magnum, inquit, scelus perpetrasti, horrendum facinus operatus es, crudelem mortem primo tua dextra homini invexisti: mortem adeo terribilem, adeo hominibus horrendam. Nunc igitur homines propter maleficii tui horrorem utique maledicent tibi: omnibus odibilis, detestandus et execrandus eris; et si ob patris tui piaculum terra maledicta fuit, suo inculto ac horrido aspectu, sterilis et infecunda, spinis et tribulis obsepta, execranda et detestanda hominibus reddita est: tu *plusquam terra maledictus eris,* magis detestandus et execrandus hominibus.

Prima: *Maledictus tu;* maledicitur ipse Cain.

Nam etsi terra laboriosa pluribusque tum laboribus tum poenis et doloribus hominum afflictiva reddita est; culta tamen et elaborata, uberes et suaves fructus panemque super omnia homini desiderabilem reddit. Tu autem hominibus semper odibilis, semper maleficus eris, nonnisi malis partubus mundum replens, nunquam bonis, nunquam iucundis: ex te omnis manabit iniquitas, omnis fraus, omnis dolus, oppressio, violentia, rapinae, furta, avaritia, luxuria, inordinatus terrenorum amor, mores pravi, detestabiles et pestiferi. Hinc eo tu maledictus magis, detestabilis et execrandus eris *prae terra,* quo hi partus tui spinis et tribulis sunt magis odibiles, exhorrendi et execrandi.

qui omnibus odibilis et detestandus

Maledictus ergo *eris super terram. Maledictus,* inquam, *prae terra,* quoniam etsi terra suapte natura spinas et tribulos germinat, culta tamen fructus bonos, dulces ac suaves profert: ex te autem nonnisi malum egredietur. Nam ultra quod nunquam nonnisi mala, iniusta atque iniqua opera operaberis, ex te quoque filii nascentur paternorum operum imitatores, *homines seipsos amantes,*

et etiam in filiis suis maledictus erit.

202) Vr. 12. Vulg.: *Cum operatus fueris,* etc.

cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei, nullam pietatis speciem habentes, sed omnis pietatis virtutem negantes [203].

quia gratiam Dei repulit et cor suum induravit.

Maledictus ergo *tu super terram* et *prae terra. Tu,* inquam, *maledictus,* non terram propter te, sed teipsum maledico, teque ipsum, idest cor tuum induro, ut sicut tu te mea gratia privasti et iterum consequenda indignum omnino reddidisti, imo a me summa benignitate oblatam tibi gratiam renuisti eique duro et incircumciso corde restitisti [203a], et potius magno atque immani sceleris praecipitio irreparabilique ruinae praecipitem te dedisti: ego quoque in tui facinoris, crudelisque piaculi poenam meritissime in omne aliud malum irreparabiliter ruere sinam.

Haec prima poena miserabilissima est Caino a Deo luenda inflicta.

Vr. 12

Secunda: *Maledictus tu de terra,* etc.; maledicitur terra propter Cain,

Secunda autem: *Cumque operatus fueris* terram, *non dabit tibi fructus suos.* Ob peccatum primi hominis Deus terram maledixit, dicens: *Maledicta terra in opere tuo,* sive *propter te: spinas et tribulos germinabit tibi, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus. In sudore vultus tui vesceris pane* tuo [204]. Non maledixit Deus hominem, sed terram propter hominem. Ipsum enim Adam munere gratiae suae Deus educturus erat a delicto suo [204a], ut inter electos, qui aeternam benedictionem a Deo accepturi erant, a dextris cum agnis collocaretur, ut una cum electis omnibus aeterna benedictione donaretur. Terrae autem maledixit, ut terrae laboribus atque sudoribus peccatum suum lueret et per poenitentiae afflictionem veniam mereretur accipere.

quae ob peccatum Adae maledicta fuerat, ut laboribus peccatum suum homo lueret;

In poena autem Cain et terra et ipse quoque maledicitur, et prius ipse quam terra. Maledicitur quidem ipse Cain, quoniam inter reprobos et damnandos iam computabatur, nunquam aeterna beatitudine donandus, sed aeternis poenis excruciandus ex suorum scelerum ac facinorum merito. Deinde et terra quoque Cain maledicitur, imo multo gravius maledicitur. Adae enim sic ait: *In labore . . . comedes ex ea cunctis diebus;* Cain autem: *Cumque operatus fueris* terram, *non dabit tibi*

203) 1 Tim 3, 2-5. Vulg.: *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.*
203a) Cf. Act 7, 51. 204) Gn 3, 17-19. 204a) Cf. Sap 10, 2.

fructus suos: terra quidem illi maledicta; ex se nonnisi spinas et tribulos, lappas, carduos et vepres insulsasque herbas et humano victui nihili aptas germinasset; elaborata autem fructus dedisset suamque esset elargita virtutem. Tibi autem, inquit, sic maledicitur, ut nec pluribus, continuis maximisque laboribus culta, operata ac omni cum diligentia atque industria elaborata, *non addet dare virtutem suam: fructus*, inquam, *suos* tibi elargiri, nisi avare admodum et permodice: ita ut continua egestate, inopia ac penuria labores, victuque etiam necessario egeas et continua quasi maxima famis plaga extenueris. Coelum enim aeneum faciam supra terram tuam [205], ut nec ros, nec pluvia cadat super eam [206], ut parca admodum, sterilis et infrugifera tibi reddatur, quoniam tu humano eam sanguine polluisti atque foedasti; *aperuit* nanque *os suum et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.*

nunc autem maledicitur ad peccatum vindicandum sine ulla spe veniae.

Aiunt Hebraei [207] Cain occisum fratrem fovea abscondisse in pulvere terrae, sicut Moyses *occisum Aegyptium abscondit in sabulo* [208]; putabat enim insipienter Cain ita occisum a se fratrem posse et patrem suum et Deum quoque latere, proponens fratricidii culpam gravissimam, non poenitentia et humili confessione abluere, sed turpissimi mendacii falsitate graviorem reddere, impudenter atque procaciter quidquam ei fecisse, aut scire ubi sit negando. Iam, inquit, priusquam fratrem meum occiderem, huc atque illuc circumspexi neminemque adesse vidi; pater meus longe abest: Deum praesentem non video; abscondam ergo occisum cadaver, sanguinem in terra occultabo. Cum autem non apparuerit amplius frater meus, si quis me interrogaverit ubi sit, respondebo me nescire: *Num custos fratris mei ego sum?* Sicque facinus hoc meum omnes latebit; non enim poterit quisquam mihi probare me quidquam fratri meo fecisse aut interemisse eum; a nemine visus sum, nemo ad patrem meum accusare me poterit: salva res est.

quia foedata sanguine fratris, quem in terra abscondere tentavit,

ut crimen suum et patrem et Deum lateret.

At profecto insipienter cogitabat. Deum, etsi forte homines latuisset, latere non poterat: *Vox*, inquit, *fratris tui clamat ad me de terra.* Notum mihi, inquit, est, apertum oculis meis ac summe patens

205) Cf. Lv 26, 19; Dt 28, 23. 206) Cf. 2 Rg 1, 21. 207) Cf. *Tanchuma, Bereshit*, § 10; Gioseffo Flavio *Delle Antichità Giudaiche*, lib. 1, cp. 3, f. 3ª 208) Ex 2, 12. Vulg.: *Percussum Aegyptium.*

te fratrem tuum occidisse. Vidi impietatem tuam, nefandum scelus et crudele facinus; et si nemo te hominum vidit, praesens ego eram: me latere non potuit. Scio te occisum fratrem in terra abscondisse; ideo *maledictus tu* propter nequitiam et iniquitatem tuam: et maledicta etiam terra propter te, *quae aperuit os suum et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos*, et egestate, penuria, inopia et fame labores.

Haec fuit secunda poena inflicta Cain.

Tertia: *Vagus et profugus eris*, etc. exilio et continua peregrinatione damnatur,

Tertia autem: *Vagus et profugus eris super terram*. Peculiaris homicidarum poena est e locis propriis atque paternis sedibus emigrare et a patria terra exulare. Hanc poenam inflixit Deus tertio loco Cain; unde nativas sedes possessionesque elaboratas et cultas, unde uberes fructus expectabat, relinquere compulsus est et exilio proficisci: *Egressus* enim *a facie Domini habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Eden* [209].

ita ut nullam stabilitatem habere possit, quia omnibus execrandus,

Deinde vero quoniam maledictus a Deo, omnibus odibilis erat et execrandus, nullibi sibi constabat, nullibi securus erat, loca quaerebat solitaria et hominibus non prope admodum culta, timens semper ac pavens ne omnis, qui inveniret eum, occideret eum. Cuiuscumque enim hominis aspectus timorem sibi mortis incutiebat et violentiae caedis sua nefaria dextra in hominem primo invectae. Miseranda calamitas! E loco in locum semper emigrabat securam habitationem hominibus quaerens incognitam et inaccessam ne, si forte scirent homines ubi firma eius esset sedes iugisque ac perpetua habitatio, eum tanquam summe odiosum et omnibus execrandum ex sui facinoris horrore eum aggrederentur interficiendum.

et semper quaerens terram fertilem,

At certe continuae eius evagationis mansionisque nunquam firmae, sed semper instabilis, et aliud poterat in causa existere, ex eo quod supra in poenam inflictum est consequens: *Cum operatus fueris* terram, *non dabit tibi fructus suos*. Evagabatur siquidem Cain huc atque illuc aberrans, terras quaerens fertiles et satis optimas, quae uberes ei fructus afferrent, ne caritate macens ac extenuatus deficeret, utque insatiabilem voracissimae avaritiae appetitum atque ingluviem, quae nunquam sibi est satis, expleret. Hinc exiens *a facie Domini* habitare perrexit *ad orientalem plagam Eden*, prope eum locum, ubi paradisus

huc illuc profugus,

209) Gn 4, 16.

terrestris Dei manu plantatus divinoque cultu consitus erat. Siquidem terra illa fertilissima erat et satis optima; sed quo natura melior erat, eo Cain, quem ubique divina sententia insequebatur, deserta magis, arida sterilisque erat et nonnisi insuaves, agrestes, corrosos ac pene exustos ei fructus ac permodicos afferebat. Hinc in ea quoque terra vir miserabilis et miserandis cladibus pressus, mobilis et vagus habitabat.

nunquam inveniet.

Sed audiamus quid Domino respondeat his poenis acceptis.

Vrr. 13-14 *Dixitque Cain ad Dominum: Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear. Ecce eiicis me hodie a facie terrae, et a facie tua abscondar et ero vagus et profugus in terra: omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.*

Textus Hebraicus: *Et dixit Cain ad Dominum: Magnum malum meum magis quam remittere,* vel *sustinere. En eiicis me hodie de superficie terrae, et a facie tua abscondar et ero mobilis et vagus in terra: et erit, omnis inveniens me occidet me.*

Interpres Chaldaicus: *Multa est iniquitas mea magis quam dimittatur. Ecce eiicis me die isto et a conspectu tuo non potero latere,* etc.

Targum Ierosolymitanum: *Et dixit Cain coram Domino: Multae sunt iniquitates meae ad portandum. Veruntamen est possibile conspectui tuo ad relinquendum et remittendum mihi.*

Vulgata Editio Graeca habet: *Maius delictum meum quam ut remittatur mihi; si eiicis me hodie a facie terrae, et a facie tua abscondar et ero gemens et tremens super terram.*

Maior est iniquitas mea, etc. Variae interpretationes huius loci ex amphibologia vocum.

In Textu Hebraico duae sunt voces amphibolae, quae magnae in interpretibus diversitatis causa extitere. Sunt autem: עוני et נשא; prima enim dictio עון, iniquitatem, idest culpam significat, et etiam poenam et afflictionem pro culpa illatam; sicuti apud nos peccatum et culpam significat et etiam poenae reatum et sacrificium ac afflictionem pro peccato, sicut in Apostolo legimus[210]: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in illo. Fecit,* inquit, *peccatum,* idest hostiam pro peccato in peccati poenam. Ita quidem dictio illa frequentissime culpam significat; saepe saepius vero poenam pro culpa et punitionem. Simi-

210) 2 Cor 5, 21. Vulg.: *In ipso,* loco: *In illo.*

liter et secunda vox persaepe indulgere et remittere sonat; saepe saepius vero ferre, sustinere et elevare[211].

Iuxta hanc vocum amphibologiam diversimode locus iste, ab Hebraeis praesertim, exponitur.

Expositio Rab. Salomonis.

Rabbinus Salomon, ex verbis antiquarum traditionum, iuxta priora verborum significata exponit[212]: « Magna est iniquitas mea, idest peccatum meum in tantum, quod non poterit ferri illud ad remittendum, sive indulgendum illud »; et iuxta hanc expositionem eius מ, מנשא[213], est superfluum. Legit autem hunc locum cum admiratione: « Nunquid maior est iniquitas mea, quam ut ferri possit? Tu superiora et inferiora sustines, et peccatum meum ferre non poteris? » idest remittere et propitiari.

Aben Ezrae.

Rabbinus Abraham [Aben Ezra][214] autem aliter sentit. Etsi « opinio omnium fere expositorum sit quod peccatum suum confiteatur Cain et quod נשא, sit סלוח, idest parcere », ipse eas voces in altera accipit significatione, « ut iniquitas pro punitione et mercede mali, quae propter iniquitatem et peccatum advenit, poni intelligatur; quemadmodum in *Genesi* legimus[215]: *Quia nondum est completa* עָוֹן *iniquitas*, idest *punitio Amorrhaeorum*; et *Samuelis 1*[216]: *Si acciderit tibi iniquitas*, idest punitio »: verba sunt Saulis ad mulierem pythonissam. Ait ergo hunc esse horum verborum intellectum: « *Maior est iniquitas*, idest punitio mea, quam ut sustinere et ferre illam possim ». Certe id, quod sequitur, ex contextu sermonis videtur magis huic intellectui consonum. *Ecce*, inquit, *eiicis me hodie a facie terrae*, etc.

Abrabanel et Nachmanidis.

Rabbinus tamen Abrabanel[217] priori intellectui magis subscribit et una cum Rabbino Moyse ben Nachman[218] ita exponit, quod scilicet confiteatur Cain et doleat vere super magno peccato suo, quod peccavit: magna, inquit, et grandis iniquitas mea, quam feci in occidendo fratrem meum Abel, plusquam ferre, idest indulgere mihi: quoniam *iustus es, Domine, et re-*

211) Cf. Io. Buxtorfius *Lexicon Hebraicum*, etc. sub verbo: נָשָׂא. 212) Op. cit. f. 6^b.
213) מנשא: sic habetur etiam in textu *Bibliae Rabbinicae* et in *Comment. Rab. Salomonis*, f. 6^b, et in Kittel, *Gen.*, h. l.; alii autem textus habent: מנשוא, ut Vigouroux. 214) Op. cit. f. 6^b. 215) 15, 16. Ex hebraico. 216) 28, 10. Ex hebraico. 217) Op. cit. f. 36^b. 218) Ad hunc vr. et apud Rab. Abrabanel l. c. in nota praecedenti.

ctum iudicium tuum[219]. Et sic ipse Rabbinus Abrabanel totam litteram exponit: «*Ecce eiicis me . . . a facie terrae,* idest dignus sum poena mortis, nedum ut terra proventum permodicum afferat: *et a facie tua abscondar,* idest ne provideas mihi providentia speciali: sive non potero stare in conspectu tuo ad orandum et ad afferendum oblationem et munus, quoniam confundar et erubescam, quoniam abstuli tempus iuventutis meae. *Et ero vagus et profugus.* Haec tertia poena sibi inflicta est et vult dicere, quod iniquitas sua est maior poena hac etiam. Et demum per modum orationis ait: Nunc ergo *omnis inveniens me, occidet me,* idest sit voluntas tua ut inveniens me occidat me, et erit hoc misericordia et expiatio iniquitatis meae, quoniam sine hoc non sum digne punitus».

Iuxta catholicos expositores haec verba significant Cain desperare de misericordia Dei;

Haec est horum expositio. Nostratum autem communis sententia est[220] Cain e malo in peius se dedisse praecipitem, et peccatum addidisse peccato: occidit fratrem: nunc de misericordissimi Dei miseratione desperat: *maior* inquit, *est iniquitas mea, quam ut* remittatur, idest quam remittere mihi illam sua miseratione possit Deus.

et cum agnoscere deberet gravitatem facinoris sui, ut veniam peteret,

Nos itaque locum hunc ita exponimus. Poterat certe Cain, sicut debuerat, ex poenarum gravitate et calamitate, quas sibi iustissimus Deus ob peccatum invexerat, gravissimae culpae pondus agnoscere, et plane conspexisset citra quam iustum ac dignum erat se esse punitum. Si enim in rectae rationis statera quam patiebatur calamitatem atque supplicium appendisset et culpam, cuius merito illa sibi erant illata, omni dubio procul quasi arena maris haec sibi gravior apparuisset[221].

consideravit gravitatem poenarum et Deum iniustitiae et crudelitatis arguit.

At miser e contra, quod proprium iniquorum est a Deo, iustitia et pietate oculos aversos habentium, totum egit; ad poenarum enim gravitatem oculos fixit, culpae multo graviori pondere nihili penso. Hinc Deum iniustitiae ac nimiae crudelitatis procaciter et fronte impudentissima arguit, quod eum, ultra quam decens, iustum ac dignum

219) Ps 118, 137. 220) Cf. Procopius *Comment. in Gen.*, (P. G. 87, 243); S. Ambrosius *De Cain et Abel*, lib. 2, cp. 9, (P. L. 14, 357); S. Hieronymus Epist. 36, ibid. 22, 454; S. Eucherius *Comment. in Gen.*, lib. 1, ibid. 50, 917; S. Beda *Hexaem.*, lib. 2, ibid. 91, 67; *In Pentat.*, ibid. col. 218; Rabanus Maurus *Comment. in Gen.*, lib. 2, cp. 1, ibid. 107, 505; Strabus *Glossa Ord. in Gen.*, ibid. 113, 99; Angelomus *Comment. in Gen.*, ibid. 115, 149; Remigius *Comment. in Gen.*, ibid. 131, 170; Guilbertus *Moralium in Gen.*, lib. 2, ibid. 156, 82; S. Bruno *Exposit. in Gen.*, ibid. 164, 173; Rupertus *De Trinitate*, etc. *In Gen.*, cp. 7, ibid. 167, 332; Hugo de S. Victore *Adnotat. Elucidat. in Pentat.*, ibid. 175, 44; S. Ephrem Syrus *In Gen.*, t. 2, pag. 61; Nic. Lyranus op. cit. f. 45b; Alph. Tostatus op. cit. f. 27a.
221) Cf. Iob 6, 3.

erat, suppliciorum gravitate presserit et plus quam ferre posset afflictionum atque poenarum invexisse.

Huic interpretationi etiam Textus Hebraicus favere videtur,

Certe iuxta contextum hebraicum hic litterae genuinus sensus esse videtur; et tunc poenae gravedinem incipit exorare: *Ecce eiicis me . . . a facie terrae :* ecce, inquit, exilio duro me mulctas; foras a natali et patria terra mihi nota, operata et nimium culta iubes abire; paterni soli domicilia mutare; per externas oras vagus et profugus exulare. Quae non me incommoda consequentur? Paupertas et summa penuria, ignominia atque contemptus. Nec tantum me patria terra praecludis aut certe in insulam aliquam aut plagam certumque ac securum locum relegas: sed omnium praeter certum ac fidum locum, lata fuga, continuo discursu, peregrinatione perpetua, firmarum stabiliumque mansionum sedis privatione condemnas. Nec temporarium exilium istud est, sed aeternum, quoad communi luce priver. Deinde terrae praecepisti ne mihi, etsi culta et elaborata nimiumque operata, fructus suos pene nullos afferat, ut summa egestate, penuria extremaque pauperie maceam et consumar quousque deficiam. Praeterea *a facie tua abscondar,* idest nunquam potero conspectui tuo apparere, ut dignus habear tua gratia teque pro salute mea exorare et ad offerendum tibi oblationem et munus. Ita Rabbinus Moyses ben Nachman exponit [222]. Alii vero ex Hebraeis [223]: Non providebis mihi providentia speciali.

necnon et aliqui ex Hebraeorum doctoribus.

Verba haec significare etiam possunt Cain credere se condemnatum esse poena mortis a Deo.

Adverte demum quod locus iste aliam habere potest intelligentiam. Eiicere enim aliquem a superficie terrae est eum morti tradere, iuxta hebraici sermonis phrasim: Ecce, inquit, me morti tradis et propter te abscondar. Vox enim hebraica, quam *a facie tua* transtulimus, significat etiam *propter te ;* et sic erit sensus: Ecce morti me tradis et *propter te,* idest tuum iudicium severum abscondar *a facie terrae,* idest solo tradar, sepeliar : id enim mortuis cadaveribus fit, sicut ipse fratrem suum occisum in fovea absconderat. Amplius, inquit, me *a facie* quoque *tua* exulem efficis, tua gratia nudatum ac destitutum, me semper aversaberis, execrabis, detestaberis, ut nunquam gratiam tuam aut favorem emerear, ceu sunt qui regis alicuius magni gratia nudati, quos rex aversatur semper et a se procul deiicit, ne faciem suam unquam videant; sed a facie sua procul exulare iubet

222) Cf. not. 218 huius cp. 223) Cf. Rab. Abrabanel op. cit. f. 36[b].

per externas oras, semper capitis sententia et morte damnatos. Mihi enim maledixisti atque iussisti ut vagus et profugus essem in terra; nec id solum: sed tanto scelere facinoreque notatum, exulem, omnibus odibilem, detestandum et execrandum effecisti. *Nunc ergo omnis, qui invenerit me, occidet me.*

Hanc ego expositionem in medium affero non nihili aut flocci pendens verissimas aliorum interpretum, nostrorum praesertim gravissimorum expositiones; tantum enim abest ut vilipendam, ut summa laude et honore dignos habeam. Et certe si nostrae Editionis, quam semper veneror, littera, ut iacet, intelligatur, proculdubio in desperationis profundissimam foveam se Cain praecepisse constabit. Nisi forte interrogative, ut multi legunt[224], exponatur, ut: Num magna adeo iniquitas mea est, ut veniam non merear? Et ita poterit sensus hic cum eo, quem nos attulimus, constare, quasi: Num magna adeo culpa mea est, ut veniam mereri non possim, quia tantis me poenis insequeris? Veluti dicat: Certe non ideo iniuste et ultra quam dignum sit me affligis ex perpetrata culpa: vides quia etiam tanto me scelere notatum reddis, ut non vereatur *omnis qui invenerit me*, in me manus mittere et interficere non extimescet, quasi inimicum tuum, quem tu aversaris; imo rem tibi gratam facere arbitrabuntur, quoniam si me interficient, inimicum tuum interiment.

secundum opinionem gravissimorum interpretum;

vel etiam interpretari possunt ac si Cain interrogative loquatur, quasi admirans adeo magnam suam culpam esse, ut veniam non mereatur.

Vr. 15 *Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain septuplum punietur. Posuitque Dominus Cain signum, ut non interficeret [eum] omnis qui invenisset eum.*

Textus Hebraicus: *Et dixit ei Dominus: Propterea omnis occidens Cain septuplum vindicabitur. Et posuit Dominus ipsi Cain signum, ut non percuteret eum omnis inveniens eum.*

Chaldaicus Interpres: *Ideo omnis, qui occiderit Cain septima generatione vindicabitur a me. Et posuit Dominus ipsi Cain signum ob id quod non interficeret eum omnis inveniens eum.*

Textus Graecus habet: *Non sic, omnis qui occiderit Cain septem vindictas exolvet. Et posuit Dominus Deus signum Cain,* etc.

Dictio[225] hebraica: לכן, ideo, propterea, ob id sonat; Septuaginta vero, quos Interpres noster secutus est,

224) Cf. Rab. Salomon supra, pag. 386 et not. 212 huius cp.; Alph. Tostatus op. cit. f. 27ᵃ.
225) Ms.: *Dictionem.*

οὐχ οὕτως transtulere, quasi esset: לֹא כֵן, idest *non ita*, *nequaquam ita*.

Nequaquam ita fiet, etc. Diversae expositiones huius loci,

Locus iste diversimode tum a nostratibus tum ab Hebraeorum doctoribus exponitur. Multi [226] per eclipsim locum hunc legendum putant, ut sit: *Omnis qui occiderit Cain :* et hic sit sententiae finis; debet autem intelligi: poena eius erit sic et sic; Scriptura tamen poenam non exponit.

iuxta Rab. Salomonem,

Ita Rabbinus Salomon hunc locum interpretatur, dicens [227] quod sit scriptura abbreviata: « Nolo, inquit Deus, ulcisci de Cain, nisi in fine septem generationum »; unde per illud: שִׁבְעָתַיִם, *septem generationes* intelligit ; existimat enim a Lamech, qui septimus a Cain fuit, occisum esse ipsum Cain, propter verba, quae Lamech uxoribus suis dixit [228]. Similis loquendi modus per eclipsim *2 Samuelis* legitur [229]: *Omnis, qui percusserit Iebusaeum* etc.: non exposuit ibi Scriptura quid illi fecisset; sed in *Paralipomenon* exprimit [230] quod faceret eum ducem et principem.

Aben Ezram

Rabbinus Abraham [Aben Ezra] similiter exponit [231]: « Usque ad septimam generationem vindicabitur, idest capietur ultio de eo; Dominus enim usque ad septimam generationem iram suam prolongavit contra Cain ». Inquit etiam rectum esse, quod Cain nomine ipsius semen intelligatur, sicut Israel; Scriptura autem usque ad septimam generationem Cain genealogiam texit, quae postmodum diluvio tota periit.

Targum mirifice videtur horum expositioni favere, cum habeat quod septima generatione Cain vindicabitur.

et Abrabanel.

At Rabbinus Abrabanel, quoniam supra exposuit Cain mortem expectasse et desiderasse, cum dixit: *Omnis inveniens me, interficiet me :* idest: quis mihi det, ut inveniens me occidat me?

226) Cf. Procopius *Comment. in Gen.*, (P. G. 87, 246-247) ; S. Hieronymus Epist. 36, (P. L. 22, 454-455) ; S. Eucherius *Comment. in Gen.*, ibid. 50, 917-918 ; S. Beda *Hexaem.*, lib. 2, ibid. 91, 68 ; *In Pentat.*, ibid. col. 218-219 ; Alcuinus *Interrogat. et Respons. in Gen.*, ibid. 100, 526 ; Rabanus Maurus *Comment. in Gen.*, lib. 2, cp. 1, ibid. 107, 505-506 ; Strabus *Glossa Ord. in Gen.*, ibid. 113, 100 ; Angelomus *Comment. in Gen.*, ibid. 115, 149-150 ; Remigius *Comment. in Gen.*, ibid. 131, 170 ; S. Bruno *Exposit. in Gen.*, ibid. 164, 173-174; S. Ephrem Syrus *In Gen.*, t. 2, pag. 61 ; Dionysius Cartusianus *Enarrat. in Gen.*, a. 29, pag. 129 ; Nic. Lyranus op. cit. f. 46ᵃ; Pagnini op. cit. sub radice : שָׁבַע, col. 2832.

227) Op. cit. f. 6ᵇ.

228) Cf. Gn 4, 23-24.

229) 5, 8. Ex hebraico.

230) Cf. 1 Par 11, 6.

231) Op. cit. f. 6ᵇ.

hunc locum ita exponit[232]: « Occidens Cain septuplum vindicabitur; ex quo Cain desiderat animam suam mori, ideo ego statuo quod non morietur modo, sed quod vivet ad dandam poenam suam; et propter hoc occidens eum clam et contra divinam intentionem, septuplum vindicabitur sanguis Cain. Et ideo posuit signum ei, *ut non occideret eum inveniens eum.* Signum autem istud est timor et pavor eius super omnia habentia vitam, ne tangerent eum aut nocerent ei ». In *Bereshit Rabba* habent Hebraei[233], quod signum istud est canis, qui custodiebat oves Abel, quem dedit Deus ad custodiendum corpus Cain.

De signo Cain posito variae opiniones.

Nostratum autem eaedem expositiones sunt; signum autem istud membrorum tremor a nostris ponitur[234].

Nos itaque locum hunc ita exponimus: *Dixitque* Deus *ei : Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* In hebraeo est: *Ideo,* sive *imo qui occiderit Cain;* est autem sensus idem. Cain enim dixit: *Nunc itaque omnis inveniens me, occidet me.* Deus autem respondit: Quia tu id putas et extimescis, dico tibi quod *non ita fiet;* imo quia tu id pertimescis, ne id pertimescas dico tibi et statuo, quod *omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.*

***Septuplum punietur,* videtur intelligendum poenas multas exolvendas esse;**

Mos est Sacrae Scripturae non raro determinato numero pro indeterminato uti, cuiusmodi est: *Septies in die cadit iustus*[235]: idest multoties; et: *Septies in die laudem dixi tibi*[236]: scilicet multis vicibus; et frequentissimum est in Sacra Scriptura praefixum terminis numerum pro indeterminato atque indefinito ponere. Ita plane legimus in *1 Samuelis* Annam cecinisse[237]: *Donec sterilis peperit plurimos;* in hebraeo est: שִׁבְעָה, *septem,* cum tamen, Sacra referente Historia[238], nonnisi tres filios et duas filias genuisset; sed septenarius numerus pro indeterminata pluralitate ponitur. Ita et illud est: *Cum . . . immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida et inaquosa quaerens requiem,* etc. *Tunc vadit et assumit septem alios spiritus . . . nequiores se,* idest[239]

frequenter enim septenarius numerus pro, numero indeterminato ponitur in S. Scriptura.

232) Op. cit. f. 37ᵃ. 233) XXII, 12, pag. 219, not. 3. 234) Cf. Io. Chrysostomus *Hom. 19 in Gen.,* (P. G. 53, 162); Theodoretus *Quaest. in Gen., Interr. 42,* ibid. 80, 143; Procopius *Comment. in Gen.,* ibid. 87, 250; S. Eucherius *Comment. in Gen.,* lib. 1, (P. L. 50, 917); Alcuinus *Interrogat. et Respons. in Gen.,* ibid. 100, 525; Rabanus Maurus *Comment. in Gen.,* lib. 2, cp. 1, ibid. 107, 506-507; Strabus *Glossa Ord. in Gen.,* ibid. 113, 100; Angelomus *Comment. in Gen.,* ibid. 115, 151; S. Bruno *Exposit. in Gen.,* ibid. 164, 174; Hugo de S. Victore *Adnotat. Elucidat. in Pentat.,* ibid. 175, 44; Nic. Lyranus op. cit. f. 45ᵇ; Alph. Tostatus op. cit. f. 28ᵃ; Io. Menochius op. cit. pag. 5. 235) Prv 24, 16. Vulg.: *Septies enim cadet iustus.* 236) Ps 118, 164. 237) 2, 5. 238) Cf. ibid. vr. 21. 239) Mt 12, 43-45.

plures spiritus; et mulier, *de qua septem daemonia eiecerat*[240], idest plura.

Septenarius ergo numerus non raro pro indeterminato numero ponitur, sed Scripturae usitatissimus mos est determinato pro indeterminato numero uti. Ita plane locum hunc intelligendum existimo: *Omnis qui occiderit Cain, septuplum vindicabitur*, idest poenas multas et multiplices exolvet et ab eo expetam. Unde non eclipsis aut aposiopesis, sed propria locutio censenda est.

Et iuste quidem sic puniendus fuisset qui Cain occidisset, quia solus Deus, vel iudex constitutus poena mortis scelus huiusmodi vindicare potest.

Ad luculentiorem autem loci huius declarationem advertisse animum oportebit quod, etsi Cain iuxta talionis legem, qua *oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, vulnus pro vulnere, animam pro anima*[241] quisquis debet, poenam mortis subeundam iure aequissimo emeruisset – nam qui *fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis ipsius; ad imaginem quippe Dei factus est homo*[242]; – ipse autem primo scelus hoc et crudele facinus perpetravit in fratrem, virum iustum et innocentem, Deo placitam animam habentem; haec tamen poena, etsi meritissima, nonnisi a Deo, vel a iudice constituto a Deo infligi sibi debebat; ait enim: *Mihi vindicta et ego retribuam*[243]. Quare quisquis alius poenam hanc sua dextra Cain invexisset, non iure, sed perperam id egisset graviterque peccasset; unde merito pro gravi scelere graves poenas exolvisset et ab eo exquisisset Deus.

Ideo quamvis Cain fratri innocenti necem inferendo longe nequior esset, quam qui ipsum fratricidam interemisset,

Nec tamen id intelligendum ita est, quod quisquis occiderit Cain septuplo puniendus magis esset, quam Cain; neque enim id rationi consonum esse potest, cum poenae iure debeant culpae respondere, sitque multo gravior culpa virum iustum et sanctum occidere, quam iniquum et impium, cui iure poena mortis inferri potest; sed quod etsi Cain ex sui facinoris merito multas et gravissimas illas quidem poenas meruisset, a Deo tamen et constituto iudice has eum accipere oportebat. Quicumque autem, a Deo iudicandi potestate non accepta, poenas has, alioquin meritas, Cain intulisset, ipse quoque plurimarum poenarum se reum reddidisset. Ait ergo: *Nequaquam ita fiet:* non, inquit, voluntatis meae est aut sententiae, ut a quovis occidaris, ut

240) Mc 16, 9. 241) Ex 21, 23-24. Vulg.: *Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu... vulnus pro vulnere.* 242) Gn 9, 6. Vulg.: *Effuderit... sanguis illius*, etc. 243) Hebr 10, 30; et cf. Dt 32, 35; Rom 12, 19.

existimas et extimescis; etsi enim meritissime atque iustissime haec tibi infligenda poena esset: cognoscas tamen te citra condignum punitum esse ex scelere: atque eo adeo voluntatis aut iudicii mei non est, ut a quovis occidaris, ut quicumque in te violentas manus immiserit, contra voluntatem meam atque sententiam se facturum iramque meam, in quam *horrendum est incidere*[244], se noverit usque adeo incursurum, ut multas ex eo poenas et ultiones expetam et exquiram. Quisquis itaque te occidere attentaverit, poenae septuplici, idest multiplici se obnoxium faciet. Iccirco signum in te pono, quo quisque cognoscat voluntatis meae aut iudicii non esse ut ab aliquo occidaris, et ne quis ignorans te interfecto tantis se poenis obnoxium faciat. Ne ergo arbitreris voluntatis meae esse ut a quocumque inventus fueris occidaris, voluntatis huiusce meae signum accipe.

tamen noluit Deus ne quis violentas manus in eum inliceret.

Quodnam autem signum hoc fuerit Scriptura non aperit; communi tamen sententia[245] receptum est terribilem quemdam ac membrorum extimescendum tremorem [fuisse], ut gemens semper ac tremens dissoluta imbecilliaque membra circumferret, semper pavidus ac tremescens, quo se veluti miserabile et extimescendum quoddam spectaculum exhibebat, continuo perpetrati sceleris poenas luens. Quo facto ostendebat quam detestabile et execrandum homicidium esset, eratque eo gemitu et tremore veluti clamans Dei praeco, ne ullus unquam talia perpetranda sibi duceret qualia ipse egerat, ne in eandem poenam et grave supplicium facinore perpetrato incideret.

Posuitque Dominus Cain signum. **Signum hoc tremor membrorum putatur fuisse.**

Vr. 16 *Egressusque Cain a facie Domini, habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Eden.*

Textus Hebraicus: *Et egressus Cain a coram Domino,* sive *a conspectu Domini, habitavit in terra Nod, ab oriente Eden.*

Chaldaicus Interpres: *Et egressus Cain a conspectu Domini, habitavit in terra vagus et mobilis, qui fuit operans super eam, ab orientali plaga horti Eden.*

Similiter Ierosolymitanum Targum transfert; addit autem paraphrastico more, quod antequam occidisset Cain fratrem suum Abel, fuit terra producens ei fructus quasi fructus horti Eden; postquam autem peccavit et occidit fratrem suum Abel, produxit ei, sive reddidit ad colligendum spinas et tribulos.

244) Hebr 10, 31. 245) Cf. not 234 huius cp. pag. 291.

Textus Graecus habet: *Et egressus est Cain a facie Dei et habitavit in terra Naid contra Eden.*

Egressusque Cain a facie Domini, etc. Variae quaestiones ad huius loci explanationem.

Locus iste, ut perspicue elucidetur, paulo longiorem sermonem a nobis expostulat. Si enim ubique Deus est, quomodo a conspectu eius Cain egressus est? Et si spiritus Deus est, quomodo faciem habere dicitur, a cuius conspectu exiit? Et demum si Eden locus ille deliciosissimus est paradisi deliciarum [246], unde Adam ob peccatum a Deo eiectus est [247], quomodo Cain iniquissimus locum illum, post tot perpetrata facinora, incolit?

Deum ubique esse firmissima veritas est, ut probatur ex testimonio S. Scripturae;

Et quidem ubique Deum esse omnemque implere locum, nullibi non esse praesentem, statuendum ac firmissime tenendum est, quidquid impii nonnulli viri, Scripturas Sacras non intelligentes, neque quae de Deo rationabiliter sentienda sunt sapientes, negare id audeant, ignorantiae et impietatis tenebris obcaecati. Deum autem esse ubique Sacrae Scripturae firmissima auctoritate probatur. David enim ait [248]: *Si ascendero in coelum, tu illic es; si descendero in infernum ades; si sumpsero pennas meas diluculo et habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.* Per Ieremiam etiam Dominus ait [249]: *Coelum et terram ego impleo;* per Isaiam vero [250]: *Coelum mihi sedes est, terra scabellum pedum meorum.* Hoc ipsum Salomon in *Paralipomenis* ait [251]: *Magnus est enim Deus noster super omnes deos. Si coelum et coeli coelorum capere eum nequeunt, quantus ego sum ut possim aedificare ei domum?* Idipsum apud Beatum Iob legimus [252]: *Excelsior coelo est, et quid facies? Profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura eius et latior mari.*

ex omnium Ecclesiae Doctorum auctoritate, et ipsorum quoque ethnicorum philosophorum.

Hoc ipsum omnium recte sapientum auctoritate firmatur. Primo: omnium Ecclesiae Doctorum, tum ipsiusmet Ecclesiae omnium etiam theologorum firmissima sententia est.

Et maximi quique ethnicorum philosophorum principes [253] id asseruere. Mercurii enim Trismegisti latissime patet hanc fuisse sententiam, cum eius *Pimander* [254] hoc praecipue refertus sit,

246) Cf. Gn 2, 8. 15. 247) Cf. ibid. 3, 23. 248) Ps 138, 8-10. 249) 23, 24.
250) 66, 1. Vulg.: *Coelum sedes mea.* 251) 2 Par 2, 5-6. 252) 11, 8-9.
253) Aratus Selensis *Phaenomena* sive *Apparentia*, pag. 543; Aristot. *De Mundo*, cp. 6, t. 1, pag. 375; *De Anima*, cp. 5, ibid. pag. 386; Lucanus *De Bello Civili*, lib. 9, vr. 580.
254) *Dial. 5*, pag. 401-402: *dial. 11*, pag. 435-444; *Asclepius*, cp. 12-13, pag. 529-537.

quod mundus vas quoddam sit Deo plenum Deique spiritum omnia continere. Empedocles aiebat Deo omnia plena, sicut de ipso refertur in libro *De Mundo*, qui Aristoteli digne tribuitur[255]: ubi etiam hoc idem late disseritur. Iamblicus, *De Mysteriis Aegyptiorum*[256], ex professo fusissime probat Deum esse ubique. Hinc illud Virgilii[257]:

« Iovis omnia plena ».

Themistius, in *Paraphrasi De Loco Dei*, ait[258] Deum vestire omnia, non ut vestis, quae extrinsecus tantum tangit, sed intrinsecus, ut totum tangat totum. Alexander Aphrodisius, *2 De Anima*[259], ponit Deum esse ubique; idem tribuit illi Philoponus, *1 De Anima*, inquiens[260] Alexandrum et sequaces dicere Deum esse ubique. Simplicius, in luculenta sua digressione *De Loco Dei*, ex sententia etiam Alexandri, concludit[261]: « Cum Deus sit impartibilis et separatus, ut per se perfectus, a corpore mundano, recte dicendum est ipsum esse ubique et nullibi ». Quoniam autem Aristoteles visus est dicere[262] Deum esse in primo coelo, inquit debere intelligi modo quodam eminentiori: quoniam primum mobile est, quod primo participat motum opificii. Ait etiam[263], ex Aristotelis et Platonis sententia, Deum continere omnia vinculo suae voluntatis, quod vinculum firmius est, quam natura earundem rerum. Demum Philoponus, *in 1 Meteororum*, post principium, ex Plotino[264], cur coelum circumlatione ciatur rationem afferens, ait[265] « coelum imitari velle Deum; quoniam cum mens et intellectus divinus, rerum omnium conditor et architectus, nullum locum substantiae suae habeat constitutum: in omnibus autem partibus mundi lucis suae vis ac summa potentia aeternaque ipsius actio reperitur ac dominatur; ita coelum quod, cum corpus sit, ubique totum simul esse non potest, conatur secundum suas partes esse in omnibus locis ».

255) Cp. 6, t. 1, pag. 377. 256) *Segmentum 3*, cp. 19, pag. 70. 257) *Bucol.*, *Eclog. 3*, vr. 60. 258) *Paraphrasis in Duodecimum Aristotelis De Prima Philosophia*, pag. 15. 259) Cp. 23, pag. 107. 260) *In Tres Libros De Anima Aristotelis*, lib. 1, pag. 18. 261) *Comment. in 8 Libros Aristot. De Physico Auditu*, *Physic.*, lib. 8, pag. 485. 262) *De Mundo*, cp. 6, t. 1, pag. 375. 263) *Comment. in 8 Lib. Aristot. De Physico Auditu*, *Physic.*, lib. 8, pag. 485. 264) *Enneades*, lib. 2, pag. 107-109. 265) *Scholia in 1 Meteororum Aristotelis*, f. 98ᵃ.

Probatur denique multis rationibus.

Demum ea veritas probabilissimis, quibus fulciatur, rationibus non caret. Persuasissimum quidem est et communi animi conceptione sancitum Deum substantiam esse, non quidem corpoream, sed incorpoream, immaterialem, spiritualem, actum simplicissimum atque purissimum, impermixtum et omnino indivisibilem, cuius vita optima sit et sempiterna. Eam autem substantiam, quae Deus est, infinitam necesse est esse. Primo quidem duratione, quam aeternitatem dicimus, ut nunquam inceperit, nec aliquando desinat esse. Ipse enim prima causa est, a quo coelum et natura omnis dependet, ante quem nihil est. Quod si ipse ab aeterno non fuit, profecto nihil ab aeterno fuit: ergo nec postea fuisset; nihil enim nihil facere potest, nec idem seipsum; et sive mundus ab aeterno ponatur productus, sive non, ipsum Deum necesse est aeternum esse, cum primus motor et prima causa sit causarum causa. Unde si ab aeterno motus fuit, profecto et motor unde motus; si autem incepit motus, ut vere incepit in tempore, non utique incepisset, nisi causa praeexisteret ante tempus et motum. Quare ab aeterno ante omne tempus et motum necesse est eum praeextitisse. Infinita ergo duratione, idest aeternitate, divina substantia est.

Deus est substantia spiritualis, actus purissimus, primus motor et causa causarum.

Ergo infinitus duratione.

Secundo vero: divinum infiniti roboris et vigoris necesse est esse, ut operandi infinitam immensamque vim et potentiam habeat. Adverte quod, etsi infinitam Deus virtutem habet, movet tamen et operatur in tempore et non in instanti, aut non tempore – etsi id possit, – quoniam eius virtus libera est a materia; virtus enim infinita, si in materia aut corpore esset, operaretur in non tempore, quoniam secundum totum suum posse ageret, et necessario. At Deus vim habet immaterialem estque agens liberum et per cognitionem et voluntatem operatur quantum vult et non secundum ultimum suae potentiae, sed ex electione quantum videt convenire mobili.

Infinitus etiam virtute operandi,

quia vim habet immaterialem et operatur vi voluntatis suae,

Quod vel inde monstratur et elucescit, quod mundi machinam immensamque coelorum molem sempiterno possit tempore circumagere et movere; si enim tempore infinito movere potest, profecto virtutis est infinitae. Etenim si quid ex se vim habens movendi per aliquod tempus alicuius erit virtutis, puta si per diem; ergo [si] per duos dies movere poterit, duplo maiorem vim habebit; et quo tempus magis crescit, maiorem esse virtutem necesse est. Ergo si Deus infinito tempore [movere] potest, virtutis infinitae erit.

At dices: de intelligentiis idem consequens erit, quae infinito tempore movent. Certe idem esset si intelligentiae ipsae a se essent et a se virtutem haberent. At profecto a Deo est quidquid habent, et non a propria, sed a Dei virtute est ut infinito tempore moveant, a qua ipsae et esse et virtutem habent omnem. Deus autem non ab alio est aut virtutem habet, sed per se ipsum est et a seipso omnem vim habet.

cum sit per se existens et ex seipso omnem virtutem habeat,

Deinde: eo ipso quod intelligentiae a Deo sunt et dependent evidenter divinae virtutis infinitus vigor ostenditur. Si enim a Deo dependent et productae sunt, ex nihilo effectae sunt, cum materia nulla constent. Ex nihilo autem aliquid producere virtutis infinitae est; quoniam si agens, quod ex subiecto disposito producit, virtutis alicuius est: quod autem producit ex indisposito est virtutis maioris, ac quo subiectum est magis indispositum, eo est virtus agentis maior. Ergo quod ex nullo modo disposito subiecto et quod nullo modo est producit, infinitae virtutis profecto erit, et eo magis quo sic productum excellentius ac nobilius erit.

quod non habent aliae intelligentiae, quae a Deo et esse et virtutem operandi accipiunt.

Idem de universi factione, sive per emanationem sive per creationem sit, iudicium est; quomodocumque enim productum dicatur, sive ab aeterno sive ex tempore, virtutem arguet infinitam, quoniam nonnisi ex nihilo produci potuit.

Productio mundi virtutem infinitam supponit;

Tertio: necesse est dicere divinam substantiam entitate, ut ita dicam, infinitam esse, nempe quod in se ac suo esse illimitatam perfectionem habeat ac totius entis perfectionem comprehendat. Si enim Dei essentia infinita non esset, quae radix est virtutis ac vigoris infiniti et aeternitatis, non posset Deus aut aeternus, aut infiniti roboris ac vigoris esse. Impossibile enim est infinitam virtutem in substantia finita et limitata consistere; virtus enim substantiam concomitatur et a substantia est.

virtus autem concomitatur substantiam: ergo substantia Dei est infinita:

Deinde: si limitatum aut quoquo pacto coarctatum esset divinum esse, profecto ab agente aliquo vel recipiente ista limitatio esset. Res enim quaelibet terminis clausa, vel a producente, a quo habet suum esse, suis terminis clauditur: vel a recipiente, in quo recipitur et cui inhaeret; nam omne quod recipitur et inhaeret, per modum recipientis ut recipiatur necesse est. At Deus nec producentem, a quo sit, habet, cum prima causa sit; nec in aliquo recipitur, aut inhaeret, quoniam nec potest quidem, cum imma-

ergo a nullo agente limitatur, cum a nullo sit productus et a nullo recipi possit:

terialis omnino sit, ut actus purissimus. Itaque infinitus et immensus est Deus, ita ut aeternus quoque est. Si igitur infinitus et immensus est: ergo ubique est, idest omni loco coexistit; alioquin si alicubi quidem est et non ubique, localiter limitatus erit ac determinatus. Omnis autem limitatio finitatis et imperfectionis argumentum est secundum substantiam, sicut uni quidem tempori coexistere et non omni, et aliquando quidem esse, aliquando vero non esse, terminatam ac terminis circumscriptam durationem importat. At si aeternitate sua Deus omni tempori coexistit, ergo immensitate sua omni etiam loco coexistet.

ergo sicut aeternitate sua omni tempori coexistit, ita immensitate sua omni loco est praesens.

At dicet quis: igitur in infinitis locis erit Deus et loci infiniti reperientur. Dico quod inconveniens nullum esset, si dari possent, Deum omnes implere; impleret quidem loci infinitatem. At quia natura citra Deum loci infinitam capedinem pati non sustinet, ideo non dantur, nec dari possunt loci infiniti, qui dandi sunt, ut Dei caperent immensitatem. Neque enim Deus, cuius naturae summa et omnino indeficiens perfectio est, loci capedine, in qua recipiatur, egens quoquo pacto est. Deus enim in seipso summe perfectus, nullius egens extra se, sibi ipsi innititur et sufficiens est, aeterna stabilitate in seipso manens. Ante mundi enim constitutionem, cum adhuc nec locus, aut tempus ullum esset, aeternus et immensus erat Deus, sicut nunc est, nec tempori aut loco cuiquam coexistens. At tempore et loco dato, sicut esse non potest ut, aeternus cum sit, alicui tempori non coexistat, ita impossibile est ut aliquis sit locus, quem non impleat immensus et infinitus existens. Quemadmodum autem omni cum in tempore sit, tempore quidem non mensuratur; ita omni loco coexistens, nullo loco circumscribitur aut definitur, sed manet semper immensus. Inde est quod non conclusus mundo dicitur, eo quod *coelum et coeli coelorum capere* [266] eum non possint; non quidem quod actuali praesentia extra mundum sit: sed quia, sicut potentia sua infinita dicitur, nec terminata in universi creatione, cum plures alios ac pene infinitos creare mundos posset, ita nec eius immensitas est limitata; sed quotquot sua infinita potentia mundos creare potest, tot sua immensitate potest implere.

Ex immensitate Dei non sequitur quod dari oporteat locos infinitos, quia natura creata infinitatem non sustinet, nec Deus eget loco infinito extra se;

et sicut omni tempori coexistens, tempore tamen non mensuratur, ita omni loco praesens, loco non circumscribitur.

Virtute igitur in mundo toto non capitur, quia plures implere

266) 2 Par 2, 6.

potest; sicut anima quidem rationalis totum infantis corpus implet, cuique corporis parti coexistens ut forma et actus, nec extra suum corpus est: virtute tamen contineri ad summum dicenda non est. Nam corpus utique maius potest implere et illud idem infantis, cum factus vir perfectus fuerit, in seipsa nihil aut in maiori crescens aut in minori diminuta, sed semper aequalis; ita et Deus in mundo. Et sicut anima, quoniam immaterialis est, nec a corpore totaliter pendet, sed spiritualis, incorporea et impartibilis est, tota quidem in toto corpore et tota in singulis partibus membrisque quam minimis est; ita quoque Deus totus adest rebus omnibus et singulis totus: totus quidem omnibus, quia immensus est: totus et singulis, quia, spiritualis ac spiritus purissimusque actus cum sit, impartibilis et omnino indivisibilis est; nec impeditur, totus cum hic sit, quin et alibi sit totus et in quolibet loco totus.

Quemadmodum anima rationalis totum corpus implet, omni parti coexistens;

ita Deus rebus omnibus adest, quia immensus, et totus singulis, quia spiritus purissimus est.

Nam in tempore id cernimus simile. Spatium enim illud temporis, quo coelum una latione circumfertur ab oriente in occidentem, idest viginti quattuor horis, quae naturalem diem nocturno et diurno tempore comprehenso efficiunt, certe commune est omnibus. Nam totum id tempus naturalis diei, quo circulatio peragitur, et orientales et occidentales habent et meridionales et aquilonares, et qui arcticum et qui antarcticum incolunt, et qui Romae et qui Venetiis, aut Parisiis sunt: et omnes integras viginti quattuor horas habent; nec isti totum integrum tempus habentes alios impediunt ne et ipsi totum habeant: sed tempus id totum omnibus et singulis totum est, non autem totaliter est. Ita et Deus totus quidem rebus omnibus adest et singulis totus, non autem totaliter totus in singulis est. Si enim totaliter totus hic esset, non posset certe alicubi esse praeterquam hic: sed ubique totus p o t e n t i a l i t e r, p r a e s e n t i a l i t e r et e s s e n t i a l i t e r est. Sicut anima in omnibus ac singulis corporis partibus tota est potentialiter, praesentialiter et essentialiter: potentialiter quidem, quoniam in toto corpore operatur suntque singulae corporis partes eius virtuti, potestati ac viribus subiectae; praesentialiter, quoniam singulas corporis partes contingit tota, a nulla distat, sed omnes partes praesentes ei sunt; essentialiter demum, quoniam substantia sua in corpore et eius partibus secundum essentiam anima est, informat, actuat et dat esse; ita Deus potentialiter in omni loco est, quia ubique operatur et omnia eius sunt potestati subiecta;

Et sicut tempus totum omnibus et totum singulis adest, non totaliter;

sic Deus totus adest omnibus et singulis, non totaliter;

sed potentialiter, quia ubique operatur; praesentialiter, quia omnibus praesens; essentialiter, quia unicuique rei dat esse et conservat in esse et operatione.

praesentialiter ubique est, quia omnes res tangit ac quodammodo intime vestit, a nulla distat et omnes res sunt ei praesentes: siquidem *omnia*, quamvis abditissima, *nuda et aperta sunt oculis eius, nec est creatura invisibilis in conspectu eius* [267]; tertio, essentialiter, quoniam substantia et essentia sua omnem locum implet et rei cuilibet intimius est, quam res sibi ipsi: rei unicuique dat esse et quamlibet conservat in esse; vanitas enim omnis creatura ex seipsa est et ut divinae virtuti iugiter ac indesinenter innitatur necessum est alioquin, divina manu substracta, quae omnia portat ac sustinet *verbo virtutis suae* [268], omnia in nihilum abirent et omnino deficerent.

Dicitur tamen specialiter esse in loco aliquo, quia excellentius ibi virtutem suam ostendit,

At vero etsi ubique Deus sit et omnem, uti diximus, impleat locum, in aliquo tamen loco specialiter dicitur magis esse, non quod magis ibi sit, sed quia excellentius ibi virtutem suam ostendit et nobiliora operatur. Ac ne a proposito simili digrediamur – *ad imaginem quippe Dei* [269] et similitudinem anima hominis in eo est, – ipsa etsi tota sit in toto et tota in qualibet totius parte, magis tamen in cerebro, sive capite, et corde dicitur esse, quia ibi magis suae virtutis ac potestatis elucent operationes. Ita Deus in coelo magis dicitur esse, quam in terra, quia ibi maxime relucet sua potentia, sapientia et bonitas, et excellentius ibi operatur, quam in terra. Similiter de aliis dico, puta de locis sacris, deinde in iustis, angelis et beatis, per gratiam hic et gloriam in coelo et per unionem in Christo. Ita magis dicebatur Deus esse in templo illo Iudaeorum [270], in arca [271] et in propitiatorio [272]. Ita Iacob patriarcha, cum sibi dormienti apparuisset Deus, evigilans ait: *Vere Dominus est in loco isto et ego nesciebam; pavensque: Quam terribilis est, inquit, locus iste: non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli* [273].

sicut dicebatur esse in templo Iudaeorum, in arca et in aliis locis, ubi patriarchis apparuit.

Ideo cum dicitur Cain a facie Domini egressus esse, intelligitur egressus a loco apparitionis Dei,

His igitur sic visis, patet quod, cum ubique Deus sit, cum Scriptura dicit Cain a facie Domini egressum esse, non debere intelligi ipsum subterfugisse Deum et in locum aliquem commigrasse, in quo Deus non esset; sed ab eo loco egressus est, in quo sibi apparuerat Deus eumque increpaverat et delicti correxerat. Sicut enim Iacob ait: *Vere Dominus est in loco isto*, quoniam ibi sibi visus esset et non alibi;

267) Hebr 4, 13. Vulg.: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius; omnia autem*, etc.
268) Ibid. 1, 3. 269) Gn 9, 6. 270) Cf. Dt 12, 5; 16, 2. 6; 3 Rg 8, 10. 13; 9, 3; 4 Rg 21, 4; 2 Par 7, 1. 271) Cf. Ex 25, 8; 40, 32-36. 272) Cf. Lv 16, 2.
273) Gn 28, 16-17.

ita quoque *egressus* est *Cain a facie Domini*, idest ab eo loco, in quo Dominus visus sibi fuerat, qui alibi sibi non apparuerat.

At quomodo *a facie Domini egressus* est si, cum spiritus sit Deus, faciem non habeat? *Spiritus* enim *carnem et ossa non habet* [274]. Figurata ista locutio est. Ideo advertendus animus est aliquando in Sacra Scriptura Deum dici alicui visum, aut esse locutum, quemadmodum saepissime legimus Deum patribus apparuisse et Moysi visum esse et cum in *Exodo* legimus [275] ascendisse Moysen et Aaron, Nadab et Abiu et septuaginta de senioribus Israel et vidisse Deum Israel; et cum legimus etiam Dominum ad Moysen *facie ad faciem* esse locutum, *sicut loquitur homo ad amicum suum* [276]; similiter cum visus est Iacob innixus scalae eique locutus [277]. Certe neque Dominus loquebatur neque videbatur. *Deum* enim *nemo vidit unquam* [278], sed nec videre potest; ideo ad Moysen ait: *Faciem meam videre non poteris, nec videbit me homo et vivet* [279]: sed angeli ex persona Dei apparebant et loquebantur.

et quidem figurata locutione, quia Deus figuram humanam non habet, spiritus cum sit.

Hinc in *Genesi* legimus [280] apparuisse Dominum Abrahae in convalle Mambre, et statim subditur fuisse tres angelos. Et manifestius, cum in *Exodo* legimus [281] Dominum in flamma rubi primo apparuisse Moysi atque dixisse: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob* [282], Veritas Hebraica habet ibi angelum Domini apparuisse Moysi et ita locutum esse. Ceu etiam protomartyr Stephanus in concione sua ad concilium dixit, ut in *Actis Apostolorum* refertur [283]: *Expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina angelus in igne flammae rubi;* propterea inquit idem ad Iudaeos: *Qui accepistis legem in dispositione angelorum* [284].

Vel Deum apparuisse per ministerium angelorum, sicut apparuit etiam patriarchis et aliis.

Quotiescumque ergo in Veteri Testamento legimus Deum alicui esse locutum, vel apparuisse, angelum intelligimus ex persona Dei loquentem et apparentem. At quia angeli, cum spiritus sint incorporei et immateriales, videri oculis corporeis non possunt, nec sensibilia verba sonare, corpora assumunt, in quibus et videri possint et loqui; ideo aliquando quidem in specie visi sunt ignis, frequentius

Tunc angeli assumebant formas visibiles, quibus videri et loqui possent in iis locis,

274) Lc 24, 39. 275) 24, 9. 276) Ibid. 33, 11. Vulg.: *Solet loqui.* 277) Cf. Gn 28, 13. 278) Io 1, 18. 279) Ex 33, 20. Vulg.: *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit*, etc. 280) Cf. 18, 1-2. 281) Cf. 3, 2. 282) Ibid. vr. 6. 283) 7, 30. 284) Ibid. vr. 53.

ubi erant ii quibus apparebant et loquebantur.

tamen hominis. Ita saepissime in Sacra Scriptura apparuisse multis leguntur: Abrahae [285], Loth [286], Iacob [287], Moysi [288], Iosue [289], parentibus Samsonis Manue et uxori suae [290], Davidi [291], Danieli [292] et aliis multis [293]; ceu etiam gladium in manu tenens in viae angulo Balaam visus est [294]. Species autem et similitudines illae, in quibus angeli ex persona Dei apparent atque loquuntur, ubique non sunt, sed in loco determinato, in quo persona est cui apparent et loquuntur.

Sic etiam dici potest angelum apparuisse et locutum fuisse ad Cain; qui postea ab eo loco egressus est, ubi angelus sibi visus est,

His sic positis, cum Scriptura ait Cain egressum esse a facie Domini, intelligimus angelum Domini sibi visum esse in specie et similitudine corporea eique esse locutum omnes illos sermones, qui supra ad Cain habiti sunt, ex persona Dei; quibus expletis, *egressus* est *Cain a facie* illius similitudinis seu imaginis in qua assistens angelus ex persona Dei sermonem ad Cain habuerat. Unde *egressus*, scilicet ab eo loco determinato ubi sic angelus sibi visus et locutus fuerat, perrexit ad incolendum *orientalem plagam* regionis *Eden*. Ex quo, inquit, terrae meae Deus maledixit ne mihi fructus suos afferat, optimam mihi ad habitandum et operandum regionem inquiram, ne tantas patiar calamitates et extremas miserias.

et habitavit prope paradisum, unde eius parentes electi fuerunt.

At quomodo potis unquam fuit vir nequissimus, *in peccatis natus . . . totus* [295], imo et *conceptus*, cum quo semper malitia crevit quoadusque in summum scelus excresceret, deliciosissimum locum illum incolendum adire, unde parentes eius ob peccatum propulsi fuere, in cuius custodiam coelestes spiritus Cherubim a Deo locati fuerant [296]? Nunquid angelos sua nequitia decipere potuit vel, ipsis aut incautis aut certe dormientibus, clam locum illum subintrare et, ipsis nescientibus, habitare? Sed certe absurda sunt haec non ferenda. Dicimus ergo Cain non eam incoluisse regionem, in qua deliciosissimus hortus ille voluptatum omnium refertissimus Dei manu plantatus et consitus fuerat: sed non longe ab illo loco, *plagam orientalem* prope locum illum habitasse.

285) Cf. Gn 20, 2. 15. 286) Cf. ibid. 19, 1 sqq. 287) Cf. ibid. 28, 13; 35, 1. 9. 288) Cf. Ex 13, 21; 14, 19; 32, 34. 289) Cf. Ios 1, 1 sqq.; 3, 7; 4, 1; 5, 2; 6, 2; 8, 1. 290) Cf. Idc 13, 3-23. 291) Cf. 2 Rg 3, 19; 21, 1; 1 Par 22, 8; 28, 3. 292) Cf. Dn 9, 21-22; 10, 11; 12, 4. 293) Cf. 2 Rg 7, 4; 3 Rg 3, 5; 9, 2; 1 Par 17, 12; 2 Par 1, 7; Is 7, 10; 20, 2; Ier 1, 4-18; 11, 6; Ez 2, 1; 3, 1. 4. 10; Dn 8, 17; 14, 32-35; Os 1, 2; 3, 1; Ion 1, 2; Zach 1, 9; 2, 3. 294) Cf. Nm 22, 21-27. 295) Io 9, 34. 296) Cf. Gn 3, 24.

E regione itaque loci illius amoenissimi habitavit, nec longe a paradiso terrestri versatus est, quod sibi in maximam poenam vergebat. Cum enim avarissimus esset terrenarumque facultatum cupidissimus, et, e contra, maxima egestate et penuria premeretur et summa torqueretur pauperie, sciens locum illum, a quo non procul diversabatur, amoenissimum, deliciosissimum, fertilissimum optimisque fructibus uberrimum et onustissimum esse: non poterat non maxima poena et dolore affici prope eum locum esse et ad eius fructus capiendos accedere non valere. Ceu antiquae fabulae de Tantalo dicunt [297], qui, cum ob crudele facinus, quo occisum filium decoxerat, a diis ad inferos detrusus et maxima tum fame tum siti tortus perpetua, Eridani fluvii aquas e labris fugientes capere et pulcherrima ac suavissima poma eius imminentia capiti fugientia captare non valeret, ut eis potiretur: eo infelicior factus, quo felicitatis bona propius haberet; unde Tantalus, quasi ταλάντατον, idest infelicissimus dictus est ; ita plane Cain. Ecce quomodo impiis etiam bona ipsa in poenam et damnum vergunt: sicut *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* [298], etiam mala ipsa.

Et hoc quoque summa poena illi erat, cum consideraret fertilitatem paradisi et suam maximam penuriam.

Dicitur autem in *terra Naid* habitasse, quod duobus modis potest intelligi: primo quod habitaverit in terra *vagus et profugus*, ut supra dictum est ei, et ita Chaldaeus Paraphrastes interpretatur; vel quod habitaverit *in terra*, quae Naid nomine dicitur, sicut Textus Graecus habere videtur. Sed forte regio illa, in qua habitavit, sic dicta est ab eventu, eo quod *vagus et profugus* ibi Cain habitaverit; נוד enim mobilitatem sonat.

In terra Naid dicitur Cain habitasse, vel quia sic vocabatur regio illa, vel quia illic tremens et profugus habitaverit.

Vr. 17 *Cognovit autem Cain uxorem suam, quae concepit et peperit Enoch; et aedificavit civitatem, vocavitque nomen eius ex nomine filii sui Enoch.*

Textus Hebraicus: *Et cognovit Cain uxorem suam et concepit et peperit Chanoc ; et fuit aedificans civitatem, et vocavit nomen civitatis iuxta nomen filii sui Chanoc.*

Ita Chaldaeus Paraphrastes.

Textus Graecus habet: *Concipiens peperit, et vocavit civitatem in nomine filii sui Enoch.*

Verbotenus differunt, re autem discrimen nullum est.

297) Cf. Petronius *Satyron*, *Satyr.* 82; C. Iul. Hyginus *Fabulae*, pag. 20; F. Fulgentius *Mythologiae*, lib. 2, pag. 140; 298) Rom 8, 28.

Cognovit autem Cain, etc. Opinantur Hebraei Evam in quolibet partu gemellos edidisse, marem et feminam, qui postea matrimonio iungebantur.

Communis Hebraeorum sententia fert[299] Evam in conceptu quolibet gemellos concepisse et edidisse. Cain autem vir factus, mulierem secum genitam et natam sororio iure in uxorem delegit ac, ut Rabbinus Abrabanel hic inquit[300], cum se videret Cain destitutum ac solum relictum, omni hominum societate orbatum ob fratris necem, eo amplius quo eiectus esset a terra habitationis Adam patris sui, filios procreare curavit, ut eis sociaretur, genuitque Chanoc. Sed an singulis partubus geminos Eva ediderit, nihil refert, etsi nil distet a vero vel verisimili: potuit enim plures filios concepisse ac peperisse, quam Scriptura hucusque retulerit. Genuisse enim filios et filias Scriptura postmodum refert[301], nulla tamen de filiarum singulari partu, vel ceterorum natorum praehabita ratione. Imo verisimillimum est plurimos Adae natos esse ex Eva filios cum adhuc Abel viveret; ipse enim vir erat naturalibus viribus viriumque facultatibus perfectus ad generandum: Eva vero ad gignendum annis singulis fecundissima. Hos autem duos filios ob successum Scriptura praememorat. Id certum esse debet, quod nonnisi sororem Cain accepit uxorem, ex qua Enoch genuit.

Et hoc ad necessitatem propagationis generis humani, qua necessitate cessante, postea prohibitum fuit a iure tum divino tum humano.

Nec ex ea re culpandus est quoquo pacto Cain, ex eo quod non possit quis ad sororem suam iure accedere, cum scriptum sit: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem eius*[302]. Necessitas enim coegit, ut humanum genus, quod in pauculis illis hominibus Adae germinibus aliquantulum erat linea recta protensum, ad latus quoque in multas propagines fieret cresceretque in immensum, quo iuxta praeceperat Dominus: *Crescite et multiplicamini et replete terram et subiicite eam*[303]. Ob necessitatem hanc ergo licuit Cain eam mulierem, quae sibi sororio iure coniuncta erat, in uxorem ducere. Ea vero depereunte necessitate, coelesti iure praescriptum est[304] ne qua primi aut secundi limitis coniugiorum necessitudo attingatur. Senatus vero consulto tertia quartaque limitum propinquitas tanquam incesta adimitur, inhibitumque est ne ad[305] quartum usque parentum gradum[306] iure[307] possint connubia celebrari; omnes enim ad eum usque limitem consanguinitatis vinculo sunt

299) Cf. Nachmanides h. l. et not. 33 huius cp. pag. 339. 300) Op. cit. f. 37ᵃ. 301) Cf. Gn 5, 4. 302) Lv 18, 6. 303) Gn 1, 28. 304) Cf. Lv 18, 6-18. 305) Ms.: *Post.* 306) Ms.: *Gradus.* 307) Concilium Lateranense IV, sess. XXIV, cp. *De Ref. Matr.*, cf. Phil. Labbeus *Sacrosancta Concilia*, t. 1, part. 1, col. 201.

obstricti, cum ab eodem stipite et originali principio naturali propagatione dimanent trahantque originem.

At quam ob rem, quaeso, dicet quis, non possunt mutuo et arcto consanguinitatis foedere obstricti ad se invicem coniugari et matrimonia contrahere? Et quid proprie matrimonium est? Et an iure Cain nuptiae sacramentum censendae sint?

Matrimonium, secundum etymologiam, significat *matris munus*, quia licet generationis princeps sit pater, in prole procreanda tamen mater officiosior conspicitur.

Matrimonium quidem, ut a nominis etymo auspicemur, veluti matris munium, idest munus et officium dicitur, a matre potius, quam a patre nomen sortitum; non quia matres eo mulieres efficiuntur et ad hoc mulier nubere debet, ut fiat mater: id enim et viris commune est, ut patres fiant; sed ob id praecipue, quoniam etsi in coniugio princeps generationis auctor sit pater, in generatione tamen plurimum mulieris quam viri elucet munus et opus exquiritur. Longe enim officiosior circa prolem tum procreandam tum alendam et nutriendam mater prae patre conspicitur. Sibi nanque filius onerosus post conceptum dum parturit, longe dolorosior dum parit et in lucem edit, et laboriosus valde dum peperit est. Hinc est ergo quod, etsi coniugium commune amborum sit iugum, a muliere magis quam a viro nomen matrimonii accepit, quod eius munus mulieri magis incumbat. Sicut ex adverso exterior possessio atque substantia patrimonium potiori nomine dicitur, quoniam vir, magis quam mulier, succumbit laboribus ad ea bona acquirenda et ad thesaurizandum pro filiis.

E contra substantia familiaris *patrimonium* dicitur, quia pater, magis quam mater, laboribus succumbit ad ea bona acquirenda.

Ad verum matrimonium duo requiruntur: nubentium libertas ab impedimento et consensus legitimus.

Est autem matrimonium legitimarum personarum viri atque mulieris legitima maritalisque societas et indissolubilis nexus, ex quo semetipsum alteri pari consensu debet ad prolem procreandam educandamque, ut par est. Quare duo sibi necessario ius matrimonii exquirit: ne sint nubentes illegitimi, et ut legitimus ac par consensus intersit; quorum si alterutrum desit, eius dirimit rationem.

Quatenus naturae officium, connubium infidelium verum matrimonium est, si contrahatur iuxta leges respectivae nationis;

At vero connubium istud, quod diximus, tum naturae munus tum sacramentum est. Et quatenus quidem naturae munus et officium est, nil aliud est nisi maritale quoddam humanae societatis foedus; et istud quidem in universum hominum genus profusum est et infideles id contrahunt. Est autem verum et legitimum matrimonium si legitime, ut moris est, fiat: apud infideles enim naturae lex reperitur; est autem legitimum, quoniam nec divina lege, nec naturali interdictum est, nec Ecclesiae constitutione: non enim iudicat Ecclesia *de his qui*

foris sunt[308]; non autem ratum matrimonium illud, quia sacramentum non est et dissolvi potest.

Inter christianos autem est sacramentum, unionem Christi ad Ecclesiam figurans.

Si vero istud humanae societatis foedus inter virum et mulierem in Christo et Ecclesia legitime fiat, sacramentum est a Deo institutum. Hinc A p o s t o l u s *ad Ephesios* ait[309], adducens illud *Geneseos* Sacrae[310]: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae; et erunt duo in carne una: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo et in Ecclesia.* Sacratissimae siquidem rei signum est, perpetui illius coniugii et indissolubilis unionis Christi ad Ecclesiam, cum *Verbum*, nostram assumens naturam, *caro factum est*[311], summa ei dilectione coniunctum.

Ut matrimonium sit verum sacramentum et indissolubile, requiritur ut fiat inter personas nullo impedimento ligatas, praecipue affinitatis et consanguinitatis.

Istud etiam matrimonium et maxime requirit ad hoc, ut legitimum ratumque sit et indissolubile omnino, ut inter legitimas personas fiat, alioquin dirimitur eius ratio. Illegitimae autem personae sunt vel maxime affines et consanguinei. Affines autem dicuntur quicumque propinquitatem contrahunt per carnalem copulam, in qua, quoniam vir et mulier una fiunt caro, omnes mulieris consanguinei affinitatem cum viro contrahunt: similiter et viri consanguinei cum muliere. Affines connubia celebrare prohibuit Dominus in *Levitico*[312], ne filius contraheret cum uxore patris, aut pater cum uxore filii, vel nepos cum uxore patrui. Senatus consulto tandem praescriptum est ne infra quartum limitem nubant affines[313].

Matrimonium inter consanguineos infra quartum gradum prohibitum fuit.

Deinde vero illegitimi censentur consanguinei, qui ab eodem stipite traxere originem, tum hi qui in rectum protendunt genealogiae propaginem vel ascendentem vel descendentem, tum hi qui in latum primae originis effundunt propaginem. Et in rectum quidem, vel ascendendo vel descendendo, nunquam licuit coniugari, ut filius matrem aut aviam vel proaviam aut ataviam ducat uxorem: vel filia patri vel avo aut proavo sive atavo nubat; nec similiter licuit unquam ut pater filiam aut neptem vel proneptem sive atneptem ducat uxorem: vel mater filium vel nepotem vel pronepotem aut demum atnepotem accipiat sibi virum; a ratione enim valde desistit, nec naturae ius patitur ea connubia. Ad latus autem fratres sunt et fratrum filii, nepotes et pronepotes, sorores, sororum filiae, neptes et proneptes. Iure autem

308) 1 Cor 5, 12. Vulg.: *De iis*, etc. 309) 5, 31-32. 310) 2, 24. 311) Io 1, 14. 312) Cf. 18, 6-18. 313) Cf. not. 307 huius cp.

divino praescriptum est ne frater uxorem ducat sororem; senatus vero consulto ad quartum usque limitem coniugium est interdictum.

Sed ad id, quod supra quaesitum est, iam respondeamus, viso quid matrimonium sit, cur inter parentes et consanguineos contrahi matrimonium non possit, cum matrimonii bona consanguinitas non tollat vel dirimat. Certe si inter consanguineos connubia celebrarentur, amicitiae bonum, quod vel maxime homines decet, permagnum ferret dispendium. Inter eos enim, qui ab eodem dimanant originali stipite, cum sanguinis vinculo obstricti sint, consuevit vel maxime amicitiae amor vigere, qui ad alienos non facile fertur. Quare cum matrimonia secum affinitatem importent pariantque dilectionem, ad amicitiae et dilectionis adaugendam rationem, cum alienis potius quam propinquis sunt contrahenda ac, cum naturalis necessitudinis nexus ad quartum usque limitem arcte obstringatur et exinde incipiat[314] evanescere, hinc post quartum gradum libera promiscua connubia posse fieri statutum est, ad amicitiam veluti fugientem revocandam evanescentemque amorem restaurandum.

ad amicitiae bonum magis fovendum in humana societate;

At certe huius rei potissima ratio ea, ut puto, est, quoniam naturae quidam debetur honor ac reverentia una cum naturali quadam honestate; naturalis autem honestas naturae recto iure propriae carnis ac sanguinis ignominiam et turpitudinem refugit revelare, ceu in adhaesione viri ad mulierem fit. Hinc in *Levitico*, dum huiusce vitandae rei leges promulgantur, dicitur[315]: *Ne reveles turpitudinem . . . et ignominiam;* hisque similia: *Ne accedas ad proximam sanguinis tui, ut reveles turpitudinem eius*[316].

et praecipue ob naturalem reverentiam erga proprium sanguinem,

Et certe cum matrimonium honestatis vinculum sit pro publica iustitia, nullo modo in re turpissima servari poterit, a qua etiam bruta animalia refugere conspiciuntur. Cuius rei gemina in Aristotele exempla legimus[317]: alterum cameli, qui, cum super copertam matrem ascendisset, matre postmodum cognita, in eiusmodi rei inventorem insiliit et occidit; de equo alterum, qui, cum similiter super matrem ascendisset, discooperta matre, cum matrem agnovisset, inde aufugit et praecipitio se collisit. Naturalis itaque lex inter consanguineos coniugia esse illegitima dictat ob naturalem hone-

quae a brutis etiam sentitur.

314) Ms.: *Incipit.* 315) 18, 15. Vulg.: *Non revelabis.* 316) Ibid. vr. 6. Vulg.: *Ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet*, etc. 317) *De Historia Animalium*, lib. 9, cp. 47, t. 1, pag. 584.

statem, ne propriae carnis et sanguinis turpitudo et ignominia reveletur.

Ideo quo arctior est nexus sanguinis, eo magis repugnat inter consanguineos connubium;

Haec ratio eo magis stringit ac viget, quo sanguinis et carnis nexus est strictior et cum, deficiente sanguinis vinculo et naturali amicitia evanescente, deficit et evanescit. Inde est [quod] primi gradus connubium horrendum omnino est et omni iure interdictum; secundi etiam gradus coelesti iure praescriptum est: in his enim naturae nexus stringit maxime magisque in primo, ideo illud execrandum magis, ideo nunquam permissum. Alterum autem primitus quidem ob necessitatem, quam supra diximus, permissum est; deinde divino iure prohibitum, cum nec naturalis ferat honestas aequa lance sororem et uxorem mariti, sororemque uxorem veluti contrectare. Tertii vero et quarti graduum connubia senatus consulto praescripta sunt, quoniam arcte adhuc in his sanguinis nexus stringit.

sed ne humana propago deperiret, ex divina concessione necesse fuit Adam filios filiasque suas maritali coniugio tradere.

Naturalis itaque honestas et honor, qui naturae debetur, in causa est ne iure inter consanguineos connubia ineantur. At cum humana series ordiretur et in prima adhuc esset propagine, in summo discrimine sita natura ipsa erat, ut sibi e duobus quam vellet, alterutram optionem eligeret: vel naturalem eam honestatem, quae in secundo gradu ab eodem stipite descendentium est, nonnihili dispendii pati: vel naturam totam summum subire dispendium et extremo interitu totam deperire. Nam etsi quingentos aut mille filios Adam ex Eva genuisset uxore, omnes tandem morituri proculdubio erant. Quod si filii sororibus non se coniuges tradidissent vel, si melius dicam, si Adam filios filiasque suas maritali coniugio [non tradidisset], etsi fratres ac sorores omnes essent, plane una cum eis universa deperiisset humana propago insimulque natura. Sed e duobus malis natura minus, Deo aspirante, delegit et naturae potius, quam honestati illi pro eo tempore consulere maluit; neque enim ut naturam dirimeret penitusque destrueret virtus primo condita est, quin potius ut incolumen salvamque, omni bono refertam servaret.

Cain ergo sororem suam uxorem ducere debuit, licet hoc S. Scriptura ob honestatem subticeat.

Ita ergo Cain sorori suae maritali coniugio copulatus est. At Scriptura semper honestissima, ne quid turpe nobis proponeret, quod non satis honestum suapte natura videri posset, nonnisi quod suapte natura iustum honestumque est prae oculis ponit. Non enim ait adhaesisse Cain sorori suae, aut sororem duxisse coniugem; sed uxorem suam cognovisse, quod uxor eius soror ipsius fuerit cautissime sub-

ticet, ne quod tunc necessitate factum est, existimaremus nunc quoque ad voluptatem id perpetrari legitime et absque culpa posse.

Demum cum Sacer Textus dicat cognovisse Cain uxorem suam, puto non absque sacramento Cain nuptias celebrasse, ut coniugium illud non solum naturae munus, sed et sacramentum matrimonii fuerit [318]. Libera enim et honesta voce coniugem suam sibi copulatam Scriptura uxorem praedicat; unde ut existimem ducor quod Adam primoris partus filios cernens adultos, nuptias eis celebrarit et coniugarit filio filiam suam, ut par erat, ratio recta dictabat et forte etiam Deus vel iusserat vel instruxerat.

Et hoc verum matrimonium fuit, et putatur etiam sacramentum fuisse.

Crediderim tamen primum hoc celebratum esse connubium antequam Cain horrendum et execrandum illud facinus perpetrarit. Quis enim possit duci unquam ut credat post tantum peractum scelus et nefarium facinus voluisse vel potuisse Adam tam nequissimo filio filiam suam coniugem tradere ad procreandam prolem, qui fratrem adultum ac virum factum tam nequiter sua dextra crudeli morte necaverat? Ante ergo coniugium hoc contractum est, etsi Scriptura ordinis serie textuque sermonis postmodum referat, Cain generationem texere aggressura.

Probabiliter Cain coniugium contraxit ante fratricidium, licet Scriptura ordinis serie postmodum referat.

Primo autem filio, quem sibi uxor genuit, Enoch nomen imposuit, idest instructus, institutus, vel dedicatus, forte quia eum suas artes instruxerat et terrenis cultibus dedicarat; non enim nisi terrenis exercitiis et artibus mechanicis incumbebat. Unde sequitur: *Et aedificavit ei civitatem, vocavitque nomen eius ex nomine filii sui Enoch.*

***Et aedificavit ei civitatem.* etc.**

Sanctissimi illi Patres, qui fide placuerunt Deo, repromissiones quidem expectantes nec accipientes, sed a longe aspicientes et salutantes, earum tamen spe, spiritu ad eas anhelantes et coelestibus civibus consociari cupientes, nunquam terreas civitates extruxere; sed in terra veluti aliena morabantur; in casulis et tentoriis habitando, confitebantur quia peregrini et hospites sunt super terram, significantes patriam se inquirere melioremque appetere, idest coelestem; expectabant fundamenta habentem civitatem, *cuius artifex et con-*

Sancti Patres in tentoriis habitant, coelestem civitatem expectantes;

318) S. Bonaventura *Sentent.*, lib. 4, dist. 26, a. 1, q. 2.

ditor est *Deus;* Deus enim illis civitatem paravit et ideo non confunditur vocari Deus eorum[319].

At Cain, suorum scelerum et facinorum merita damnatione mulctatus, coelestem illam civitatem nunquam ingressurus aeterna felicitate donandus, nec aeternorum bonorum quoquo modo particeps futurus, terram vilissimam in suam delegit hereditatem, et superna civitate civibusque coelestibus nihili pensis, terrenam civitatem extruxit civisque terrenus voluit haberi. Et quoniam non ad Dei honorem et gloriam nec ad Dei cultum neque in Dei nomine civitatem illam aedificavit, ideo non divini alicuius nominis vel divinarum rerum imposuit nomenclaturam; sed nomen eius ex nomine filii sui vocavit, quoniam non pro Deo, sed pro filio eam extruxerat.

Cain autem terrenam civitatem extruere coepit civisque terrenus esse voluit,

Inquit Rabbinus Abrabanel[320] quod Cain opus terrae culturae reliquit propter maledictionem et aedificatoriae artis opus accepit. Inquit autem Textus Hebraicus, quod *fuit aedificans:* forte quia ob mobilitatem suam non poterat continuo extructionem eius prosequi, sed *vagus et profugus* semper existens, ibat et revertebatur aedificans, et interruptum opus erat.

relinquens culturam terrae propter maledictionem.

Vrr. 18-19 *Porro Enoch genuit Irad, et Irad genuit Maviael, et Maviael genuit Mathusael, et Mathusael genuit Lamech. Qui accepit duas uxores: nomen uni Ada et nomen alteri Sella.*

Textus Hebraicus: *Et natus est ipsi Chanoc Hirad, et Hirad genuit Mahuiael, et Mahuiael genuit Mathusael, et Mathusael genuit Lamech. Et accepit sibi Lamech duas uxores: nomen uni Hada et nomen secundae Tsilla.*

Graeca Editio nimium variat in nominibus: habet enim: *Natus est autem Enoch Gaidad, et Gaidad genuit Maleleel, et Maleleel genuit Mathusala.*

Ratio autem diversitatis ea est, quae ex litterarum hebraearum symbolo et diversa pronuntiatione dimanant. Filius Enoch: עירד hebraice dicitur, ubi prima littera est ע [321], quae aspiratio densissima est, nec scriptura, sed viva tantum voce exprimi potest. Formatur autem narium adminiculo in extrema gutturis parte et ad sonum nostri g, gutture imo pronuntiati, accedit. Est enim littera corvina aut columbina, nec potest commodius designari quam per g

Porro Enoc genuit Irad, etc. **Variae lectiones, ex diversa pronuntiatione eiusdem litterae et ex confusione unius litterae cum alia.**

319) Cf. Hebr 11, 9-16. 320) Op. cit. f. 37ᵃ. 321) Ms.: *Aiin.*

strangulatum, nonnihil ad pronuntiationem obscuri **n** accedens. Hinc ea littera, quoniam aspiratio densissima est, interdum per **h** expressa est, ut: h e b r a e u s, ubi hebraice est ע; aliquando per **g**, ut: G o m o r r h a, S e g o r, etc.; nonnunquam per **n** obscurum, more antiquo, ut: הושע נא, h o s a n n a. Aliqui tandem litteram mutam putant, ut vix quicquam auribus exhibeat praeter eam, qua movetur, vocalem. Hinc noster I n t e r p r e s *Irad* vertit, ac si muta omnino ea littera esset; G r a e c i vero per γ eam expresserunt, vertentes *Gidad;* sed in secunda littera similitudine ac symbolo litterarum decepti sunt pro ר, ד accipientes, quoniam eae litterae simillimae sunt; hinc dixere *Gidad*, pro *Girad*. In eo autem quod dicunt: *Gaidad genuit Malaleel:* non recte nomen illud expressere. In hebraeo enim est: מחויאל, *Machuiael;* similiter *Mathusala*, in hebraeo מתושאל, idest *Mathusael* est. Solent nos Hebraei plurimum irridere in pronuntiatione quorundam nominum, maxime in aspirationibus et quibusdam litteris imo gutture proferendis; defectus tamen hic aliquando ex litterarum penuria [oritur], quia nos unam tantum aspirationem **h** habemus, Hebraei autem tres: א, ה, ח; et ע litteram ipsi habent, cui neque nos neque Graeci respondentem habent; deinde duplex **s**: ס[322] et ש: nos autem et Graeci unum tantum; et duplex **z**: ז et צ: nos vero unum; ex quo evenit quod neque nos neque Graeci possumus adamussim eorum nomina pronuntiare et nostris litteris sonare. Nonnunquam vero interpretum defectu et errore id accidit.

Ista autem Cain genealogia ob id, ut multorum tum ex nostratibus[323] tum ex Hebraeis[324] fert sententia, texitur, ut ad Lamech usque deveniatur, qui, ex eo quod ipsemet confessus est[325], putatur occidisse Cain. Quales autem ex Cain viri descendentes fuerint, quorum non habentur gesta, ex ipsis nominibus eorum cuilibet licebit advertere. *Mathusael genuit Lamech, etc.* **Genealogia Cain texitur ut ad Lamech deveniatur, qui Cain occidisse creditur.**

Vrr. 20-22 *Genuitque Ada Iabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis atque pastorum. Et nomen fratris eius Iubal: ipse fuit pater canentium cithara et organo. Sella quoque genuit Thubalcain, qui fuit malleator et faber in cuncta opera aeris et ferri. Soror vero Thubalcain Noema.*

322) Ms.: *Samech*, et infra: *Scim*, *Zain*, *Tsade*. 323) Cf. Nic. Lyranus op. cit. 45ª. 46ᵇ; Alph. Tostatus op. cit. f. 28ª. 33ª. 324) Cf. Abrabanel op. cit. f. 37ª; et not. 227. 231 huius cp. pag. 390. 325) Cf. Gn 4, 33.

Textus Hebraicus: *Et genuit Hada Iabal, qui fuit pater inhabitantis tabernaculum et peculii. Et nomen fratris eius Iubal: ipse fuit pater omnis apprehendentis cytharam et organum. Et Tsilla etiam ipsa genuit Thubal–Cain, qui expoliebat omne opus aeris et ferri,* sive *qui exacuebat omnem artificem aeris et ferri. Et soror Thubal–Cain Nahamah.*

Chaldaeus Interpres habet: *Et genuit Hada Iabal: ipse fuit princeps habitantium tabernacula et dominorum iumenti. Et nomen fratris eius Iubal: ipse fuit princeps ludentium super os nabli et scientium canticum cytharae et fistulae. Et Tsilla etiam ipsa genuit Thubal–Cain, principem omnium scientium opus aeris et ferri,* etc.

Textus vero Graecus habet: *Et peperit Ada Iobel: hic fuit pater habitantium in tentoriis pastorum. Et nomen fratri suo Iubal: hic fuit qui ostendit psalterium et cytharam. Sella autem peperit et ipsa Thobel; et fuit malleator faber aeris et ferri.*

Genuitque Ada Iabel, etc. Maledictio Cain nedum poenae inflictio fuit, verum et praedictio futurae perversionis posteritatis eius.

Quam recte superius Cain ipsum Dominus maledixit! Ea enim maledictio non solum poenae inflictio fuit, sed et futurorum praedictio, quia ab eo et tota posteritate sua nil bonum, sanctum nihil, aut quod divinam et coelestem saperet sapientiam, emanavit; sed tantum terrena opera, a Deo et divinis humanam mentem et cor abstrahentia; opera vana, quae nonnisi terrenam, carnalem et vanam sapientiam redolent; opera prava atque iniqua, omnia facinora crudelia, nefaria scelera obscenaque ac turpissima quaeque vitia atque peccata. Ecce enim ipse civitatem primo extruxit ostendens toto animo ad terrena hiare, toto desiderio[326] ad corruptibilia ferri, coelestia atque aeterna nihili penitus pendere, velle se in terris firmam, permanentem et aeternam civitatem habere nec futuram quoquo modo inquirere[327]; sed nec peregrinari a Domino[328] in terra, sed terrae civem [esse] a coelo toto exulem, eo nunquam recipiendum.

Omnes autem Lamech superavit perversitate et libidine.

Paternae mentis et affectuum nihilominus imitatores operumque factores subsecuti sunt filii Enoch, Irad, Maviael, Mathusael, Lamech et ab eis geniti: miseranda natio, gens peccatrix, populus gravi iniquitate, semen nequam, filii scelerati[329]. Quos omnes mentis perversitate, affectionum pravitate, operum iniquitate, scelerum

326) Ms.: *Desidero ac.* 327) Cf. Hebr 13, 14. 328) Cf. 2 Cor 5, 6. 329) Cf. Is 1, 4.

enormitate et inexplebilis libidinis turpissima obscenitate Lamech superavit et longe lateque excessit. Etenim ut impudentius eluxuriaretur et magis ac magis veneris voluptatibus foedissima lascivie ac luxurie debaccharetur, duas accepit uxores primusque bigamiam introduxit[330], contra tum naturae instituta tum Dei.

qui etiam bigamiam primus introduxit.

Haec enim matrimonii tum a Deo tum a natura lex promulgata erat: *Relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una ;* et hoc *Sacramentum magnum est in Christo et in Ecclesia.* Christus enim unicus sponsus est et Ecclesia unica eius sponsa; nec Christus unquam sponsam aliam, nec Ecclesia sponsum alium novit. Repugnat itaque bigamia, quae biiuge connubium est vel cum duabus uxoribus vel cum corrupta et ab alio cognita contractum[331], unicae huic coniunctioni Christi et Ecclesiae. Unde merito a sacris Ordinibus praecluduntur et coercentur bigami, sacri senatus consulto, tanquam irregulares[332], ne Christi personam gerentes et in Ecclesia repraesentantes veluti Christi vicarii, Christo aliquid repugnans et adversum habeant in Christi ad Ecclesiam comparatione, symbolo et analogia.

Bigamia a lege naturae, Dei et Ecclesiae reprobatur.

Lamech itaque, ut libidinaretur et obscenae voluptati ac veneri plus aequo ac propensius indulgeret, biiugio se tradidit duasque primus accepit uxores. Et ex prima quidem duos sibi genuit filios, quorum alter dictus est *Iabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis atque pastorum,* idest primus scenofactoriam artem adinvenit ad tentoria texenda domosque portatiles faciendas, cuiusmodi sunt militum et pastorum; primus etiam pecuariam docuit artem, unde *pastorum* quoque *pater* dicitur. Moris est Linguae Sanctae inventorem cuiuspiam rei principemque auctorem, *patrem*[333] appellare. Hic itaque, ut Hebraei ferunt[334], peculii artem sibi delegit eamque iuxta animalium naturam docuit pastores, oves a capris dividere et haedos ab agnis singulosque eorum greges seorsum aggregare. Aiunt etiam[335] Iabel dictum eamque accepisse nomenclaturam Abel similem, quoniam Abel artem pecuariam delegit et docuit.

Iabel pater pastorum dicitur, quia primus docuit artem pastoritiam;

mos est enim Sacrae Scripturae *patrem* vocare alicuius artis inventorem.

330) *S. Hieronymus :* « Primus Lamech maledictus et sanguinarius, et de Cain stirpe descendens, unam costam divisit in duas ». Epist. 79, (P. L. 22, 732). 331) Ms.: *Est* repetitur.
332) Cf. *Decretum Gratiani*, dist. 26, (P. L. 187, 150-152); dist. 33, ibid. col. 184-185.
333) Cf. Gn 4, 20-21. 334) Cf. Abrabanel op. cit. f. 37ª; Alph. Tostatus op. cit. f. 28ᵇ.
335) Cf. Abrabanel op. cit. f. 37ª.

Iubal inventor musicae.

Alter vero filius Lamech ex prima uxore *Iubal* dictus est, qui *fuit pater canentium cithara et organo*, idest inventor fuit musicae et citharam et organum sive psalterium aut quaevis alia musica instrumenta excogitavit, quae ad vanitatem, delicias et voluptates plurimum conferunt, atque huiuscemodi sonis ac melodiis qui terrena sapiunt homines animales maxime delectantur. Unde B. Iob, de impiis prospere agentibus, ait[336]: *Tenent tympanum et citharam et gaudent ad sonitum organi; ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.*

Tubalcain longe nequior omnibus filiis Lamech fuit, qui artem excogitavit ad arma fabricanda.

Filius autem, quem ex secunda uxore habuit, his longe nequior fuit; fuit enim *malleator et faber in cuncta opera aeris et ferri*, idest fabrilem artem excogitavit, mineralia sub terra invenit et effodit, ferrum et aes operatus est aliosque operari docuit, ad arma ceteraque instrumenta bellica efficienda, quibus immanis crudelitas ad violentiam, rapinam et homicidia explenda exercetur. Imitari voluit ac longe immanius perficere opera tetritavi sui Cain, qui fratrem suum occidit: ad occisiones enim et homicidia ferrea arma adinvenit; ea propter, ut puto, eius nomen habet, cuius imitatus est opus.

Noema, eius soror, inventrix fuit luxus vestium et melodiarum.

Sororem quoque huius Scriptura commemorat, quae Noema dicebatur. Hanc aiunt[337] lanificii artem adinvenisse ad ornatiores habitus vestesque nobiliores ac pretiosiores contexendas. Rabbinus Abrabanel hanc adinvenisse carmina vocumque melodias et concentus in canticis et psalmis inquit[338], et propterea eo nomine dici: נעמה, [quod] delectationem, iucunditatem et suavitatem quandam sonat; et propterea hic commemoratam, quoniam supra de fratre suo ex patre, qui instrumenta musica adinvenit, mentio habita est. Habent Hebraei in *Bereshit Rabba*, ut idem Rabbinus refert[339], hanc fuisse uxorem Noe; ipse autem tenet fuisse quidem mulierem iustam et Noe uxorem: at non eam ex qua nati sunt Noe filii, sed aliam; ipsa autem ante diluvium mortua sit.

Vrr. 23-24 *Dixitque Lamech uxoribus suis Adae et Sellae: Audite vocem meam, uxores Lamech; auscultate sermonem meum; quoniam occidi virum in vulnus meum et adolescentem*[340] *in livorem meum: septuplum ultio dabitur de Cain; de Lamech vero septuagies septies.*

336) 21, 12-13. 337) Cf. Nic. Lyranus op. cit. f. 46ᵇ; Alph. Tostatus. op. cit. f. 29ᵃ. 338) Op. cit. f. 37ᵃ. 339) Ibid. 340) Vr. 23. Vulg.: *Adolescentulum.*

T e x t u s H e b r a i c u s : *Et dixit Lamech uxoribus suis Hadae et Tsillae : Audite vocem meam, uxores Lamech ; auscultate eloquium meum ; si occidi virum in vulnus meum et adolescentem in livorem meum: quoniam septuplum vindicabitur Cain ; et Lamech septuagies septies.*

T e x t u s C h a l d a i c u s : *Non virum occidi, quod propter eum ego congregem peccata ad mortem ; nec etiam adolescentem interfeci, quod propter eum consumatur semen meum ; ad septem generationes suspensus,* vel *dilatus est Cain ; annon Lamech, filius eius, septem et septuaginta ?*

T e x t u s G r a e c u s cum nostro concordat: *Quoniam virum occidi in vulnus mihi et adolescentulum in livorem mihi ; quia septies iudicatum est ex Cain ; ex Lamech autem septuagies septies.*

Locus iste tum ab Hebraeis tum a nostratibus diversas et longe a se distantes habet expositiones.

Dixitque Lamech uxoribus suis, etc. Narratiuncula a Iosepho Hebraeo tradita.

Refert I o s e p h u s *De Antiquitatibus*[341], quod iste Lamech vir fuit venator, qui arcu et pharetra silvestres feras venabatur pro vestium conficiendarum pellibus; cumque iam senesceret ac perspicacior eum visus ob veneris intemperiem et senescentem naturam deficeret, adolescentulum secum ad venationem adhibuit, qui ducatum ei praestaret, dirigeret gressus et silvestria animalia longius visa monstraret; ipse enim iam caecutire inceperat. Accidit autem die quadam, cum ad venandum egressus esset, ut adolescentulus eum dirigens, Cain in densa spelunca sub fructetis latentem a longe videret; in specus enim densos atque nemorosa latebrosaque antra agebatur ob metum. Quem feram esse suspicatus, ad Lamech ait ut contra se sagittam dirigeret; quae directa et ad certum locum recta tendens, Cain percussit et interfecit. Quod percipiens Lamech, vehementer dolens quoniam Dominus multas clades eminatus interminatusque fuerat ne quis Cain interficeret, nimio irae furore succensus, arcu, quem manu tenebat, adolescentis caput percussit percussumque interfecit.

341) Cf. apud Alph. Tostatum op. cit. f. 29ª. Eidem traditioni de Cain a Lamech casu interfecto, etiam S. Hieronymus suffragari videtur, qui ait : « Lamech... septimus ab Adam, *non sponte, ut in quodam hebraeo volumine scribitur,* interfecit Cain ». Epist. 36, (P. L. 22, 454). In *De Antiquitatibus* Iosephi Flavii vero narratiunculam hanc non invenimus. Invenitur etiam haec Hebraeorum traditio citata a Saliano *Annalium Eccles. Epitome,* pag. 51 ; Io. B. Du Hamel *Biblia Sacra, Genesis,* h. l.; Alph. Niccolai op. cit. t. 3, Lez. 35, pag. 195-196.

Hunc adolescentem Hebraeorum nonnulli Thubalcain filium fuisse ferunt[342], et ob id magis uxores eius factum exhorrescebant. Horrendum id facinus cum audissent uxores eius, ab eius se concubitu subtraxere, ne et ipsae una cum eo miserandis cladibus Dei lata sententia afficerentur neve simul cum eo deplorandas luerent poenas. Quod non aequo animo ferens Lamech, eas adhortabatur ut secum redirent, nec multo post futuram poenam pertimescerent, ad easque factum suum excusans, ait: *Occidi* quidem *virum* in vulnere meo, non data opera eum insidiatus, nec volens id feci, sed nolens nesciensque percussi; et *adolescentulum in livorem meum* ob vehementem dolorem praecedentis mortis interfeci, non ex animi malitia aut odio, sed mox ira ex vehementi dolore succensus; Cain autem fratrem suum, data opera insidians, ex odio et malitia interfecit. Quare si tandiu in eius gravissimae culpae poenam mors ad septimam usque generationem dilata est: multo longius poena in facinoris mei ultionem differetur; quod si ipse septima generatione punitus est, ego ad septuagies septimam non puniar. Ne ergo poenam hanc tanto post tempore futuram pertimescatis.

Hanc expositionem multi tum Hebraeorum tum nostratum[343] sequuntur; at certe multa extra litteram supponit.

nullo fundamento innititur.

Forte Lamech non affirmative, sed emphatice locutus est, ut eius verborum sensus sit se non occidisse Cain,

Nos itaque aliter exponendam duximus. Est autem in L i t t e r a una dictio: כִּי, quae inter pleraque alia significata haec quoque habet: q u o n i a m, s i et q u a n d o. Iuxta primum significatum habet V u l g a t a E d i t i o. Potest tamen et in reliquis accipi, ut valeat s i, vel q u a n d o : ut sit is litterae contextus: *Audite vocem meam, uxores Lamech; auscultate sermonem meum. Si,* vel *quando occidi virum in vulnere meo,* etc. Certe vox ista geminata emphasim quandam secum afferre et applausus ac laetitiae esse videtur pro magni alicuius boni expectatione ac ad depressos animos exhilarandos movendosque ad magnam gaudii spem, exultationis et futurae

342) Cf. Rab. Salomon op. cit. f. 7^a; Nic. Lyranus op. cit. f. 46^b–47^a; Alph. Tostatus op. cit. f. 29^b; Aptowitzer op. cit. pag. 59-68. 159-162. 343) Cf. S. Hieronymus Epist. 36, (P. L. 22, 454-455); Alcuinus *Interrogat. et Respons. in Gen.*, ibid 100, 526; Rabanus Maurus *Comment. in Gen.*, lib. 2, cp. 2, ibid. 107, 509; Strabus *Glossa Ord. in Gen.*, ibid. 113, 101; Angelomus *Comment. in Gen.*, ibid. 115, 132; Remigius *Comment. in Gen.*, ibid. 131, 72; Nic. Lyranus op. cit. f. 46^a; Alph. Tostatus op. cit. f. 29^b.

felicitatis: *Audite*, ait, *vocem meam uxores* meae: meum auribus sermonem percipite, nec animo paveatis, aut exterreamini miserandae alicuius cladis, aut deplorandae calamitatis timore. Quando enim ego virum interfeci in vulnere meo, aut quando adolescentem aliquem in livore meo perdidi, sicut Cain fecit, qui fratrem suum occidit, aetate quidem adolescentem, sed perfecta integerrimaque virtute virum? Quod si Cain quidem, qui ex livore et ira fratrem suum suo vulnere interfecit, tanto vixit tempore et ad septimam usque generationem filios vidit morte impunitus: annon multo magis Lamech, qui mala haec non perpetravit, ad septuagies usque septimam generationem semen suum longaevum videbit? Idest: annon multo plus tempore vivam ego et multo plures videbo filios filiorumque generationes, multo longiorem genealogiam texentes? Gaudendum igitur vobis est, uxores meae, et magis magisque exultandum, nedum quia filios quidem genuistis natura, ingenio, arte scientiaque ingenuos, praestantissimos ac prudentissimos: sed quia multo plures habebitis; unde beatas vos dicent omnes generationes![344]

sed securas facere voluisse uxores suas, ne aliquam cladem aut calamitatem pertimescerent.

Huic nostrae expositioni nedum nihil ex Hebraica Littera repugnat, verum etiam Chaldaica Paraphrasis mirum in modum favet.

At vero si simpliciter, ut in nostra Editione iacet, velimus textum hunc exponere, ita dicemus: Ne exterreamini, uxores meae, nec me exhorreatis *quoniam occidi virum in vulnere meo et adolescentem in livore meo*; non vos horror facinoris a meo coniugio subtrahat; ecce enim et Cain fratrem occidit. Quod si Cain septuplum vindicabitur, idest quicumque Cain occiderit multas poenas exolvet, clades enim multas interminatus est Deus si quis Cain occiderit, multo plures poenas dabit luetque calamitates quisquis ausus fuerit me occidere. Quoniam ego non data opera, non ex certa malitia, non ex insidiis, ut fecit Cain, virum occidi: sed simpliciter *in vulnere meo, et adolescentem in livore meo* ex ira statim exurgente. Casus fuit is purus ac simplex, non praecogitatus aut praemeditatus. Si ergo timet quisquis Cain interficere tam nequam virum, ob interminatas tam multas poenas; multo magis me occidere extimescent, quoniam maiores poenas exolvent. Hoc est quod ait: *Septuplum ultio dabitur de Cain,*

Vel si affirmative locutus est, sic fecit ut excusaret facinus suum, ne uxores ab eius consortio se subtraherent.

344) Cf. Lc 1, 48.

idest occidens Cain multas luet poenas; *de Lamech vero septuagies septies*, idest multo plures et maiores poenas dabit Lamech interficiens.

Vr. 25 *Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam, et peperit filium, vocavitque nomen eius Seth dicens: Posuit mihi Dominus*[345] *semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.*

Textus Hebraicus: *Et cognovit Adam adhuc uxorem suam, et ipsa peperit filium, et vocavit nomen eius Seth: quoniam posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quoniam occidit eum Cain.*

Textus Chaldaicus: *Quia dedit mihi Dominus filium alium.*

Textus Graecus: *Quia suscitavit mihi Dominus semen aliud.*

Cognovit quoque adhuc Adam, etc.

Postquam Scriptura Divina genealogiam Cain texuit et ad Lamech usque perduxit, quoniam ex professo nonnisi Christi genealogiam texere intendit, qui ab Adam secundum carnem descendit, ceu Beatus Lucas in suo *Evangelio*[346] Christi genealogiae contextum edisserens, ordine praepostero a Christo ad Adam usque pervenit, ad Adam et uxorem suam iterum redit, dicens: *Cognovit autem Adam adhuc uxorem suam.*

Interpretatio huius loci iuxta aliquos Hebraeos.

Nonnulli ex Hebraeis huius contextus litterae hanc reddunt rationem, dicentes[347] quod, cum uxores Lamech se ab eius concubitu subtraxissent propter facinoris eius horrorem, ipse conveniri eas fecerit coram Adam, qui iudex tunc temporis erat. Cumque iussisset Adam ut ad Lamech uxores redirent, responderunt illae: et cur tu ad uxorem tuam non redis, a qua iam multis temporibus a morte Abel te subtraxisti? Quapropter Adam, ne sui exemplo humanae propagini excrescendae ac multiplicandae impedimentum afferret, ad uxorem suam rediit, eamque iterum cognoscens, Seth filium genuit. Causam autem ob quam Adam ab uxoris commercio se subtraxerat, esse aiunt[348] quoniam propter eam e paradiso voluptatis eiectus est et in hunc miseriarum locum deiectus; et quoniam lignum illud, quod sibi mulier ad comedendum dederat, concupiscentiam malam coitusque libidinem in eius membra immiserat[348a].

345) Vr. 25. Vulg.: *Posuit mihi Deus.* 346) Cf. 3, 23-38. 347) Cf. Rab. Salomon op. cit. f. 7a; Nic. Lyranus op. cit. f. 47a; Alph. Tostatus op. cit. f. 29a. 348) Cf. Aptowitzer op. cit. pag. 68. 162-163. 348a) Cf. supra, cp. 3, pag. 270 et not. 56.

Nos vero huius contextus aliam dicimus esse rationem. Iam enim Adam, Deo revelante, cognoverat Dei Verbum venturum esse in carne, ut lapsum hominem e peccato sublevaret eumque a diaboli potestate tyrannica redimeret atque salvaret. Cum cognovisset autem, Dei spiritu afflatus, universam Cain generationem atque propaginem penitus toto coelo delendam non multo post tempore diluvii aquis, priusquam Messias salvator veniret, novit quod non erat ex eius posteritate nasciturus. Neque enim decebat ut semen illud sanctissimum, in quo benedicendae erant omnes generationes[349] gentesque omnes, a pessima illa maledictaque radice Cain germinaret; maledictus enim ob id vel maxime fuit quoniam germen ullum fidele, sanctum aut iustum ex eius radice germinandum aliquando foret. Iccirco novae generationi, ex qua Christus secundum carnem nasceretur, operam dare proposuit et ad uxorem suam iterum adhaerere.

Adam certe sciens Dei Verbum in carne venturum et generationem perversam Cain diluvio delendam esse,

novae generationi operam dare proposuit, ex qua Christus nasceretur.

Erat autem centum triginta annorum[350] cum generationi huic novae operam dedit; unde elucet non potuisse id post enarratum illud Lamech facinus factum esse, etsi contextu sermonis postmodum ponatur. Non enim intra eius temporis limites septem Cain generationes claudi potuere, praesertim cum eo temporis non praemature admodum, ut nunc fit, homines connubia ducerent filiosque procrearent; eo item maxime quod Lamech ab ipsis Hebraeis caligantis oculi ac senescentis aetatis fuisse dicatur. Quomodo ergo intra centum triginta annorum terminos septem hominum generationes in rectum protensas potuit transcurrisse, et Lamech, qui in septima est, caecutiens ac senescens esse?

***Vocavitque nomen eius Seth*, etc. Seth natus est antequam Cain occideretur, licet a Scriptura eius nativitas postea referatur.**

Sacra itaque Scriptura Cain generationes dedignata [est] ulterius prosequi, cum ab eo veluti ab iniquitatis fonte omnisque peccati radice nonnisi iniqui et scelesti homines emanarent; propter quod delenda toto penitus genere erat maledicta illa propago. Vidit itaque M o y s e s eius generationis malitiam paulatim excrescere, quasi malum humorem per totum corpus defluentem; sistit malitiae impetum et sequentes generationes ex Cain propagine nec memoria quidem dignatur. Sed exarare nobis volens quomodo Deus Adam et Evam consolatus fuerit eorumque dolorem demulserit, in quem illos iniecerat fratricida dextra contra Abel armata, et e mundi generationum ca-

S. Scriptura ultra non prosequitur enarrando genealogiam Cain, ob eius perversitatem.

349) Cf. Gn 12, 3; 22, 18. 350) Cf. ibid. 5, 3.

talogo Cain propagine expuncta, genealogiam electam ac permansuram seriose disserere, ad naturae humanae protoplastos primosque progenitores redit, ut Christiferae genealogiae contextum, quem primo intendit, exordiri incipiat. Ait ergo: *Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam*, ob causam quam diximus, *et peperit filium*, qui sanctus ac iustus futurus erat, cuius esset eligenda a Deo progenies, a quo genus emanaret electum, sacerdotale regnum sacerdotiumque regale: *gens sancta, populus acquisitionis* [351]*:* ex quo demum nasceretur Redemptor ac Salvator mundi Iesus Christus, in quo benedicendae erant cunctae gentes terrae.

sed ad Adam revertitur, ut genealogiam Christi edisserat.

Exultat igitur pia mater Eva novae prolis natali et tanti filii exhilarata partu; tota laetabunda gaudii vocem exultationisque emittit laudum et gratiarum plenam: *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Quantos dolores, quantas animi perturbationes, quantosque cordi cruciatus piam matrem Evam sensisse putamus ob filii mortem! Quam gravis tristitia ac moeror eius mentem animumque oppresserat, obrepserat ac veluti gravissimo somno sopierat? Valde enim et ultra quam credi potest diligebat eum; natu enim minores cariores sunt matribus. Et eo magis sibi carissimus erat, quoniam natura quidem erat spectabilis, decorus forma, ornatus moribus, gravis atque modestus, simplex et humilis, innocens et honestus atque pudicus: ita ut nil unquam vitiosum in puero cerneret et ab ineunte aetate nihil nisi virtuosum videret et cogitare et loqui et operari. Cernens ergo pia ac dulcissima mater in filio naturam undequaque spectabilem, corporis pulcritudinem, venustatem aspectus, eloquii suavitatem, elegantiam morum, conversationis affabilitatem, puri animi prudentem simplicitatem, vitae innocentiam et sanctitatem, non poterat non vehementissime eum diligere, non summo in eum amore ferri.

Posuit mihi Deus semen aliud, etc. Ex novae prolis natali maxima laetitia perfunditur Eva,

Quando ergo talem ac tantum filium crudeli morte sensit necatum: quando acerbum et crudele illud occisi filii spectaculum horrendum ac primum funestae mortis primo vidit: cum, inquam, filii dilectissimi corpus exanime, cruentatum, vulneribus undequaque apertum, laceratum ac laniatum vidit; quis existimet quam vehemens eam dolor invasit, quam acutus gladius eius animam pertransivit [352],

quae ob crudelissimam necem Abel maximum dolorem experta fuerat.

351) 1 Petr 2, 9. 352) Cf. Lc 2, 35.

quam crudelis et acerbus mucro materna viscera transfodit, quam miserandam ac dolentem vocem emisit? Heu me, fili mi, fili mi, Abel! Abel, fili mi! Quis te, fili mi [353], occidit? quis te vulneribus istis affecit? quis te interemit, spes vitae meae? quis te ita confregit, baculus senectutis meae [354]? quis te perdidit, lumen oculorum meorum? quis te tam crudeliter vita privavit, solatium vitae meae [355]? Heu me, fili mi! Quis mihi det ut tecum moriar? quis mihi det ut in infernum descendam et videam te filium meum dilectissimum, fili mi, fili mi, Abel, fili mi? Quaenam fera pessima corpus tuum ita laceravit [356]? quaenam cruenta atroxque bestia ita carnes tuas discerpsit? Heu me infelicem mulierem! heu me miserandam et deplorandam matrem, quae prima funestae mortis in filio dilectissimo perspexit triumphum, quae tam lugubre funus ob oculos habeo, quae tam miserandum spectaculum cerno! Eva dicta sum viventium mater [357]: et ecce prima filium mortuum video morte tam crudeli necatum! Moerebam prius, lugebam luctu gravissimo ob transgressionem meam, ob quam alias praeter clades miserandasque calamitates, mortis etiam in me sententia lata fuit. At mortis quidem speciem nondum noveram, nondum videram. Nunc autem, heu, fili mi, quantus mihi luctus, quanta lugendi adaucta est ratio! En me miseram! primam mortis speciem introductam cerno in vitam: mortem violentam, immanem et crudelissimam: mortem a filio flagitiosissimo perpetratam in fratrem eodem patre eademque matre natum: qui nihil nocuerat, nulli unquam malum intulerat: in te filium meum dilectissimum, in te, lumen oculorum meorum, in te, solatium vitae meae, in te, spes salutis meae. Heu me, fili mi, fili mi, Abel! Abel, fili mi! O miserandam matrem! o sortem deplorandam tot amaritudinibus plenam! Quis me, fili mi, consolabitur? imo quis me unquam poterit consolari? *Renuet consolari anima mea* [358], nunquam consolationem recipiam, te filium meum semper lugebo, lacrimae erunt panis meus die ac nocte [359], potus meus sine mensura, quousque *respiciat Deus afflictionem meam* [360] et ipse me consoletur!

Ita multis temporibus pia mater filium suum lugebat; usquequo

353) Ms.: *Mi* repetitur. 354) Cf. Tob 5, 23. 355) Cf. ibid. 10, 4. 356) Cf. Gn 37, 34. 357) Cf. ibid. 3, 20. 358) Ps 76, 3. Vulg.: *Renuit*, etc. 359) Cf. Ps 41, 4. 360) 2 Rg 16, 12. Vulg.: *Respiciat Dominus*, etc.

Prae gaudio nativitatis huius filii, eum Seth vocat, tanquam a Deo positum loco Abel. posuit illi *Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Tunc enim *nova* sibi *lux oriri visa est, gaudium, honor et tripudium*[361]; inde exultans aiebat: *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Post mortem, inquit, Abel ad hunc usque diem semper dolens ac moerens fui ob tanti filii mortem; nunc omnis facessat dolor, quoniam Deus filium alium mihi pro Abel elargitus est, ei similem, ab eo nihili differentem: et quoniam Deus hunc mihi filium dedit, ipse semen hoc in utero meo posuit, ne ullus unquam mihi hunc tollat filium, propterea Seth ipsum vocabo. Seth positus interpretatur.

Vr. 26 *Sed et Seth natus est filius, quem vocavit Enos. Iste coepit invocare nomen Domini.*

Textus Hebraicus: *Et Seth etiam ipsi natus est filius et vocavit nomen eius Enos. Tunc coeptum est ad invocandum in nomine Domini* יהוה.

Textus Chaldaicus: *Tunc in diebus eius coeperunt filii hominum invocare,* sive *orare in nomine Domini.*

Textus Graecus habet hic: *Speravit invocare nomen Domini Dei.*

Acceperunt Graeci verbum: הוחל, *coepit,* sive *coeptum est,* pro: יחל, quod est *speravit.*

Iste coepit invocare, etc. Opinantur Hebraei diebus Enos coepisse homines idola colere. Non simpliciter locus iste exponitur. Nonnulli enim Hebraeorum, praesertim Rabbinus Levi filius Gherson, ita exponunt, ut Rabbinus Abrabanel refert[362]: Ante Enos nescierunt homines pronuntiationem nominis τετραγράμματον[363] יהוה, sed nomen האל in divinis laudibus pronuntiabant. Diebus autem Enos coeperunt τετραγράμματον nomine Deum invocare. Maior autem Hebraeorum pars[364] ad idololatriam id refert, quod Enos tempore coeperint homines idola colere divinumque nomen operibus manuum suarum tribuere et statuis ac simulacris orationes offerre.

At opinio haec omnino reprobanda videtur. At vero id ego probare nunquam potui; neque enim in universa Sacra Pagina reperiri puto ut invocatione nominis Domini τετραγράμματον, idolorum cultus eorumque invocatio intelligatur. Nomen enim illud

361) Est 8, 16. 362) *Tohliot RaLBaG,* h. l.; Abrabanel op. cit. f. 37b. 363) Ms.: *Tetragrammaton,* et infra. 364) Cf. S. Hieronymus *Hebraic. Quaest. in Gen.,* (P. L. 23, 946); Rab. Salomon op. cit. f. 7a; Maimonides *De Idololatria,* op. 1, pag. 1-2; Nic. Lyranus op. cit. f. 47a; Alph. Tostatus op. cit. f. 20b; Fagius, col. 160. 173; Vatablus, col. 177.

ineffabile ac reverendissimum nonnisi Deo vero Scriptura tribuit nec quicquam, etsi sanctissimum ac venerandissimum, citra Deum eo dignatur nomine.

Nec verisimile credo eo temporis idolorum cultum incepisse, cum recens adhuc mundi creationis ac unius Dei creatoris fides esset, cum adhuc primus homo primaque mulier a Deo formati viverent, nec usquam ante diluvium idololatriae superstitio legitur. Deinde si pessimus idolorum cultus intelligendus hic est, profecto nonnisi a pessima illa Cain propagine blasphemus iste ac pessimus cultus emanasset, ab aliquo eius generationis, qui forte contemporaneus Enos fuit. At cur non potius pessimus auctor ponitur aut aliquis filiorum Cain, qui recensiti sunt, cui etiam scelestissimus ille coaetaneus fuisset ?

quia de idolorum cultu Scriptura non loquitur,

Scio quid eorum multi dicant[365]: Iabel tabernacula fecisse ad ponendum idola; Iubal vero coram idolis musica instrumenta, citharam, et organum contrectasse ad honorem eorum. At certe id Scriptura non memorat; quod si fuisset, certe tantum scelus non praeteriisset, sicut nec patris eorum facinus tacuit.

nec memorat quis primo hanc iniquitatem invexerit.

Nos itaque locum hunc ita exponimus. *Sed et Seth natus est filius*, idest filium genuit; tempus, quo genuit eum, sequenti capite Scriptura exarat; *et vocavit nomen eius Enos :* אֱנוֹשׁ, quod est interpretatum h o m o : dictum est autem a voce, quae d o l o r e m , a f f l i c t i o n e m ac d e b i l i t a t e m significat. Hinc in *Psalmo* legimus[366]: *Sciant gentes quod* אֱנוֹשׁ, *homo sunt ;* et illud: *Quid est* אֱנוֹשׁ, *homo, quod memor es eius*[367] *?* veluti dicat: res nullius momenti ac prope nihil. Ea forte ratione Seth filium suum ita appellavit, quod vilis et contemptibilis ac nullius pene valoris infirmusque valde hominibus eius temporis videretur. At vero, quia *infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia ; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret ; ut non glorietur omnis caro in conspectu eius*[368] *:* complacuit sibi Deus hunc debilem, infirmum ac contemptibilem virum eligere, ut cultum suum,

Tenendum est Deum Enos elegisse ad divinum cultum publice instituendum et fideles coetus ad Deum colendum convocandos.

365) Cf. *Talmud Babyl.*, *Sciabbad*, f. 118ᵃ, et loci paralleli citati a Ginzberg op. cit. V, pag. 151 ; Nic. Lyranus op. cit. f. 46ᵇ. 366) 9, 21. Ex hebraico. 367) Ps 8, 5.
368) 1 Cor 1, 27-29.

pietatem ac religionem Dei in mundo instauraret fidelesque coetus et ecclesias convocaret congregaretque ad Deum collaudandum eiusque sacratissimum nomen invocandum et auxilium ab eo orationibus sanctis implorandum.

Hoc est ergo quod dicitur: *Tunc coeptum est invocari nomen Domini:* quod nostra Editio pulcherrima paraphrasi vertit: *Iste coepit invocare nomen Domini.* Eius enim opera factum est, ut nomen Domini in ecclesiis, hoc est fidelibus congregationibus et coetibus invocaretur laudesque divinae facto conventu coram celebrarentur. Unde omnes ab eo descendentes *Dei filii* vocari[369] meruerunt ob divinum cultum, quem solemniter celebrabant.

CAPUT QUINTUM

Vrr.1-2 *Hic est liber generationis Adam: in die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum. Masculum et feminam creavit eos et benedixit illis et vocavit nomen eorum Adam, in die quo creati sunt.*

Textus Hebraicus: *Hic est liber,* sive *haec est enarratio generationum Adam: in die,* vel *a qua die creavit Deus hominem, in imagine Dei fecit eum. Masculum et feminam creavit eos et benedixit eis et vocavit nomen eorum Adam,* idest homo, *in die creationis eorum.*

Chaldaicus Interpres habet: *Hic liber generationum Adam: in die qua creavit Dominus Adam, in similitudine Dei fecit eum. Masculum et feminam creavit eos et benedixit eis et vocavit nomen eorum Adam, in die qua creati sunt.*

Textus Graecus: *Hic liber generationis hominum, qua die fecit Deus Adam, ad imaginem Dei fecit illum. Masculum et feminam fecit eos et benedixit eis et nominavit nomen eius Adam, qua die fecit eos.*

369) Cf. Gn 6, 2.

Hic est liber generationis, etc. Exorditur Moyses genealogiam humanam ad inveniendum populum electum, ex quo Christus nasciturus est.

A nostratum nonnullis[1] verba haec veluti epilogum ac perorationem quandam eorum, quae supra exarata sunt, putantur esse. Nos vero exordium potius generationum sequentium id putamus. Humanarum enim generationum catalogum texere volens Moyses, quemadmodum humanae naturae propago creverit seseque longe lateque in orbem diffuderit, primariam radicem stipitemque eius primum ac originale principium Adam primo statuit loco. Enarrare, inquit, cupio humanarum generationum catalogum, ut populum Dei electum inveniam, ex quo Christus Rex ac mundi salvator, qui *finis est legis ad iustitiam omni credenti*[2], nasciturus sit. Iccirco non alicuius hominum generis tantum principium statuo, vel ab aliquo familiae alicuius parente exordium ducere volo : sed a primo omnium hominum protoplasto parente, a die, qua natura humana Deo auctore est condita, primam omnino hominum originem quaero indeque narrationem meam incipio : *Hic est liber generationum Adam :* idest haec est humanarum generationum enarratio. ספר enim non solum s c r i b e r e significat, unde l i b e r etiam ea voce dicitur, sed etiam e n a r r a r e ac e n a r r a t i o n e m; et אדם non solius protoplasti primique hominum parentis nomen est, sed totius humanae speciei[2a]; unde dicitur: *Et vocavit nomen eorum Adam.* Enarrationem, inquit, hominum genealogiae exordior, non aliquorum hominum, sed in universum omnium prorsus, a principio, *a die qua creavit Dominus Deus hominem,* idest humanam naturam instituit; sequitur enim: *In similitudine Dei fecit illum; masculum et feminam creavit eos :* in masculo enim et femina humana natura perfecta consistit ad propagandum.

Ad similitudinem Dei, etc. Ad imaginem Dei factus est homo secundum rationem, qua fertur ad Deum, et secundum domi-

Uterque autem *ad similitudinem Dei* factus est, Dei imaginem in anima secundum rationem ac dominium et principatum defert. Secundum rationem quidem in mente, notitia sive intelligentia et amore, quibus ad Deum fertur eique conformatur; ac ob id Deus, sicut ipse quidem principatum habet super omnia tam visibilia quam invisibilia, cum omnium conditor et opifex sit, hoc rationale animal

1) Cf. S. Io. Chrysostomus *Hom. 21 in Gen.*, (P. G. 53, 177); S. Eucherius *Comment. in Gen.*, (P. L. 50, 922); Strabus *Glossa Ord. in Gen.*, ibid. 113, 102; Hugo de S. Victore *Adnotat. Elucidat. in Pentat.*, cp. 7, ibid. 175, 45; Nic. Lyranus op. cit. f. 48b; Alph. Tostatus op. cit. f. 30a; Dionysius Cartusianus *Enarrat. in Gen.*, a. 31, pag. 141. 2) Rom 10, 4.
2a) Cf. supra, cp. 1, pag. 191.

nium in creaturas. ad suam imaginem similitudinemque formatum voluit omnium visibilium praefectura gaudere insigneque esse, veluti Deo simile ac semideus.

Et benedixit illis dicens: Crescite et multiplicamini et replete terram... et dominamini piscibus maris et volatilibus coeli[3] ... *et bestiis universaeque terrae*[4]. Gemina benedictio est, sicut geminae sunt hominis partes et singulae singulis respondent. *Crescite et multiplicamini.* Prima benedictio est qua fecundissimam virtutem ad generandum filiosque procreandum tradidit in corpore; dominari vero cunctis animalibus pro anima benedictio est, quae cunctis visibilibus praestat. Hinc David aiebat[5]: *Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quia visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab angelis,* vel *a Deo,* secundum Veritatem Hebraicam. Secundum mentem enim et rationem nonnisi soli Deo homo subiectus est; propterea sequitur: *Gloria et honore coronasti eum et constituisti... super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius.*[6]

Et benedixit illis, etc. Gemina benedictio, corpori ad generandum, et animae ad dominandum, quia his duabus partibus homo constat.

Subinfert deinde Scriptura: *Et vocavit nomen eorum Adam in die quo creati sunt.* Sicut homo quidem apud Latinos communis est generis ac sexum utrumque comprehendit, sicut [graece]: ὁ καὶ ἡ ἄνθρωπος: ita hebraice אדם, generis utriusque est, totam prorsus speciem circumplectens. Praerogativa autem quadam id nomen homini, qui primo formatus est quique primus hominum plastes fuit, tributum est; quare non raro eo nomine primus ille homo insignitur, ceu mox sequitur.

Et vocavit nomen eorum Adam, etc. Nomen *Adam* totam speciem comprehendit, tribuitur tamen specialiter homini illi qui primo formatus est.

Vrr. 3-5 *Vixit autem Adam centum triginta annis et genuit* filium *ad imaginem et similitudinem suam vocavitque nomen eius Seth. Et facti sunt dies Adam, postquam genuit Seth, octingenti anni, genuitque filios et filias. Et factum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta, et mortuus est.*

Textus Hebraicus: *Et vixit Adam triginta et centum annis et genuit in similitudine sua, quasi imaginem suam, et vocavit nomen eius Seth. Et fuerunt dies Adam, postquam genuit Seth, octingenti anni, et genuit filios et filias. Et fuerunt omnes dies Adam, quibus vixit, nongenti anni et triginta anni, et mortuus est.*

3) Gn 1, 28. 4) Ibid. vr. 26. 5) Ps 8, 5-6. Vulg.: *Quoniam visitas*, etc.
6) Ibid. vrr. 6-8.

Ita prorsus Chaldaeus habet.

Graecus vero variat; habet enim: *Vixit autem Adam annos ducentos triginta et genuit ad figuram suam et ad imaginem suam et nominavit nomen eius Seth. Facti sunt autem dies Adam, quos vixit, postquam genuit Seth, anni septingenti.*

***Vixit autem Adam*, etc. Diversimode computatur aetas primorum patriarcharum a textu hebraico et a Septuaginta Interpretibus.**

Nunc generationum catalogum Moyses disserere incipit hominumque a principio texere genealogias. Ab Adam primo homine principium faciens, ait: *Vixit autem Adam centum triginta annis; triginta et centum annis* est in hebraeo: ita enim fert hebraica phrasis ut minor numerus vel semper maiori praeponatur.

Septuaginta Interpretes, nescio qua ratione ducti, centesimos annos ante generationem semper congeminarunt. Inde habent vixisse ducentis triginta annis: annos vero generationes consequentes eo numero minuebant; ubi enim noster textus, qui Hebraicae Veritati conformis est, habet post Seth generationem octingentis Adam supervixisse annis, ipsi septingentos annos habent.

Anni a Scriptura enumerati non intelligendi sunt lunares, idest qui viginti novem diebus explentur,

Dubitatum est autem a nonnullis [7], ut in plerisque aliis assolet, an sint hi, qui numerantur in his generationibus, anni solares ceu nunc apud nos sunt, eo quod annus hic noster ab Eudoxo Gnidio astrologo ordinatus dicatur, quemadmodum Lucanus scribit [8]:

« Nec meus Eudoxi concedet Fastibus annus »;

postmodum ab Hipparcho [9], deinde a Ptolomaeo [10], demum a Caesare [11] sit optimo iure deprehensus et in optimam formam redactus. Ideo existimant plerique [12] lunares esse eos enumeratos annos.

Est lunaris annus spatium id temporis, quo ipsa signiferum in orbem completum [13] peragrat; ceu Saturni quidem annus dicitur triginta annorum solarium tempus, quia eo temporis spatio planeta

7) Cf. S. Augustinus *De Civitate Dei*, lib. 15, cp. 9-13, (P. L. 41, 447-454); Io. Buxtorflus *Dissertationes*, etc. *Dissert. 1 Rab. Abrabanel, De Aetate Primorum Patrum*, pag. 147 sqq.
8) *De Bello Civili*, sive *Pharsaliae*, lib. 10, vr. 187.
9) *Phaenomena*, lib. 1, apud Eusebium Caesar., (P. G. 19, 1002 sqq.).
10) *De Apparentiis*, apud Petavium *De Doctrina Temporum*, t. 3, pag. 42-59.
11) Cf. Theodorus *De Mensibus*, (P. G. 19, 1190); Censorinus *De Die Natali*, cp. 20, pag. 149-150; Alexander ab Alexandro *Geniales Dies*, lib. 3, cp. 24, f. CXXVII[b]; Greg. Gyraldi *De Annis et Mensibus*, pag. 51-52.
12) Cf. S. Augustinus *De Civitate Dei*, lib. 15, cp. 14, (P. L. 41, 454-455); et not. 7 huius cp.
13) Ms.: *Comple.*

ille firmamenti zonam peragit; Iovis autem annorum duodecim; Martis duorum; Solis unius; Veneris et Mercurii fere idem est cum sole temporis spatium. Lunae autem annus viginti novem diebus et ter quater horis expletur; eo enim tempore obliqui circuli peragit circulationem. Quapropter annus lunae vix solaris est mensis; nam menses duodecim diebus undecim excedunt annos lunae duodecim, idest duodecim lunationes.

quia absurdum consequeretur aliquos ex illis primaevis hominibus a tempore infantiae gignere coepisse et in pueritia mortuos fuisse;

At certe quod isti existimant, verum nullo pacto esse potest. Etenim in hac generationum serie Malaleel[14] sexaginta quinque annorum dicitur genuisse Iared; quod si lunares anni isti sunt, quinque annorum solarium puer fuisset cum filium genuit. Similiter Enoch sexaginta quinque annorum dicitur, cum genuit Mathusalem[15]; et ipse quinque annorum solarium et dimidii vix fuisset. In generationibus autem Sem, Sale triginta annorum dicitur[16], cum genuit Heber; profecto si lunares hi anni sunt, vix annorum solarium duorum et dimidii fuisset. Quid absurdius quam ut puer bimus filium gignat? Similiter in reliquis generationibus, quae possibilia non sunt. Demum de Abrahamo dicitur: *Fuerunt autem dies vitae Abraham centum septuaginta quinque anni; et deficiens mortuus est in senectute bona provectaeque aetatis et plenus dierum congregatus... est ad populum suum*[17]. At centum septuaginta quinque anni lunares vix quindecim solares annos efficiunt. Num quindecim annos natus senex est et provectae aetatis? Moyses etiam annorum decem fuisset cum mortuus est, centum enim et viginti annos natus defunctus dicitur[18], si anni lunares accipiendi sunt.

neque duodecim lunationes, demptis undecim diebus, quia tunc pascha Hebraeorum totum annum successive circuisset;

Neque lunares anni intelligendi hic sunt quatenus spatium est annus duodecim lunationum in anno solari invicem transeuntium, qui undecim diebus ab anno solis deficit. Ita enim plerique accipiunt, existimantes id ita debere intelligi, quoniam Hebraeis M o y s e s scribebat, qui anno eo lunari utuntur. Neque enim lunarem annum Iudaei usui habent, alioquin pascha iam totum circuisset annum; etenim ex legis mandato[19] quartadecima primi mensis luna pascha celebrare tenentur. Quod si per lunares annos tempora computarent, revoluto anno celebraretur ab eis pascha undecim diebus ante solemni-

14) Cf. Gn 5, 15. 15) Cf. ibid. vr. 21. 16) Cf. ibid. 11, 14. 17) Ibid. 25, 7-8.
18) Cf. Dt 34, 7. 19) Cf. Lv 23, 5; Nm 9, 3-5.

tatem paschalem praecedentis anni; et sic deinceps totum circuiret annum.

Solaribus ergo annis utuntur Hebraei et eatenus lunares usui habere dicuntur, quatenus a prima luna post vernale aequinoctium anni initium sumunt. Ita enim mandatum habent in lege: *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni*[20]. Deinde ipsimet Hebraei de annis solaribus hunc locum intelligunt et exponunt, uti hic Rabbinus Abrabanel longo sermone disserit.[21] Ea praeter, etsi anni lunares intelligendi hic essent, profecto in idem tempus inciderent; lunares enim anni per embolismos tertio quoque anno factos, cum duodecim lunationibus supercrescens tertia decima lunatio additur, aequantur solaribus. Idem igitur tempus erit.

sed veri anni solares, sicut ipsi Hebraei intelligunt, hunc locum exponentes.

Itaque anni solares intelligendi sunt, cum dicitur: *Vixitque Adam centum triginta annis*, et deinceps in omnibus aliis [locis] ac in toto Scripturae decursu. Est enim solaris annus antiquissimus, non post multa tempora deprehensus. Et enim ab Aegyptiis antiquissimis et sapientissimis astrologis[22], ante quam litterae essent repertae, in hieroglyphicis per serpentem suam caudam mordentem erat designatus in modum circuli depictum; annus enim veluti anulus quidam est, quod in se veluti anulus redeat, sequensque principium anni praeteriti extremum denotat. Demum luminaria in dies et annos facta sunt[23].

Et genuit filium *ad imaginem et similitudinem suam.*

Effecit Deus hominem *ad imaginem et similitudinem suam*[24]; homo etiam in sua imagine et similitudine filium gignit. At certe imago illa divina, in qua factus est homo, etsi naturalis dici quoquo pacto possit, quoniam naturae est insita in eiusque ratione consistit, artificialis tamen commodius dici meretur, quoniam divinae artis figmentum est. Siquidem Deus omnium artifex, naturam humanam fingens, suam ei imaginem similitudinemque impressit fecitque veluti artifex simulacrum quoddam divinum divinam naturam adamussim, quoad fieri potest, repraesentans, veluti Herculis simulacrum et imago Caesaris in census numismate. Huius autem similitudinis imitationisque

Genuit ad imaginem, etc.
Imago divina in homine potius artificialis dicenda est; imago vero hominis in filio connaturalis.

20) Ex 12, 2. 21) Op. cit. f. 39ª. 22) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 5, cp. 36, (P. L. 82, 222); S. Beda *De Temporum Ratione*, cp. 35, ibid. 90, 459-462; Alexander ab Alexandro *Geniales Dies*, lib. 3, cp. 24, f. CXXVIIª; Scaliger Ios. *De Emendatione Temporum*, lib. 3, pag. 194. 23) Cf. Gn 1, 14. 24) Ibid. 1, 26-27; 5, 1; 9, 6.

extrema relata, diversae prorsus naturae sunt. Aliud enim Deus natura, et aliud homo est, etsi ad Dei imaginem et similitudinem homo sit : sicuti aliud Hercules et aliud statua, etsi haec illum imitatur. At vero imago illa atque similitudo, cum[25] homo filium gignit, et naturalis et connaturalis est, quoniam eiusdem naturae sunt pater et filius eandemque habent humanae substantiae rationem, etsi alia atque alia uterque hypostasis et persona sit.

Ideo sensus Scripturae est Adam genuisse filium eiusdem prorsus naturae.

Est itaque Scripturae sensus quod genuit Adam filium *ad imaginem et similitudinem suam*, idest sibi connaturalem, natura sibi similem, eandem naturam communicantem, naturae eandem essentialem tum in anima tum in corpore tum in utriusque viribus ac potestatibus rationem habentem. Quod quidem in universum de aliis quoque omnibus intelligendum est ; omnes enim homines ab Adam propagati eandem naturae rationem sortiuntur usiamque humanam communicant, quam primus homo accepit.

similem sibi etiam proprietatibus corporis et virtutibus animae.

At certe quod magis de hoc filio dicatur, inde forte fuit, quod suppositalem patris naturam a nativitate magis sit imitatus structura corporis, forma, figura, lineamentis, colore, complexione, et demum statura ac magnitudine, iam vir perfecta aetate factus ; postremo vero quod paternae mentis animique imitatus sit pietatem cultusque divini religionem, fidem, propositum, institutionem, doctrinam, mores, ac recte vivendi normam et rationem. Ideo pater eius tanti filii exultans natali, vocat *nomen eius Seth*, idest *positum*, sive fundamentum stabilitum, firmatum, suscitatum. Noverat enim Abel quidem evanuisse e mundo non relicto semine ; Cain autem generationem esse delendam aquis diluvii, ita ut nec unus superstes maneret ; hunc autem filium a Deo sibi suscitatum et datum, firmatum et stabilitum per aeternam electionem et praedestinationem, ut eius in mundo permaneret propagationis successio in perpetuum et ipse veluti fundamentum esset permansurae et eligendae propaginis ac generationis.

Ob huius filii nativitatem consolatus Adam de morte Abel.

Post genitum autem electum hunc filium, gaudens tanti filii praesentia ac necessitudine successioneque felici, octingentis supervixit annis. *Et factum est omne tempus vitae eius nongenti triginta anni* solares, *et mortuus est :* post tot temporum decursos annos, morte tandem vitam finivit ; *statutum est* enim *omni homini semel*

25) Ms.: *In*, loco: *Cum*.

mori[26] in peccati poenam. Ante peccatum enim non mori poterat, si mandatum servasset; post perpetratam vero noxam, mortis sententiae subactus est ut moreretur aliquando. Nec longo post tempore mortis speciem perquam terribilem in vitam introductam vidit in dilectissimo filio; nunc autem ipse eadem sententia vita functus est.

reliquos dies suos in pace duxit.

Sed non modicam habet difficultatem quid in causa sit, quod homo morti subiaceat et moriatur. Etenim si unumquodque sua forma et actu consistit, cum ipsius hominis anima, quae corporis actus est, incorruptibilis immortalisque sit, ut supra causati sumus[27]: unde est quod moritur homo si eius nunquam forma corrumpitur? Certe aut fateri necessum est cum moritur homo ipsam quoque animam deperire: aut ipsam non esse corporis essentialem formam, sed assistentem; eam autem quae essentialis est [forma] homini, cum ipso depereunte mori: quod enim informat, a sensibilibus materiae dispositionibus pendet, quibus remotis emoritur. Si itaque corporis forma est anima, ab eius dispositionibus pendet, quibus corruptis deperibit; quod si non deperit: non informat ergo; id enim vel eo dilemmate constabit, quoniam si informat uniturque substantialiter corpori, certe aliqua dispositione unitur: id certum est.

Et mortuus est. **Quaeritur: cur homo moritur?**

Difficultas: Si anima est forma essentialis corporis, a dispositione materiae pendere videtur; ideo, hac pereunte, ipsa quoque peritura est.

De ea autem unione quaeritur: sit ne animae substantialis, an accidentalis. Si substantialis est: ergo ea depereunte, cum homo moritur, ipsa quoque anima peribit; non enim absque eo, quod essentiale sibi est, permanere potest. Si vero accidentalis: est ne accidens illud ex propriis, an ex communibus? Si ex propriis: eo igitur destructo, anima destruetur; non enim absque eo, quod sibi proprium est, potest consistere. Si vero ex communibus erit; ergo absque ea unione anima poterit uniri corpori eritque unita absque unione, quod impossibile est. Fatendum ergo erit vel animam mori, vel non informare, vel non mori hominem.

Alia difficultas: Si unio animae ad corpus est tantum accidentalis, non erit anima forma corporis, sed simpliciter assistens.

At cum manifestissime hominis mors prae oculis quotidie conspiciatur, ex illis rationibus alii quidem animam mortalem et corruptibilem asseruere; alii vero corpus non informare, sed ei assistere, sicut nauta navi et intelligentia orbi.

Ita Plato sensit[28], putans hominem solum animam esse;

ut sentiunt Plato.

26) Hebr 9, 27. Vulg.: *Hominibus.* 27) Cp. 4, pag. 373-378. 28) *Dialogus Alcibiadis I,* t. 2, pag. 129-130: « quia anima est illa quae imperat corpori in homine ». Cf. S. Thomas

corpus autem non hominis partem, sed animae instrumentum et mobile esse.

Themistius,

Themistius quoque animam assistentem existimavit[29] substantiamque incorpoream, immortalem ac sempiternam, unam numero in omnibus hominibus, sensitque hominem in tali forma substantialiter consistere, nec aliud esse quam eam formam quae dicitur intellectus.

et Averroes.

Demum **Cordubensis Averroes**, impiissimus mahumetanus, duas in homine animas finxit[30]: alteram quidem essentialem ei, per quam a ceteris animantibus distinguitur: hanc autem una cum suis viribus et facultatibus sensitivam totam aiebat, organicam et de materiae potestate eductam, multiplicem iuxta hominum multitudinem et cum ipsis morientibus depereuntem; alteram vero intellectualem posuit, non informantem, sed assistentem, per quam homo nec a ceteris distinguitur, nec suammet speciem sumit. Hanc autem aiebat incorpoream ac sempiternam in omnibus hominibus, unam singulos praecedentem et post singulos superstitem manentem; singulis tamen per phantasmata unitur, ut per eam quisque intelligat. Hunc ait intellectum substantia unum, respectu autem phantasmatum diversorum hominum, in quibus operatur, multiplicem.

Hae sententiae deliramenta sunt.

At vero haec deliramenta fatuissima sunt. Quapropter nos hucusque progressi causabimur primo: impossibile esse in omnibus unam tantum esse animam rationalem; secundo vero: probato quod in singulis hominibus singulae sint propriae rationales animae, eas propria corpora informare; tertio: demum disseremus causam cur moriatur homo, si eius forma immortalis incorruptibilisque est.

Admitti nequit unus intellectus

Principio ergo, ex unitate intellectus in omnibus hominibus tot sequuntur impossibilia, ut nil magis; imo tot ridicula, ut vix possit quis risum cohibere. Sequitur enim quod unicus ille intellectus in uno

S. Theolog., 1ª, q. 76, a. 3-4. 6, ubi expresse Platonem confutat; sic quoque S. Bonaventura *Sentent.*, lib. 2, dist. 18, a. 2, q. 2; Conimbricenses *De Anima*, lib. 2, cp. 1, q. 6, a. 2.
29) *Paraphrasis in Aristotelis De Physica et Anima, De Anima*, lib. 3, cp. 32-38, pag. 199-202. Cf. etiam S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 76, a. 2; *Contra Gent.*, lib. 2, cp. 73; S. Bonaventura *Sentent.*, lib. 2, dist. 18, a. 2, q. 1.
30) *Digressiones in Omnes Libros Metaphysicae Aristotelis, Digressio super text.* 22, lib. 7, pag. 316-320; *De Anima*, lib. 1, cp. 1, f. 4ª. Cf. S. Thomas Opusc. 9, *De Unitate Intellectus contra Averroistas*, t. 19, pag. 246-247.

quidem sapiens, in alio autem esset insipiens; in uno stolidus et errans, in alio solers ac recte sciens; in uno bonus ac iustus, in alio iniustus et nequam; in uno felix, in alio miser; adeo ut in uno numero intellectu innumerabiles essent contrarii habitus: actus quoque absque numero contrarii et contradictorii simul eodemque in tempore. At quis, etsi somnians, haec capiet? pro omnibus, ob infinita absurda quae inde sequuntur.

Praeter id et aliud secundo insequitur: absurdissimum enim quod nequissimus homo, protervus ac stolidissimus, intellectum haberet rectissimum, sapientissimum et optimum; e contra vero vir prudentissimus et optimus intellectum haberet nequissimum ac summe perversum; id certe sic est cum sit unus ac idemmet in utrisque intellectus, sua secum deferens et mala et pariter bona. Esset enim idem homo contrariis habitibus praeditus.

Tertio: una eademque res naturaliter in pluribus ac pene infinitis locis simul tempore esset. Annon in multis ac pene innumeris distinctis ac longe a se distantibus locis sunt homines? Quod si id conceditur: ergo et quaelibet alia res poterit virtute naturae in multis simul locis esse; eadem enim est utrobique difficultas, idem incommodum. In pluribus distantibusque locis eodem tempore existens.

At dicas mihi, o Averroes, et quotquot hac stultitia insanitis: quomodo unicus hic intellectus omnibus assistit hominibus atque unitur? Cum homines sint hinc inde dispersi, num etiam mediis assistit interstitiis? Si id fatearis: quamnam intellectus ille operationem habet in mediis illis? Aut cur non et equi et animalia quaelibet alia intelligent, cum et ipsa vim habeant cogitativam et phantasmata eadem sint nobis cum illis communia? Certe si et mediis ea intelligentia unitur in phantasmatibus, et equi intelligent. At si id non fatearis: quomodo potest ea intellectilis assistens forma pluribus ac pene innumerabilibus hominibus, hinc inde toto orbe dispersis atque diffusis, uniri absque quod mediis quoque interstitiis assistat cum una sit numero impartibilis et indivisibilis omnino? Plane impossibilia sunt haec.

Deinde: si unus est tantum numero intellectus per quem omnes intelligunt, quaeso: quomodo homines a se invicem et a brutis differunt? Per cogitativam, inquies. At dicas mihi: est ne cogitativa haec quam fingis, rationalis anima, annon? Si fatearis esse: ergo discurrit, ergo absque illo intellectu intelligit: non enim potest discursus esse sine intellectu; in discursu enim semper universalia sunt, quae nonnisi Nec differrent homines inter se, nec homines a brutis;

intellectu dignoscuntur; sensus enim semper particularium est. Erit itaque intellectus et ratio in omnibus hominibus absque eo intellectu, quem fingis. At si rationalis non est, sed secundum se rationis expers: homo igitur secundum suum esse brutum animal erit, nec liberum animal, sed libertatis expers; ubi enim ratio non est, non est libertas. Perbellum certe animal et magnum naturae miraculum homo erit, si brutum animal sine ratione et libertate est.

Imo homo simul esset et rationale animal et brutum.

Ulterius: quomodo intelligit homo si ab eo separatus est intellectus? Per phantasmata, inquies, quia intellectus ille separatus unitur phantasmatibus: ergo absque phantasmate non intelligit homo: non igitur Deum, intelligentias et spiritualia quaeque intelligere poterit, sed sensibilia tantum; horum enim, et non intellectualium substantiarum vel etiam accidentium spiritualium, phantasmata sunt. At haec quis admittat?

Nec explicari possent actiones intellectivae hominis.

Postremo: forma ista assistens dat ne essentialem homini constitutionem, annon? Si dicas quod non, ut fateris, Averroes, sed cogitativa organica de materiei potestate educta hominem in esse constituit: anima ergo hominis mortalis est et corruptibilis forma; quod absurdissimum est, et tu quoque abhorres et contra Alexandrum proclamas [31]. Insanis ergo nec tibi ipsi constas. Tu enim immortalem animam dicis, ut vere est; tua autem hac positione eius immortalitatem evertis ponisque mortalem, atque ad tuam hanc positionem omnia, quae animae mortalitatem insequuntur absurda et incommoda, absque ulla tergiversatione sequuntur.

Demum ipse Averroes sibi contradicit, ponens animam immortalem et assistentem;

Si vero essentialem praestet homini constitutionem, ut tu fateris, Themisti: haec tua itaque anima, cum una numero sit in omnibus immortalisque perseveret post mortem, erit et sapiens et insimul insipiens; ac cum ipsa primum sit habituum virtutum ac vitiorum subiectum, erit omnibus quidem virtutum habitibus ornatissima et omnium vitiorum sentina foetidissima; cumque ipsa quoque sit bonorum malorumque operum origo et principale agens, erit omnium quidem bonorum operum iustissimorumque meritis laudibusque cumulatissima atque ditissima, ac insimul omnium scelestissimorum facinorum pravissimorumque demeritis perditissima. Quare et studiosissima erit

sicut et ipse Themistius, cuius positio omnem virtutem destruit,

31) *De Anima*, lib. 1, cp. 1, f. 6ᵃ; Alex. Aphrodisius *De Anima*, lib. 1, in paraphrasi: *Quod inseparabilis est anima a corpore cuius est anima*, pag. 76.

et deterrima, iustissima et iniustissima, imo felicissima ac miserrima. At quis horrenda haec monstra feret?

Plane sententia ista omnes bonos extirpat ac depravat mores, omnes leges, omnes evertit respublicas, omnem naturam confundit, omnem scientiam veramque philosophiam destruit theologiamque omnino exinanit. Quodnam enim iustorum et iniustorum esset discrimen, praedestinatorum et reproborum, salvandorum et damnandorum? Quodnam virtutum bonorumque operum praemium et vitiorum facinorumque punitio? Certe si probabile quis dicere unquam potest ut eadem sit Christi iustissimorumque quorumcunque hominum et Iudae scelestissimi perditissimorumque quorumcunque aliorum hominum anima, utque eadem regno beetur coelico felicissime et tartareis ignibus damnata crucietur miserrime, quis unquam sanus mente haec fatebitur?

bonos mores extirpat, rempublicam evertit, philosophiam et theologiam omnem labefactat.

Absurdissimum itaque et plane impossibile est unam in omnibus hominibus esse animam rationalem et intellectualem; sed in unoquoque propria ac particularis est, in singulis hominibus singulae; hinc enim nullum sequitur inconveniens, nullum incommodum, nec quicquam sunt inconvenientia, quae ipsi adducunt.

Admissa autem theoria catholica, nullum inconveniens sequitur.

Aiunt enim quod, si singularis esset intellectus, utique in materia esset, nec universalia posset intelligere, cum singulare non possit universalis speciem recipere. At profecto argumentum hoc vanum est et in ipsos retorquetur. Nam intellectus, quem ipsi ponunt, vel universalis est, vel singularis natura consistens. Si universalis est: ergo platonica aliqua idea erit, quas A r i s t o t e l e s tantopere [32] et ipsi quoque impugnant et tanquam inconvenientissimum et impossibile insectantur. Si vero singularis natura est: ergo materia erit, nec poterit species universalium recipere nec ipsa intelligere. Non ergo sibi ipsis constant. Intelligant ergo non singularem naturam universalis cognitioni impedimento esse. Nam et species ipsa repraesentans singularis plane est, a subiecto singularitatem accipiens, et particulare quoddam accidens est: sed organum est quod illius cognitioni praestat impedimentum; species enim in organo recepta corporeum accidens et divisibile est: nihil autem tale potest uni-

Intellectus singularitas enim non impedit cognitionem universalis,

32) *De Anima*, lib. 1, cp. 2, t. 1, pag. 381; *Metaphysic.*, lib. 6, cp. 14, t. 2, pag. 532; lib. 12, cp. 5, pag. 565.

versale, quod immateriale est, repraesentare. At nos intellectum quidem singularem organo non affigimus, ut virtus organica sit, ideo species in intellectu recepta spirituale accidens est, potens universale in sese repraesentare.

Animam rationalem esse substantialem formam corporis humani, dogma fidei est et postulatum rationis.

Missis ergo eorum aliis deliramentis, iam ad secundum propositum accedamus, probantes quod rationalis anima forma sit essentialis hominis. Ea plane veritas sacri senatus consulto iam satis stabilita firmataque est primo, in concilio Viennensi [33], sub Clemente V; habetur etiam in *Clementinis, De Summa Trinitate et Fide Catholica*, cp. unico [34]; postmodum vero in Lateranensi concilio [35], sub Leone X, *sessione 8*. Ideo tenenda firmiter est. Non ab re tamen erit nonnullas hic rationes iuxta naturalem rationem et veram philosophiam adducere.

Anima est actus primus corporis humani:

Et primo quidem: animam ita Aristoteles definivit [36], quod actus primus sit corporis physici, organici, potentia vitam habentis. Ἐντελέχεια autem, quod ibi ponitur, significat id quod perficit, consummat et complet: quod proprie actus est informantis. Non potest autem nauta ἐντελέχεια [37] navis dici.

ergo unitur illi secundum formam, non secundum operationem tantum.

Deinde vero si actus primus est: non ergo secundum operationem tantum unitur corpori, ut nauta navi; operatio enim actus secundus est: actus vero primus est forma, a qua operatio emanat.

Deinde in homine quidem nonnisi una est anima et ea rationalis virtute sensitivam et vegetativam continens, sicut tetragonum trigonum. Quod vel inde patet; nam animae quidem actiones se mutuo impediunt: contemplatio sensationem imo et nutritionem, et sensatio contemplationem. Si autem haec a pluribus animabus venirent, non necessario sibiipsi impedimentum afferrent, sed unaquaeque, absque alterius impedimento, suum obiret munus. Una est ergo anima, a qua sunt haec.

Si ponantur tres animae in homine,

Deinde quia si tres animae distinctae in homine ponerentur, ut Plato posuit [38]; intellectivam in cerebro, sensitivam in corde et vegetativam in epate, tunc hae tres distinctae animae particulares

33) Cf. Denzinger–Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 480. 34) *Lib. 6 Decretalium Clementin.*, lib. 1, tit. 1, pag. 8. 35) Denzinger–Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 480; Aem. Lud. Richter *Decretalia*, lib. 1, tit. 1, cp. 1, col. 5. 36) *De Anima*, lib. 2, cp. 1, t. 1, pag. 387. 37) Ms.: *Entelechia*. 38) *Timaeus*, t. 3, pag. 69-70. 99-100; cf. Averroes *De Anima*, lib. 1, cp. 1, f. 3b; cp. 7, f. 45b.

triplex constituerent individuum in homine, idest unaquaeque suum, et ita et homo triplex individuum esset in triplici specie; ac ita homo non species quaedam esset distincta, sed totum quoddam per aggregationem eorum, quae per illas tres animas constituuntur.

tria individua in unum aggregata in triplici specie constituerent.

Quod si tres illas unum dicis efficere: quomodonam, quaeso, plures illae distinctae animae uniuntur, ut unum efficiant et componant? Si itaque una tantum in homine anima est: non ergo erit ut motor, sed ut forma; motor enim in una tantum mobilis parte est: anima autem in toto corpore et singulis eius partibus est; cum enim in toto corpore ac partibus singulis animae operationes perspiciantur, certe et animae vires et potestates in toto corpore erunt. Quod si eius potentiae ubique in toto corpore sunt: ergo et ipsa anima; si enim vis tantum et operatio sine anima ibi essent, quae earum principium est, profecto cum alia forma et violenter essent, sicut in aqua calor; absurdissimum autem est ut naturales vires et operationes violentae sint; imo impossibile: naturale enim et violentum sibi invicem contrariantur.

Praeterea: propria cuiusvis rei operatio a propria forma dimanat. At intelligere, etsi per discursum, propria est hominis operatio: erit itaque a propria forma; non intelligimus autem nisi per intellectivam animam.

Praeterea intellectio cum sit actus immanens, in nobis formaliter erit; ergo et anima qua principium intellectionis.

Deinde: quidquid in nobis est, vel est materia, aut forma, vel ex his compositum. At anima quidem in nobis est; experimur enim nos intelligere: sicut nos intelligere solem tota terra maiorem id experimur, sicut nos videre solem. Ista autem experientia intellectio est, quoniam per sensum fieri non potest. Intellectio autem haec, cum actus sit immanens, in nobis formaliter erit: ergo et intellectiva potentia, a qua et in qua est; quare et anima erit, quae principium eius potentiae est. Cum ergo in nobis sit anima, nec materia sit nec compositum, certe forma nostrae materiae, idest corporis erit.

Absurde affirmat Plato hominem solam animam esse, quia anima non est corpus; homo autem corpo-

At dicebat Plato hominem solam animam esse[39]; corpus autem eius mobile et instrumentum esse. Sed istud stare nullatenus potest. Homo enim rationale animal est: ergo substantia corporea, animata, sensibilis rationalisque est. Quod si homo secundum suam rationem substantia corporea est, sola anima esse non potest, quae

39) Cf. not. 28 huius cp.

rea substantia est.

simplex forma, non corpus est. Non igitur anima homo est, sed hominis altera pars ipsum essentialiter constituens, integrans, perfectumque reddens. Anima itaque singularis et propria in quolibet singulari homine est, corpus informans et ipsum in esse constituens.

Deveniendum nunc est ad tertium, quod proposuimus : cur scilicet si immortalis est haec hominis forma et incorruptibilis, ipse tamen moritur? Non est usque adeo facile huic respondere quaesito; nos tamen, Deo duce, quibusdam praeiactis fundamentis, perfaciliter hunc dissolvemus gordianum nodum.

Homo moritur quia anima, quatenus forma corporis, intellectiva et sensitiva est;

Advertendus itaque primo erit animus, rationalis animae eam esse naturam, ut nec pure intellectualis substantia sit, nec pure sensitiva forma; sed media quaedam substantia utrumque complectens. Adeo enim intellectualis est, ut principium etiam sit sentiendi, quo ab intelligentiis differat : et sensitiva adeo est, ut sit quoque intelligendi principium, quo a puris formis differat. Utrumque tamen sub una simplicique substantia continet, unde ὁρίζων [40] dici solet spiritualium corporaliumque formarum. Hinc manat quod anima quidem rationalis secundum suum esse actus informans sit : non enim aliter sensitivam naturam comprehenderet; est tamen sic forma ut a materia, quam actuat, non omnino dependeat, sed possit per se separata consistere secundum quod includit intelligendi naturam. Unde geminae ab anima vires potestatesque dimanant : quaedam quidem quatenus sentiendi principium est ac forma; et hae quidem sensitivae sunt organis affixae, animae corporique communes, cum ab ipsa, quatenus forma corporis est, procedant; quaedam vires intellectivae sunt ipsiusque propriae quae ab ipsa, quatenus apta nata est per se existere, dimanant. Idem de operationibus, quae mediis potentiis exercentur, intelligendum est. Anima itaque qua parte sensitiva est corpus informat; qua parte vero intellectiva, nequaquam; et illud quidem infimum animae, hoc vero supremum dicitur, quod corporeis organis non utitur. Hinc est quod intellectus nonnunquam separatus dicitur; non quod reipsa separetur [41], ac per se subsistens intelligatur

et quatenus intellectiva independens est a corpore in operando;

quatenus sensitiva autem eget organo corporeo bene disposito ut illi unita permaneat.

40) Ms.: *Orizon*. Cf. S. Thomas *S. Theolog.* 1ª, q. 77, a. 2, c. In *Indice* sub dictione: *Anima*, n. 29, secundum nostram editionem : « Anima rationalis est quasi *orizon* et confinium corporeorum et incorporeorum ». Cf. etiam Conimbricenses *De Coelo*, lib. 2, cp. 1, q. 2, a. 2.
41) Ms.: *Separatur*.

ab anima abstractus, vel ipsa abstractior; sed quia animae virtus organica non est, nec corpori inhaeret ut ab eo separari non possit: inextensus enim immaterialisque est.

Rationalis igitur anima secundum intellectum per se potest existere et operari; secundum sensum vero corporeis organis bene dispositis indiget. Cum ergo uniatur corpori secundum inferiorem sui portionem, quatenus vivificandi, vegetandi sensumque praestandi vires potestatesque obtinet, ut et vivificare et vegetare et sensum corpori praestare possit, dispositionem requirit in corpore – sensus enim in harmonia quadam consistit, – ideo mixtionis elementorum qualitatumque primarum proportionem, temperiei complexionisque aequalitatem, organorum optima dispositione constantium multiplicitatem, subtiliumque spirituum tum naturalis tum vitalis tum animalis agilitatem, vitalis humidi ubertatem calorisque vivifici sufficientem rationem. Hae nimirum dispositiones corporis requiruntur, ut anima unita corpori permaneat; quarum si qua aut desit, aut plus satis deficiat, unio illa animae ac corporis dissolvetur et corrumpetur omnino, iis dispositionibus corruptis. Harmonia enim organorum dispenditur, sine qua, cum non possit sensus consistere, anima per sensum corpus informans a corpore separatur.

Ideo cessante dispositione corporis, anima illud informans consistere nequit;

et deficiunt eius vires et operationes sensitivae et vegetativae;

Mors itaque hinc accidit homini, etsi eius forma immortalis sit, quod anima a corpore separatur; separationis autem causa est, quoniam unio animae cum corpore a corporis dispositionibus pendet: quibus corruptis, dissolvitur unio, coniunctionis vinculis dissolutis. Dispositiones itaque illae animae quidem omnino accidunt; potest enim absque illis anima per se consistere, quia ab ipsis non pendet omnino; unionis autem non accidunt, sed necessario requiruntur; ideo illis positis ponitur unio, et corruptis corrumpitur.

permanet autem qua intellectiva, quia a corpore omnino independens.

Dilemma autem illud primo positum plane vanum est. Quomodo enim sequitur, ut si substantialis vel propria sit ea unio animae, illa corrupta ipsa quoque anima corrumpatur: si vero omnino accidens, ut sine unione possit esse unita? Certe ego sic argumentabor: planum certe est quod materia ipsa formae unitur ignis: si ergo illa unio essentialis erit materiae, illa destructa corrumpetur materia; similiter si accidentalis propria; si vero communis: ergo absque unione unitur materiae. Vide quam vanum sit illud dilemma, quam bella illatio: si unio animae accidit: ergo sine unione erit unita;

Ergo non valet illatio: si anima substantialiter unitur corpori, destructa unione, ipsam quoque destrui necesse est.

ergo si albedo homini accidit, sine albedine erit albus. Dico itaque a dispositionibus corporis non animam, sed animae unionem pendere; eam autem unionem ab anima separabilem esse, non tamen ut maneat unita; sicut albedo separabilis ab homine est, non tamen ut maneat homo.

Nunc itaque, his sic visis, ad propositum unde digressi sumus revertentes, dicimus quod Adam quidem mortuus est, non per animae corruptionem, sed separationem a corpore. Separata est autem anima ob corruptionem dispositionum naturalium, e quibus dependet unio, maxime ob defectum vitalis humidi, quod nutrimentali humore quotidie in deterius restauratum tandem defecit, calore etiam vivifico et spiritibus plus longe debilitatis ac dissolutis, quam possent sensuum organa totumque corpus fovere. Iam ergo humido calidoque una cum spiritibus consumptis harmoniaque ob siccitatem frigiditatemque nimium excrescentes destructa, *mortuus est.*

Vrr. 6-8 *Vixit quoque Seth centum quinque annis, et genuit Enos. Vixitque Seth, postquam genuit Enos, octingentis septem annis, et genuit filios et filias. Et facti sunt omnes dies Seth nongenti et duodecim anni* [42], *et mortuus est.*

Textus Hebraicus: *Et vixit Seth quinque annis et centum annis, et genuit Enos. Et vixit Seth, postquam genuit Enos, septem annis et octingentis annis, et genuit filios et filias. Et fuerunt omnes dies Seth duodecim anni et nongenti anni, et mortuus est.*

Vixit quoque Seth, etc. **Mos est Hebraeorum minores numeros maioribus praeponere.**

Phrasis hebraica est, uti supra diximus [43], minores numeros [44] maioribus praeponere, ea forte ratione quod secundum naturam minor numerus maiorem praecedit, cum sit unitati propinquior, a qua omnes numerorum species emanant. Id tamen ad Scripturae intelligentiam nil refert. Nam Chaldaeus Interpres eam phrasim invertit; habet enim:

Et vixit Seth centum quinque annis et genuit Enos. Et vixit Seth, postquam genuit Enos, octingentis septem annis, et genuit filios et filias. Et fuerunt omnes dies Seth nongenti duodecim anni, et mortuus est.

Graeci, ex more, e sequentibus annorum centenariis unum demunt adduntque priori et faciunt ducentos et quinque annos cum genuit Seth.

42) Vrr. 7-8. Vulg.: *Genuitque... Nongentorum duodecim annorum,* loco: *Et genuit... Nongenti duodecim anni.* 43) Pag. 427. 44) Ms.: *Numero.*

Inquiunt hic Hebraeorum nonnulli, praesertim Rabbinus Abrabanel[45], quod cum spiritui suo dominatus sit Adam vixeritque ab uxore sua separatus centum triginta annis, ob id dies eius usque adeo protracti in longaevum sunt, ut nongentis triginta annis vixerit. At vero quia Seth coniugium copulamque cum uxore citius patre contraxit annis viginti quinque – annorum enim centum quinque erat cum genuit Enos, Adam vero centum triginta, – propterea, post genitum filium, annis octingentis septem vixit, nunquam alias ab uxore separatus, genuitque filios et filias; et quemadmodum coniugium acceleravit prae patre suo viginti quinque annis, ita praecisae sunt dies vitae eius a diebus patris sui decem et octo annis; Adam enim nongentis triginta, ipse vero nongentis duodecim [vixit].

Iuxta Rab. Abrabanel Seth mortuus est citius Adam, quia citius eo coniugium acceleravit.

Vrr. 9-11 *Vixit vero Enos nonaginta annis, et genuit Cainan. Post cuius ortum vixit octingentis quindecim annis, et genuit filios et filias. Factique sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, et mortuus est.*

Textus Hebraicus: *Et vixit Enos nonaginta annis, et genuit Chenan. Et vixit Enos, postquam genuit Chenan, quindecim annis et octingentis annis, et genuit filios et filias. Et fuerunt omnes dies Enos quinque anni et nongenti*[46] *anni, et mortuus est.*

Graeci habent: *Vixit Enos annis centum nonaginta, et genuit*, etc.

Hic Enos quadraginta annis prae Adam coniugium acceleravit. Cum enim nonaginta esset annorum filium genuit, post quem octingentis quindecim supervivens annis, filios filiasque plurimos genuit. Propter quod fuerunt omnes dies vitae eius nongenti quinque anni: annis viginti quinque minus Adam vivens, quoniam coniugium quadraginta annis[47] eo citius contraxit.

Vixit vero Enos, etc. Eadem ratio affertur de vitae duratione Enos.

Vrr. 12-14 *Vixit quoque Cainan septuaginta annis, et genuit Malaleel. Et vixit Cainan, postquam genuit Malaleel, octingentis quadraginta annis, genuitque filios et filias. Et facti sunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, et mortuus est.*

Textus Hebraicus: *Et vixit Chenan septuaginta annis, et genuit Mahalalel. Et vixit Chenan, postquam genuit Mahalalel, quadraginta annis et octingentis annis, et genuit filios et filias. Et fuerunt omnes dies Chenan*[48] *decem anni et nongenti anni, et mortuus est.*

45) Op. cit. f. 39a. 46) Ms.: *Nongentis.* 47) Ms.: *Anni.* 48 Ms.: *Mahalalel*, loco: *Chenan.*

Graeci *centum septuaginta annis* habent vixisse, priusquam generaret filium.

Iste Cainan sexaginta annis prae Adam coniugium acceleravit;
Cainan septuaginta quippe annos natus filium genuit; post quem octingentis quadraginta annis supervivens, plurimos filios filiasque genuit ac ita nongenti decem anni omnes dies vitae eius fuere: viginti annis minus Adam. Etsi autem viginti anni prae Enos patre suo citius uxorem duxit, eo tamen quinque plus annis vixit: forte quia robustioris naturae meliorisque complexionis temperieique aequabilioris fuit, quae longaevae vitae plurimum conferunt.

Vrr. 15-17 *Vixit autem Malaleel sexaginta quinque annis, et genuit Iared. Et vixit Malaleel, postquam genuit Iared, octingentis triginta annis, et genuit filios et filias. Et facti sunt omnes dies Malaleel octingenti nonaginta quinque anni, et mortuus est.*

Textus Hebraicus: *Et vixit Mahalalel quinque annis et sexaginta annis, et genuit Iered. Et vixit Mahalalel, postquam genuit Iered, triginta annis et octingentis annis et mortuus est.*

Graeci habent: *Vixit Maleleel centum sexaginta quinque annis et genuit Iared.*

Iste Malaleel sexaginta quinque annis celerius ab Adam cognovit
et Malaleel. uxorem; sexaginta quinque enim annos natus filium genuit et, post eum natum, octingentis triginta annis supervivens, filios filiasque plurimos genuit. Fuitque vitae totius periodus octingentorum nonaginta quinque annorum: triginta quinque annis Adae periodo brevior; et cum quinque tantum annis coniugium patris antecesserit vel, si melius dicam, citius cum muliere matrimonium contraxerit, quindecim tamen annis patre citius vitam naturali morte finivit.

Vrr. 18-20 *Vixit autem Iared centum sexaginta duobus annis, et genuit Enoch. Et vixit Iared*[49], *postquam genuit Enoch, octingentis annis, et genuit filios et filias. Et facti sunt omnes dies Iared nongenti sexaginta duo anni, et mortuus est.*

Textus Hebraicus: *Et vixit Iered duos et sexaginta et centum annos, et genuit Hanoch. Et vixit Iered, postquam genuit Hanoch*[50], *octingentis annis, et genuit filios et filias. Et fuerunt omnes dies Iered duo et sexaginta anni et nongenti anni, et mortuus est.*

49) Vr. 18. Vulg.: *Vixitque Iared.* 50) Ms.: *Iered,* loco: *Hanoch.*

Hic recte habent Graeci: *Vixit Iared centum sexaginta duobus annis*, etc.

Vixit autem Iared, etc. Remunerat Deus continentiae virtutem vitae longaevitate.

Magnae nimium virtutis vir iste Iared fuit et mirabilis continentiae. Cum enim omnes, post Adam ad ipsum usque, annis permultis coniugia accelerarint, ipse nedum ad tempus usque Adae uxorem cognoscere distulit, sed Adae tempus coniugii duobus et triginta annis superavit; centum enim et sexaginta duobus annis natus cognovit uxorem et filium genuit. Sed mercedem accepit continentia ista laudabilis et quo amplior fuit, eo ampliora praemia est consecuta. Ubi enim omnes, ab Adam ad ipsum usque, breviori periodo vitam clausere prae Adam, iste Adae vitae tempus triginta et duobus annis superexcessit, sicut triginta duobus annis plus eo continentiam colucrat a coniugio. Ille enim nongentis triginta annis viguit; iste nongentis sexaginta duobus; quia ille centum triginta vitae suae decursis annis filium genuit: iste vero centum sexaginta duobus; quo ergo continentior, eo longior vita fuit. Ita enim Deus virtutem semper honoribus, praemiis muneribusque cumulavit, et quo ampliores virtutes sunt, eo amplioribus praemiis remunerantur.

Vrr. 21-24 *Porro Enoch vixit sexaginta quinque annis, et genuit Mathusalam. Et ambulavit Enoch cum Deo, et vixit* Enoch, *postquam genuit Mathusalam, trecentis annis, et genuit filios et filias. Et facti sunt omnes dies Enoch trecenti sexaginta quinque anni. Ambulavitque* Enoch *cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus.*

Textus Hebraicus: *Et vixit Hanoch quinque et sexaginta annis, et genuit Mathusalah. Et ambulavit Hanoch cum Deo, post quam genuit Mathusalah, trecentis annis, et genuit filios et filias. Et fuerunt omnes dies Hanoch quinque et sexaginta anni et trecenti anni. Et ambulavit Hanoch cum Deo, et non est, quia tulit eum Deus,* vel *accepit eum Deus.*

Textus Chaldaicus habet: *Et ambulavit Hanoch* בְּדַחֲלְתָא דַיְיָ, *in timore Domini, quia noluit mori eum Deus.*

Targum Ierosolymitanum: *Et coluit Hanoch in veritate Dominum; et ecce non est ipse, quia subtractus est in verbo,* vel *sermone a Domino.*

Graeci habent: *Et vixit Enoch centum sexaginta quinque annos, et genuit Mathusala. Placuit autem Enoch Deo et non inveniebatur, quia transtulit eum Deus.*

Ambulavitque Enoch cum Deo, etc. Expositio de Enoch et de eius translatione, iuxta Hebraeos.

Hebraei secus ac doctores catholici locum hunc interpretantur. Aiunt enim [51] fuisse Enoch, priusquam Mathusalam filium gigneret, venereis connubiis propensum valde et illectum. Postquam vero filium genuit, temperatius incessit Deumque secutus est in sanctitate et iustitia. Quod ut sanctus ac benedictus Deus vidit, suprema sapientia sua, ne uxoris filiorumque causa a Deo et iustitia averteretur, malitia sensum illius immutante intellectumque pervertente, mori eum fecit ante tempus suum. Ideo non esse dicitur quia mortuus est : tulisse autem eum Dominum, quoniam ex speciali Dei ordinatione mortuus est, secundum illud Ionae [52]: *Tolle... animam meam ;* ceu etiam Elias dixit : *Tolle, Domine, animam meam a me, neque enim melior sum patribus meis* [53].

Nostrates opinantur Enoch translatum fuisse in paradisum terrestrem et ibi adhuc vivere cum Elia.

Nostrates autem Enoch aiunt [54] ob virtutis suae excellentiam a Deo assumptum, sicut Eliam [55], translatumque in terrestrem paradisum et ad hunc usque diem vivere, ideo in Sacro Textu non dicitur quod mortuus sit, sed *non apparet*, vel *non est, quia tulit eum Deus.* Unde et in *Ecclesiastico* dicitur [56] : *Enoch placuit Deo et translatus est in paradisum, ut det gentibus sapientiam.*

Rectius tamen *ambulatio* Enoch cum Deo interpretari potest pro integerrima eius vitae virtute,

Mihi vero in quam sententiam eundum sit, non satis utcumque constat ; nostratum autem sententiam longe abest ut improbem, quin verear potius ; dicam tamen quid sentiam, sapientiorum iudicio cuncta relinquens. Plane Enoch virum sanctissimum et iustissimum ego semper fuisse existimarim. Ideo cum omnes ab Adam ad Noe usque iusti ac plane perfecti viri extiterint, ipse tamen excellentia ac prae-

51) Cf. Rab. Abrabanel op. cit. f. 40ᵃ; *Rab. Levi ben Gherson :* « Enoch ambulavit in viis Domini, *postquam* genuit Mathusalam, annos trecentos ». *Tohliot RaLBaG,* seu *Commentum in Pentat.,* h. l. Innuit ergo ipsum prius ambulasse non in viis Domini. *Rab. Salomon :* « Iustus erat Enoch sed mente levis, ut facile *redire* potuerit ad vitam improbam ; ideo properavit Deus ipsum tollere et morti dare ante tempus ». Op. cit. f. 7ᵇ. 52) 4, 3. 53) 3 Rg 19, 4. Vulg. : *Quam patres mei.* 54) Cf. S. Io. Chrysostomus *Hom. 24 in Gen.,* (P. G. 53, 211) ; Theodoretus *Quaest. in Gen., Interr. 46,* ibid. 80, 146 ; S. Hieronymus *Contra Io. Ierosolymitanum,* (P. L. 23, 381) ; *Dialogus Adversus Pelagianos,* lib. 3, ibid. col. 580 ; *Comment. in Amos,* lib. 3, ibid. 25, 1087 ; S. Augustinus *De Peccatorum Meritis et Remissione,* lib. 1, cp. 3, ibid. 44, 111 ; *De Peccato Originali,* cp. 23, ibid. col. 398 ; S. Isidorus Hisp. *Quaest. in Vet. Test. In Gen.,* cp. 6, ibid. 83, 228 ; S. Beda *Hexaem.,* lib. 2, ibid. 91, 80 ; Strabus *Glossa Ord. in Gen.,* ibid. 113, 103 ; Alcuinus *Comment. in Apocalypsim,* lib. 5, ibid. 100, 1147-1150 ; Angelomus *Comment. in Gen.,* ibid. 115, 153 ; Rupertus *De Trinitate,* etc. *In Gen.,* lib. 4, cp. 9, ibid. 167, 335-336 ; Herveus Burdigalensis *Comment. in Epist. Pauli,* ibid. 181, 1645 ; S. Ephrem Syrus *In Gen.,* cp. 4, t. 2, pag. 20 ; Nic. Lyranus op. cit. f. 49ᵃ. 55) Cf. 4 Rg 2, 16. 56) 44, 16. Vulg.: *Poenitentiam,* loco : *Sapientiam.*

rogativa quadam virtutis et perfectionis singulariter cum Deo ambulasse dicitur, idest vitam caelibem ac plane divinam in terris duxisse in omnibus integerrimam. Hinc divina uberius prae ceteris sapientia abundantiusque afflatus mirifice fuit. *Prophetavit* enim, ut B. Iudas testatur apostolus [57], *septimus ab Adam Enoch dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, et de omnibus duris quae locuti sunt contra Deum peccatores impii.* Et vitae ergo admiranda sanctitate et innocentia, et operum clarissima luce, et sapientiae pellucenti splendore splenduit mirabiliter.

Ipsum vero adhuc vivere non usque adeo certum, firmum et constans est, ut non liceat secus cuipiam sentire; non enim statim sequitur ut vivens corpore translatus sit, cum dicitur: *Et non est, quia tulit eum Deus.* Phrasis enim Sacrae Scripturae ea in locis plerisque est, ut per eum loquendi modum praematura mors intelligatur, qua Deus ad se sanctos suos recipit. Sic enim Elias oravit ad Dominum petensque *animae suae ut moreretur, ait: Sufficit mihi, Domine: tolle animam meam, neque enim melior sum quam patres mei* [58]. Sic quoque Ionas [59]: *Et nunc, Domine, tolle, quaeso, animam meam a me, quia melior est mihi mors quam vita.* Clarissimus tamen locus in *Sapientia* est [60]: *Iustus..., si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit; senectus enim venerabilis est non diuturna neque annorum numero computata; cani enim sunt sensus hominis, et aetas senectutis vita immaculata. Placens Deo factus dilectus et vivens inter peccatores translatus est: raptus est, ne malitia immutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Paulo post autem [61]: *Placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.*

et eius *translatio* pro illius morte praematura, ut pluries S. Scriptura hac phrasi utitur;

Haec plane de iustorum morte intelliguntur praematura, qua eos Deus transferre et properare ad se eos recipere dicitur. Cum itaque dicitur hic: *Quia tulit eum Deus:* id certissimum est; an autem in corpore, vel extra corpus, inconstans est.

quae interpretatio magis consona videtur litterae textus hebraici.

Illud autem, quod receptum fere apud omnes nostrates, cum Graecos tum Latinos, ipsum Enoch esse translatum, a Septua-

57) Vrr. 14-15. 58) 3 Rg 19, 4. 59) 4, 3. 60) 4, 7-11. 61) Ibid. vr. 14.

ginta Interpretibus emanavit, qui verbum hebraicum לקח, quod est *accepit, transferendi* verbo interpretati sunt; et illud איננו, idest *non est, non inveniebatur;* ita enim locum hunc reddidere, prout in Vulgata Editione Graeca nunc habetur: Καὶ οὐχ εὑρίσκετο, ὅτι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ θεός: idest: *Non inveniebatur, quia transtulit eum Deus.*

Hebraica tamen Veritas habet: וְאֵינֶנּוּ כִּי־לָקַח אֹתוֹ אֱלֹהִים: idest: *Et non est, quia accepit eum Deus.*

Et hoc modo exponi potest etiam illud *Ecclesiastici; Placens Deo*, etc.;

Illud vero *Ecclesiastici*, a praedictis non discedentes, ita intelligimus: *Enoch placuit Deo:* idest *cum Deo ambulavit*, ita enim Septuaginta illud transtulere: *Et translatus est*, iuxta illud: *Placens Deo factus dilectus et vivens inter peccatores translatus est:* quod tamen de morte intelligitur; illud vero *in paradisum*, sinum Abrahae intelligimus, in quo sanctorum Patrum animae consolabantur, sicut de mendico Lazaro dicitur [62]; illud demum: *Ut det gentibus sapientiam:* ex bonis operibus intelligimus; *condemnat* enim *iustus mortuus vivos impios* [63] per sua bona opera: quemadmodum et Abel mortuus adhuc clamare dicitur [64], teste Apostolo, id nonnisi ex bonis operibus est.

eo magis quod non omnino constat an paradisus terrestris adhuc existat;

Neque enim urgemur ut per paradisum locum illum, in quo primus homo positus fuit [65], intelligamus; inconstans enim omnino est an adhuc hortus ille, arboribus consitus, reperiatur et non esse magis quam esse constat, cum, iuxta Veritatem Hebraicam, in Eden hortus ille a Deo plantatus sit; nunc autem constat Eden a gentibus habitari non longe a terra promissionis, [in] confiniis Charan et Chennam. Ita enim apud Ezechielem legimus [66]: *Charan et Chennam et Eden negotiatores tui.*

Deinde, Sacro testante Eloquio, scimus Cain *ad orientalem plagam Eden* [67] prope paradisi illius locum habitasse, a quo non longe pater eius Adam habitabat et Seth frater eius: cum Seth filii, qui *filii Dei* dicuntur, potuerint Cain filias videre et sibi *ex omnibus, quas elegerant* [68], accipere. Communis autem opinio fert non longe a terra promissionis Adam habitasse, postquam e paradiso eiectus est, et

62) Cf. Lc 16, 23-24. 63) Sap 4, 16. 64) Cf. Hebr 11, 4. 65) Cf. Gn 2, 8.
66) 27, 23. Vulg.: *Haran et Chene*, loco: *Charan et Chennam.* 67) Cf. Gn 4, 16. 68) Ibid. 6, 2.

esse sepultum in Hebron *in spelunca duplici*, ubi et Abraham [69] et Isaac [70] et Iacob [71] sepulti sunt. Prope eas tamen regiones, nec maximis etiam finibus distantes, aliquod decantatissimi illius paradisi vestigium cernitur; Tigris vero et Euphrates flumina, quae inde egrediuntur, prope eas regiones inveniuntur.

Sed longe plus satis digressi sumus. Haec nobis hac de re dicenda videbantur, unicuique tamen sua placita relinquimus et haec quoque sapientiorum iudicio iudicanda.

At vero apud D. Paulum locus est, qui nos cogit dicere ipsum Enoch mortuum non esse. Ita enim de eo Apostolus ait [72]: *Fide Enoch translatus est, ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus; ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo.* Sed plane de diluvio istud potest intelligi, ne miserandam hominum mortem in diluvio videret et ipse cum eis una aquis illis submersus deperiret; ideo ait: *Ne videret mortem:* non autem: ne moreretur.

et etiam illud S. Pauli *ne videret mortem*, ne scilicet videret miserandam mortem in aquis diluvii;

Potest et aliter intelligi, iuxta illud *Sapientiae* [73]: *Iustorum... animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis; visi sunt oculis insipientium mori..., illi autem sunt in pace.* Quocumque modo intelligatur, salva res nostra est. Causa autem cur mortuus in textu non dicatur est, quia separatio animae eius a corpore divinitus facta fuit et eius anima statim ad meliorem vitam locumque requiei et consolationis translata.

vel intelligi potest pro summa placiditate qua mortem obiit.

Vrr. 25-27 *Vixit quoque Mathusala* [74] *centum octoginta septem annis, et genuit Lamech. Et vixit Mathusala, postquam genuit Lamech, septingentis octoginta duobus annis, et genuit filios et filias. Et facti sunt omnes dies Mathusalae nongenti sexaginta novem anni, et mortuus est.*

Textus Hebraicus: *Et vixit Mathusalah septem et octoginta annis et centum annis, et genuit Lamech. Et vixit Mathusalah, postquam genuit Lamech, duobus et octoginta annis et septingentis annis, et genuit filios et filias. Et fuerunt omnes dies Mathusalah novem et sexaginta anni et nongenti anni, et mortuus est.*

Iustus Enoch iustum filium et continentissimum genuit, qui

69) Cf. ibid. 25, 8-9. 70) Cf. ibid. 35, 27-29. 71) Cf. ibid. 49, 29. 72) Hebr 11, 5. 73) 3, 1-3. 74) Vr. 25. S. Auctor constanter scribit: *Mathusalem;* nos vero, ut in Vulgata habetur, transcripsimus: *Mathusala.*

Vixit quoque, Mathusala etc. Mathusala, quia continentia vitae omnes antecelluit, omnes duratione superavit.

vitae continentia longe omnes ante ipsum patres superavit; ad centesimum enim et octogesimum septimum vitae suae annum coniugium distulit, annis quinquaginta novem plus Adam caelibem ac continentem vitam ducens. Verum non defuere ampliori virtuti praemia ampliora largioraque munera: eo enim triginta novem annis longiorem vitae periodum duxit; mortuus est enim nongentos octoginta novem annos natus, eodem anno quo aquae diluvii super universam terram inundavere: etenim ipse centesimum octogesimum septimum vitae suae annum agens Lamech filium genuit, qui annis centum octoginta duobus natus genuit Noe, ad cuius vitae sexcentesimum annum diluvium inundavit [75]. Qui anni, si una componantur, nongentos sexaginta novem annos efficiunt; is autem est Mathusalae vitae periodus. Ne miserandam illam mortem iniquorum videret, neve ipse diluvii aquis una cum ipsis periret iustissimus vir cum impiis et nequissimis, *properavit* Deus *educere illum de medio* iniquorum, iustorum morte illum ad se recipiens.

Vrr. 28-31 *Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, et genuit filium vocavitque nomen eius Noe, dicens: Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra cui maledixit Dominus. Vixitque Lamech, postquam genuit Noe, quingentis nonaginta quinque annis, et genuit filios et filias. Et facti sunt omnes dies Lamech septingenti septuaginta septem anni.*

Textus Hebraicus: *Et vixit Lamech duobus et octoginta annis et centum annis, et genuit filium et vocavit nomen eius Noah, dicendo: Hic quiescere nos faciet ab opere nostro et a labore,* sive *dolore manuum nostrarum e terra, quam maledixit Deus. Et vixit Lamech, postquam genuit Noah, quinque et nonaginta annis et quingentis annis, et genuit filios et filias. Fueruntque cuncti dies Lamech septem et septuaginta anni et septingenti anni.*

Vixit autem Lamech, etc. Diversa annorum enumeratio inter Septuaginta Interpretes

Graeci secius valde hunc locum redditum habent. Textus Graecus annos centum octoginta octo habet vixisse Lamech, antequam filium generaret; post genitum vero annos quingentos sexaginta quinque, et omnes [76] dies Lamech annos septingentos quinquaginta tres. Hebraica tamen Veritas et Chaldaeus Interpres habent prout in nostra Editione habetur.

75) Cf. Gn 7, 11. 76) Ms.: *Omne.*

Ex hac annorum, in genealogia hac, permutatione a Septuaginta Interpretibus facta, nonnullius momenti incommoda subsecuta sunt. Cum enim secundum verum annorum computum, qui in his generationibus prout in Veritate Hebraica et nostra Vulgata Editione reperiuntur, nonnisi mille sexcenti quinquaginta sex anni enumerentur, si secundum Septuaginta Translationem enumerentur, erunt anni duo millia ducenti quadraginta duo. Quod ut plane conspiciatur, non ab re erit singularum generationum hic annos recensere, tum secundum Veritatem Hebraicam et nostram Editionem, tum secundum Septuaginta Translationem. et Textum Hebraicum.

Anni ab Adam formatione usque ad diluvium,

secundum Veritatem Hebraicam et nostram Editionem:		secundum Translationem Septuaginta:	
Adam vixit annos et genuit	130	Adam vixit annos et genuit	230
Seth: vixit annos et genuit	105	Seth: vixit annos et genuit	205
Enos: vixit annos et genuit	90	Enos: vixit annos et genuit.	190
Cainan: vixit annos et genuit	70	Cainan: vixit annos et genuit	170
Malaleel: vixit annos et genuit	65	Malaleel: vixit annos et genuit	165
Iared: vixit annos et genuit	162	Iared: vixit annos et genuit	162
Enoch: vixit annos et genuit	65	Enoch: vixit annos et genuit	165
Mathusalam: vixit annos et genuit	187	Mathusalam: vixit annos et genuit	[77] 167
Lamech: vixit annos et genuit	182	Lamech: vixit annos et genuit	188
Noe: vixit annos et venit diluvium sexcentesimo anno vitae Noe.	600	Noe: vixit annos et venit diluvium sexcentesimo anno vitae Noe.	600
Summa omnium	1656	Summa omnium	2242.

77) Ms.: *187*.

In annorum itaque saeculi computo multo plures iuxta Septuaginta Translationem, quam secundum Veritatem [Hebraicam] sint, reperiuntur.

Iste consolabitur nos, etc. Lamech virtute excellens,

Lamech itaque centum octoginta duobus annis vixit, et filium genuit, Noe iustum. Nam et ipse iustus admodum et integer ac perfectus vir extitit, vitae continentia singularis : siquidem quinquaginta duobus annis plus Adam caelibem vitam, continentem et incorruptam duxit. Unde et singulari virtutum operumque merito, coelesti sapientia superfusus, Sancto Flamine afflatus et Divino Spiritu inspiratus, dum filium genuit, prophetavit dicens :

filium pariter iustum meruit gignere, de quo ipse etiam prophetatur;

Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum de terra, cui maledixit Dominus. Supra enim, ob protoplasti transgressionem, divina sententia dictum est : *Maledicta terra in opere tuo,* vel *propter te ; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus* [78]. Ad hoc alludit sanctus iste vir, dicens quod filius iste eos ab his operum laboribus atque doloribus consolaturus erat, ut eos ab eis laborum gravaminibus quiescere faceret.

Istam Lamech praedictionem ad saeculi reparationem nonnulli [79] referunt. Hebraeorum tamen plerique [80] aiunt Noe aratra adinvenisse, ut eis animalia terram ararent et a dolorosis laborum gravaminibus quiescerent homines, qui prius terram manibus tantum colebant. At quomodo, vix nato puero, id Lamech scire potuit ? Certe nonnisi per revelationem. Sed res admodum digna erat ut a Deo revelaretur ars aratoria ?

non quia praevidit hunc filium futurum inventorem artis arandi terram, ut sentiunt aliqui Hebraeorum;

Rabbinus Abrabanel hunc locum ita exponit[81]: Quoniam Adam dictum est : *Maledicta terra propter te ; in laboribus comedes ex ea, quoadusque revertaris in terram, de qua sumptus es :* ipse vero Adam nongentis triginta annis vixit ; quare cum natus est Lamech, pater Noe, adhuc Adam vivebat : siquidem ab Adae constitutione usque ad Lamech natalem nonnisi octingenti septuaginta quattuor anni fluxere. Quare cum Adam nongentis triginta annis vixerit [82],

78) Gn 3, 17. 79) Cf. S. Beda *Hexaem.*, lib. 2, (P. L. 91, 82) ; Hugo de S. Victore *Adnotat. Elucidat. in Pentat.*, ibid. 175, 45 ; S. Ephrem Syrus *In Gen.*, cp. 4, t. 2, pag. 20-21 ; Nic. Lyranus op. cit. f. 49ᵃ ; Alph. Tostatus op. cit. f. 32ᵃ ; Munsterus, col. 207. 80) Cf. Rab. Salomon op. cit. f. 7ᵇ ; Nic. Lyranus op. cit. f. 49ᵃ ; Alph. Tostatus op. cit. f. 32ᵃ ; Vatablus, col. 209 ; Clarius, col. 209-210. 81) Op. cit. f. 39ᵇ-40ᵃ. 82) Ms. : *Ad* adiungitur.

liquet quod usque quinquagesimum sextum Lamech vitae annum vixit. Omnes itaque, qui in hac genealogia ab Adam usque ad Noe ponuntur, ante obitum Adae nati sunt; solus Noe post eius mortem natus est. Hoc advertens Lamech, eo sibi nato filio, ait: Si Deus maledixit terram propter Adam, ut nonnisi laborata et culta fructum afferret usque ad mortem eius, certe cum hic filius primus post mortem eius natus sit, ipse *consolabitur nos*, faciet nos ab istis operibus quiescere.

sed prophetice novit Noe superstitem futurum ab aquis diluvii, ut per eum genus humanum salvaretur.

Ego itaque sic puto haec verba intelligenda esse: tota spes vitae, totaque consolatio nostra in unico hoc filio sita est; ipse ex omnibus laboribus nostris, quos passi sumus in filiis tum gignendis tum enutriendis et educandis, ex omnibus quoque operibus nostris, quae operati sumus, superstes erit; omnia alia ob maledictionem, qua Deus universam terram maledicturus est, destruentur, eam et cuncta quae in ea sunt, aquis diluvii devastando; hic solus residuus ac superstes erit: hic solus salvabitur et per eum universum genus humanum reparabitur. Haec nimirum verba, si ita intelligantur, digna fuere ut a Deo revelarentur.

Post genitum autem filium hunc, de quo talia praefatus est, annis quingentis nonaginta quinque supervivens, extremum diem clausit, annos septingentos septuaginta septem natus. Mortuus est autem quinquennio ante diluvium et annis totidem mortem obiit, antequam pater suus Mathusala oculos clauderet; anno enim diluvii mortuus est Mathusala.

Iuxta Hebraeos Lamech Deum exoravit ut tolleretur ante diluvium, ne exterminium illud videret.

Aiunt Hebraei [83] ante tempus suum obiisse Lamech Deo id operante; magis enim mors sibi quam vita expediebat, ne extremam illam cladem miserandamque omnium hominum perditionem submersionemque in amarissimis illis diluvii inundantibus aquis [videret]. Et forte cum specialem rei huiuscemodi a Deo revelationem accepisset, gemitibus inenarrabilibus [83a] vir iste piissimus Deum deprecabatur, postulans extremum claudere diem priusquam severissima, sed nil minus iustissima plaga illa superveniret. Et *exauditus est pro sua reverentia* [84] clausitque oculos, priusquam tantum malum videret.

Vr. 31 *Noe vero, cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham et Iapheth.*

83) Cf. Rab. Abrabanel op. cit. f. 40ª. 83ª) Cf. Rom 8, 26. 84) Hebr 5, 7.

Textus Hebraicus : *Et fuit Noah filius quingentorum annorum, et genuit Noah Sem, Ham et Iapheth.*

Noe vero cum quingentorum esset annorum, etc.

Noe usque ad quingentesimum vitae suae annum caelebs vixit

Decimus ab Adam Noe nascitur, vir utique integer atque perfectus, sicut denarius numerus perfectissimus est. Vir enim magnae plane et admirabilis virtutis et continentiae necnon humilitatis; ecce enim ad quingentesimum usque vitae suae annum in domo patris filiusfamilias humilis permansit, patri subditus et subiectus : *Fuit,* inquit, *Noah filius quingentorum annorum, et genuit Noah.* Vide admirabilis virtutis continentiae excellentiam, qua omnes patres suos longe praecelluit. Siquidem quotquot ipsum aetate praecesserunt, ad centesimum circiter annum plus minus, omnes citra biscentesimum mulierum connubia contraxere ; hic vero ad quingentesimum usque annum distulit, vitam plane caelibem ac coelestem inter homines, et illos quidem nequissimos et scelestissimos, sanctissime ducens.

et nonnisi Dei monitu creditur uxorem duxisse ;

Nec puto uxorem nisi Dei monitu duxisse, iam Deo sibi revelante quod per ipsum genus esset salvaturus humanum. Videns enim Deus malitiam, ait : *Non permanebit spiritus meus in homine..., quia caro est ; eruntque dies illius centum viginti annorum* [85]. Tunc Noe praecepit ut arcam aedificaret [86]. Tunc autem, adhuc innuptus, carnis corruptionis nesciam vitam ducebat, et tunc monitum a Deo fuisse existimarim ut uxorem duceret ad filios procreandos, ex quibus longe lateque humana diffunderetur propago ; nec ante Dei monitum unquam ducere voluisse.

nam prophetico spiritu edoctus, sciens diluvium futurum, noluit citius nubere, ne filii procreati aquis diluvii perirent.

Sciebat enim quod, si ipse centesimum circiter annum uxorem duxisset, ad diluvium usque multi intererant anni ; quare et ipse filios genuisse et filios filiorum ad tertiam usque et quartam generationem vidisse utique potuisset ; ex quibus multi fortes fortuna, impii ac scelesti, quales generationis illius homines extabant, fuissent, quos indignum erat ab inundantibus diluvii aquis salvari. Quod si perituri erant : ut quid mihi, aiebat, filios gignere, qui tam miseranda morte ante meos oculos perituri sunt ? Deinde si consueto praecedentium patrum tempore genuisset, absque dubio plurimos filios filiasque genuisset, nec poterat tanta multitudo per id spatium temporis, quo diluvium perduravit, absque magno dispendio conservari una cum tot tantorumque animalium speciebus. Quare Dei

85) Gn 6, 3. 86) Cf. ibid. vr. 14.

providentia cautum id est factumque, ut Noe ad quingentesimum usque annum differret coniugium.

Sem non fuit primogenitus Noe;

Eo autem anno tres filios dicitur genuisse: Sem, Cham et Iapheth. Forte hi filii non eo ordine, quo in Sacra situantur Historia, nati sunt. Etenim si Sem primogenitus fuit, debuit inundante diluvio centenarius esse: sexcentesimo siquidem Noe anno venit diluvium, quingentesimo autem vitae suae anno genuit. At cum filium Arphaxad genuit centenarius erat, biennio post diluvium [87]. Non igitur quingentesimo vitae Noe anno natus est ipse, sed biennio post. At cum dicat Scriptura Noe quingentos annos natum filios genuisse, liquet eo aliquem natu maiorem exstitisse et non ipsum primogenitum fuisse.

sed primo loco ponitur ob eius meritorum excellentiam et eximiam virtutem; ipse enim fuit Melchisedech, figura Christi.

Aiunt autem Hebraeorum nonnulli [88] ob id primo loco poni, quoniam sine praeputio natus est circumcisus. At id fictitium est. Dicimus ergo ob eximiam virtutem et meritorum excellentiam primum in Sacra Pagina sortitum esse locum. Ipse enim fuit *Melchisedech, rex Salem . . . , sacerdos Dei altissimi* [89]; ex eo sanctissimi patriarchae traxere originem; ex eo populus electus, et demum Christus Iesus, *sacerdos* summus *secundum ordinem Melchisedech* [90], erat nasciturus. Huic non absimile est quod duobus Ioseph filiis, Manasse et Ephraim, factum est [91]; minor enim natu Ephraim maiori praeponitur et primogenitura dotatur, quoniam in gentem maiorem futurus erat.

Ratio longaevitatis inquiritur.

Non ab re autem erit in praesentiarum perquirere quamnam ob causam primae huiusce generationis homines ab Adam ad Noe usque tandiu vivebant, paulo citra millenarium annum. Nonnulli huiuscemodi rei rationem quampiam reddere penitus floccipendunt, existimantes apud semetipsos non solares, sed lunares annos esse, qui in genealogia ista texuntur [92]. Moysen enim aiunt, qui *in omni sapientia Aegyptiorum eruditus* [93] fuit, illius gentis more annos sumpsisse, qui lunae senio annum terminabant, apud quos singula annorum millia quidam vixisse produntur [93a]. At profecto Aegyptii anno solari etiam

Sustineri nequit sententia asserens annos a Genesi computatos lunares fuisse.

87) Ibid. 11, 10. 88) Cf. Rab. Salomon op. cit. f. 7b; Nic. Lyranus op. cit. f. 49b; Alph. Tostatus op. cit. f. 34a; Caietanus op. cit. pag. 74. 89) Gn 14, 18; cf. S. Isidorus Hisp. *De Ortu et Obitu Patrum*, cp. 5, (P. L. 83, 132-133). 90) Ps 109, 4; Hebr 7, 17; cf. S. Hieronymus *Hebraic. Quaest. in Gen.*, (P. L. 23, 961). 91) Cf. Gn 48, 1-20.
92) Cf. not. 7. 12 huius cp. pag. 427. 93) Act 7, 22. Vulg.: *Eruditus est Moyses*, etc.
93a) Cf. Plinius *Historia Naturalis*, lib. 7, cp. 48, pag. 75.

ante Moysis tempora usi sunt. Sapientissimi enim Aegyptiorum astronomi, ante inventas litteras, suis hieroglyphicis annum designabant per draconem suam devorantem caudam, in circuli modum depictum, quoniam

«in se sua per vestigia labitur annus [94] »:

unde annus quasi in se rediens anulus dictus est; mensibus enim in se currentibus volvitur et in seipsum ducitur ac renovatur.

Nec illa quae putat fuisse annos Arcadum trimestres;

Alii Arcadum trimestres annos somniati sunt [95], ut longaevam adeo priscorum illorum patrum vitam aetate minuerent. Sed certe ex hoc quoque plura incommoda insequuntur nec omnino effugiunt. Siquidem Iared nongentis sexaginta duobus annis vixisse dicitur. Si trimestres hi anni sunt, planum est quod ducentis quadraginta annis et sex mensibus vixisset, qui solis anfractibus peraguntur. Similiter Mathusala nongentos sexaginta novem annos aetatis peregit, qui, si trimestres anni sunt, ducentos quadraginta duos annos solares efficient et tres menses. Haec autem aetas [non] longe a nostris temporibus abest.

multa enim absurda inde sequerentur,

Ex horum etiam id opinantium somniis multa incommoda subsequuntur. Plane cum Sale describitur genuisse Heber, triginta annorum erat [96]; quod si trimestres anni sunt, septem tantum solares annos habuisset et sex menses. Ante quartum decimum autem annum gignendi potestatem natura homini non elargitur. Deinde: cum Abrahae et Sarae conceptus Isaac nunciatus est, *risit Sara... dicens: Postquam consenui, et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?... Erant enim ambo senes, provectaeque aetatis, et desierant Sarae fieri muliebria* [97]. At certe cum elapso anno Isaac natus est, Abraham centenarius [98], Sara vero nonagenaria erat [99]; quod si non communes anni solares, sed trimestres anni fuere, Sara viginti duorum annorum vertentium et sex mensium, Abraham vero viginti quinque fuisset. Num possunt homines nedum triginta annorum nati senes provectaeque aetatis dici? Item: cum *deficiens mortuus est*

94) Virg. *Georg.*, lib. 2, vr. 402: «Volvitur annus»; et cf. pag. 429, not. 22 huius cp.
95) De his opinionibus cf. S. Augustinus *De Civitate Dei*, lib. 15, cp. 12, (P. L. 41, 451-452); S. Beda *De Temporum Ratione*, cp. 36-37, ibid. 90, 462-466; Plinius *Historia Naturalis*, lib. 7, cp. 48, pag. 75; Fel. Capitonus *Explanationes*, part. 1, *Explanat. 15*, pag. 29-30.
96) Cf. Gn 11, 14. 97) Ibid. 18, 10-12. 98) Cf. ibid. 21, 4-5. 99) Cf. ibid. 17, 17.

in senectute bona provectaeque aetatis et plenus dierum[100], centum septuaginta quinque annorum erat, qui, si trimestres fuissent, nonnisi quadraginta tres annos vertentes et novem menses constituissent. Totius ergo Abrahae vitae dies quadraginta quattuor anni fuissent in summum. Miranda plane senectus! Ecce enim David ait[101]: *Dies annorum nostrorum... septuaginta anni, si autem in potentatibus octoginta anni, et amplius eorum labor et dolor.* Non pervenit ergo ad senilem aetatem Abraham, qui *in senectute bona mortuus* dicitur; nisi forte dicas et Davidem de trimestribus annis intelligere: sed tunc longaeva hominum vita circiter vigesimum annum clauderetur.

et evertenda esset omnis series S. Scripturae et tempora omnia confundenda.

Constare igitur figmentum istud non potest, nisi velimus universam Scripturae seriem evertere et tempora quaeque confundere. Cum enim a mundi constitutione ad diluvium usque mille sexcenti quinquaginta sex anni secundum Veritatem Hebraicam recenseantur, si trimestres hi anni sunt, nonnisi quadringenti quattordecim anni solares interfuissent; et ita a mundi exordio ad usque Christi tempora vix mille anni profluxissent. Non itaque trimestres aut lunares anni censendi sunt, qui in genealogia hac et sequentibus enumerantur, sed solares, qui mensibus duodecim, hebdomadibus quinquaginta duobus uno superexcedente die, diebus trecentis sexaginta quinque[101a] et quadrante constat: quibus evolutis, ad eadem siderum loca sol revertitur.

Pariter reiicienda est opinio iuxta quam decem ex illis annis efficiunt unum ex nostris, quia tales annos Scriptura non novit.

Plerique alii existimant[102], vel potius somniant alios annos, dicentes quod decem ex illis annis, qui in hac genealogia recensentur, unum ex nostris efficiunt. Et ob hanc rationem inquiunt Septuaginta centenarios addidisse annis ante generationem: puta cum Adam dicitur centum triginta annos vixisse, ipsi transtulerunt *ducentos triginta;* nam centum triginta anni illius generis nonnisi tredecim annos ex nostris constituunt. Homo autem tredecim annos natus non est aptus ad generandum; in generatione vero Mathusala, qui ante generationem centum octoginta septem annis vixisse scribitur, non addiderunt centenarium, quia homo duodeviginti annos natus potens est generare. Verum huius generis annos Scriptura non novit, nec probanda quoquo pacto est haec sententia.

100) Ibid. 25, 7-8. 101) Ps 89, 10. 101a) Ms.: 366. 102) Cf. Alph. Tostatus op. cit. f. 31v.

Vera causa longaevitatis, iuxta Hebraeos, duplex est: una naturalis, idest continentia et temperantia vitae;

Itaque cum solares, sive vertentes anni illi fuerint, quos vixisse referuntur prisci illi patres, merito inquirendum est quamnam ob causam tam longaevam duxerint in terris vitam. Hebraeorum nonnulli, ut Rabbinus Abrabanel refert[103], geminas huiusce rei causas afferunt: alteram naturalem, alteram vero mysticam et divinam. Primam naturalem aiunt fuisse bonum regimen in victu, quoniam simplicia comedebant, fructus, et aquas simplices bibebant, non vinum, nec carnes mandebant; simpliciora autem alimenta, ut medici aiunt, ad longiorem vitam conferunt; compositiora vero ad vitae diminutionem. Secundo vero quia parce et continenter valde concubitus cum mulieribus exercebant: siquidem omnes centesimum circiter annum connubia celebrabant; continentia autem vitae longitudini admodum favet. Mysticam autem rationem divinam voluntatem assignant, quae ita disposuit voluitque eos tandiu vivere, tum ut eo citius humana diffunderetur propago, tum ut scientias et artes possent et invenire et exercere posterosque addocere.

altera mystica, idest celerior humani generis multiplicatio a Deo intenta.

Ex nostratibus quidam[104] plurimas adferunt causas propositae rei. Nos vero, longitudinis vitae in universum positis causis, propositae quaestioni respondebimus.

Iuxta catholicos prima causa longaevitatis est optima corporis complexio,

Originalis causa longitudinis animalium vitae optima complexio est, quae et quattuor simplicium corporum mixtione una cum suarum virium, primarum videlicet qualitatum, calidi, frigidi, humidi et sicci proportione ac symphona quadam analogia consurgit. Tunc autem optima complexio est cum elementorum ille coitus et convenientia ad pondus est[105]; nihil enim inconvenit mixtionem ad pondus dari primarum qualitatum.

quae ex optima proportione elementorum et primarum qualitatum consurgit.

Non loquor in universum de qualitatibus primis tum motivis, quales sunt grave et leve, et alterativis, quales sunt quas supra diximus; illud enim impossibile dari est, repugnat enim: tantus enim frigidi gradus maiorem efficit gravitatem, quam tantundem caloris levitatem; imo minus frigidi plus gravitatis efficit, quam maior calor efficiat levitatem. Ut ergo aequalitas motivarum sit, excessus sit alterativarum necesse est, et harum est aequalitas, in illis excessus erit. Nec loquor de motivis qualitatibus. Etsi enim aequale ad pondus

103) Op. cit. f. 39b-40a. 104) Cf. Nic. Lyranus op. cit. f. 49a; Alph. Tostatus op. cit. f. 33.
105) De temperamento *ad pondus et ad iustitiam* cf. supra cp. 2, pag. 220 et not. 68.

in illis simpliciter dari possit, cum possit intendens remittensque applicari absque eo, quod omni in loco mixtum illud consistat – si enim in loco ignis poneretur, utique descenderet, quia aqua, aer terraque vincerent, igne nihil in tota sua sphaera obsistente : et si in aere poneretur, terra et aqua vincerent, quoniam solus ignis resisteret, aere nihil obsistente in sua sphaera : duo aequalia unum aequale singulis vinceret et mixtum descenderet; similiter si in terra sisteretur per aquam ascenderet, quoniam sola terra resisteret, aer autem et ignis vincerent, aqua nihil in sua sphaera resistente : positum vero in utrorumque confinio, aquae videlicet et aeris, resisteret : tunc enim aequales utrorumque resistentiae essent : – in animalibus autem huiusmodi mixtio esse non potest ; non enim posset anima eiusmodi moli praedominari, nec ad vitales operationes animalesque ea mixtio esset accommoda.

Loquor autem de mixtione primarum qualitatum, quae alterativae dictae sunt ; et ea quidem a d p o n d u s utique esse potest : siquidem inaequali existente mixto intendens aliquod exhiberi potest, vel remittens qualitates, quae intensibiles ac remissibiles utique sunt, atque eo agente ad ponderis aequalitatem actione reduci. Imo necesse est in aliqua animalis parte hanc dari aequalitatem ob sensum tactus. Si enim in tactu aliqua excederet qualitas, non posset omnes tangibiles qualitates sentire cunctorum obiectorum ; non enim nisi excedentes obiectorum qualitates sentit : si quid enim tangitur nonnisi excedens qualitas sentitur. Quod si tactus eam aequalitatem non habet, excessus utique non sentiret. Hanc in humana cute plerique statuunt ponderis aequalitatem, ut omnes possit qualitates sentire. Aeque temperatae hae qualitates constituunt optimam partium dispositionem,

Advertendus tamen animus est in quolibet animali geminam saltem complexionem reperiri oportere : alteram innatam, alteram vero influxam. Innata est proxima ad formam qualitatum dispositio, ac prima complexio dicitur; influxa vero formam conservat ipsiusque operationibus materiam reddit aptiorem. Et prima quidem frigida magis siccaque est ; secunda vero calida atque humida. Cum autem influxae qualitates naturalibus innatis coniunguntur proportione ac analogia optima, optimum fit temperamentum, cum sese hae duae complexiones ad aequalitatem quandam reducunt sicque fit a d p o n d u s temperies ; calidum enim ac frigidum, humidum atque et optimum temperamentum,

siccum gradibus aequalibus commensurantur. Nunquam tamen ad seinvicem desistit actio atque reactio; etsi enim aequales gradibus sunt, non tamen potestate; semper enim calidum, etsi frigido aequale, ad agendum potentius est. Imo etsi aequa lance mensurarentur in potestate, adhuc mutuum inter eas esset bellum pugnaque reciproca, non tamen victoria: sed sese ad medium redigerent; calidum enim in aeque frigidum agit, quoniam hoc potestate calidum est: similiter et frigidum calidum; sese tamen consumere nequeunt, sed medium efficiunt temperatissimum.

In quo consistit sanitas et vita corporis animalis.

Et in hac quidem aequali qualitatum temperie maxime totius animalis sanitas vitaque consistit incolumis; optima enim ea temperies est, quae a qualitatum extremis distat magis: in extremis enim corruptio sistitur. Nec tamen illud exquiritur ut ea temperies in singulis quibuscumque animalis partibus fiat a d p o n d u s; fieri enim nequit; plurimae enim partium functiones, ea aequalitate posita praepedirentur: cor enim calidissimum, ossa nervique sicca, cerebrum frigidum, pupilla humida esse debet; quod si ad eam aequalitatem ista redigerentur, perirent omnino ipsorum opera et functiones. Sed id est quod fieri potest, ut totalis complexio in omnibus simul animalis partibus, non in singulis, aequalis a d p o n d u s sit: ut in animali tantum sit caloris quantum et frigoris, tantundenque humidi atque sicci, quamvis partes sint hae quidem magis calidae, illae vero frigidae.

Quando autem elementi alicuius qualitas alteram excedit, tunc fit varietas complexionum cholericae, sanguineae, phlegmaticae, melancholicae.

At vero non semper, sed rarissime utique ea temperies fit sic aequalis. Frequentissime autem sese qualitates illae excedunt, unde plurimae fiunt complexiones, nunc quidem calida, dum ceteris aequalis calor excedit, nunc frigida, nunc humida, nunc sicca, cum earum una aliqua excedit qualitas, ceteris aequalibus existentibus. Deinde vero duae possunt qualitates excedere; et tunc si calor excedat una cum siccitate, ignea complexio fit, quae cholerica in animalibus dicitur; si vero calor et humiditas, aerea fit complexio, quae dicitur sanguinea; si autem excedit cum humiditate frigiditas, fit complexio aquea, quae in animalibus phlegmatica dicitur; si demum frigiditas cum siccitate, terrea insurgit complexio, quae melancholica in animalibus dicitur. Quaelibet autem in modos innumerabiles ac pene infinitos dispertitur secundum maiorem minoremve excessum unius vel duarum

ad alias; unde innumera insurgunt pro variis tum specierum tum individuorum formis temperamenta.

Optima complexio ca est in qua calidum cum humido magis viget.

Potior vero harum temperies est, in qua calidum cum proportionato sibi humido vigent magis; siquidem calidum atque humidum maxime favent vitae, ipsisque deficientibus ipsum quoque deperire necesse est. Potior ergo complexio est in qua humidum calidumque dominantur, qualitates cum sint viventibus necessariae animalisque substantiae potissimum convenientes; primum tamen locum calor, secundum humiditas obtinere debet. Frigiditas autem atque siccitas mortis principia sunt, ubi invaluerint; unde senes, quo amplius ad mortem tendunt, eo magis siccos et frigidos effici cernimus: et mortua statim corpora maxima occupat frigiditas atque siccitas, omnis autem calor fugit et humiditas. Frigidum itaque atque siccum mortis principia sunt: unde etiam brevissimae vitae ea complexio est ubi ea contigerit dominari; humidum autem atque calidum vitam fovent.

Sed quia paulatim elementa haec et eorum qualitates debilitantur, hinc vita deficit.

His autem illa ad contemperamentum adiecta sunt, ne membra aut nimio humore laxarentur atque profluerent, aut ne nimio calore citius consumerentur, nulla obsistente huic frigiditate, illi siccitate; simul autem attemperata longiorem suapte natura vitam efficiunt. At vero quia omnis complexio in contrariis sita est, quae sibi semper pro complexionum varietate magis minusve resistunt, necesse tamen est ut aliquando debiliora paulatim vincantur, ex qua victoria paratur corruptio vitaeque deficit clauditurque periodus.

Secunda causa longaevitatis est proportionata temperies humidi et caloris in corpore animali.

Secunda longitudinis vitae causa, potissima tamen, naturalis vitalisque calor est, igneae quidem naturae aemulus: non elementaris, is enim destructivus est, sed coelestis ideoque vivificus vitamque adeo sua praesentia praestans ut, quandiu in animali sit, vitam semper animal agat: eo autem extincto, necesse sit deperire; unde recte dicitur a Philosopho[106] mors vivifici huius caloris extinctio esse. Ne autem quantocius extinguatur, perpetuo nutriri atque foveri pabulo necessum est in corpore, ceu lampadis flamma in ellychnio nutriri ad oculum cernimus atque ita necessario ut, nutrimento consumpto, mox flamma evanescat. Ita profecto calori huic, ut diu permaneat, nutrimentum aliquod suppeditari oportet, quo foveatur et conservetur. Quoniam vero nec minimum quidem temporis absque

106) *De Iuventute et Senectute*, cp. 4, t. 1, pag. 445.

pabulo consistere valet, natura provisum optime est a generationis exordio primigenio ac vitali humido quod, naturali calori una congenitum, sedes sternitur quo perpetuo enutriri possit, spiritu mediante. At quia humidum istud naturale continuo veluti volantem calorem cibans semper absumitur, ne penitus consumatur, quod facile potest tempore perquam minimo, statutis horis perpetuo reparari ac resarciri debet alimentorum sumptione cibi atque potus.

Ad vitam animalem requiruntur calidum et humidum.

Ut igitur animal vivat necessaria sunt haec : naturalis vivificusque calor ; spiritus, qui calori substernitur sedes ; primigenius vitalisque humor ; utriusque fomes et alimentale nutrimentaleque humidum suppeditatum cibis ac potibus naturae amicis ; ceu ut luceat lampas flamma requiritur ; huic autem efflatus halitus ex olei substantia suscitatus sternitur : siquidem flamma ardens fumus est, olei autem pinguis humidaque substantia in ellychnio tum flammae tum halitus fundamentum ac pabulum est alitque utrumque et fovet: non tamen diu, nisi alimentario humore suffulta olei, qui statis horis lampadi infunditur.

sed praecipue humidum,

Calidum itaque et humidum praecipue expetuntur ad vitam ; natura tamen humidum prius : quapropter ea corpora quae in initio maximam habent, proportionatam tamen, humiditatem, ad diuturniorem vitam sunt valde disposita, cum sic humida sunt, ut videatur calor sub tanta humiditate latere, nec cito possit coniunctam humiditatem evincere et manifestum obtinere dominium ; modo non tanta sit, ut omnino calorem obruat et suffocando extinguat. Quae vero in sui ortus principio permodicam habent humiditatem, ut statim possit calor praedominari et apparere superior, brevioris periodi sunt.

ut patet ex experientia.

Huius rei paradigma ex ignibus sumi potest. Plerumque enim ignis[107] viridibus lignis subiectus adhuc valde humentibus, diutius delitescit iacetque absconditus, priusquam possit appositi combustibilis potiri dominio ; et interdum quidem quasi extinctus apparet atque oppressus, quandoque tamen, vigore resumpto, resistens fortiter agensque potenter, adhuc splendide micat flammasque in altum sustollit quasi in victoriae signum. Is tamen ignis liquido diuturnior est et fortior eo, qui in stipulis et straminibus aliisque valde exiccatis lignis accenditur citoque deficit ob humiditatis defectum.

107) Ms.: *Igni.*

Hinc non raro contingit ut qui in infantia ac pueritia gravissime fuerint periclitati de vita et perpetuo quasi languore vexati, longissimam vitam vivant cernanturque in aetate provectiori valere, postquam humidum illud, sub quo calor veluti oppressus delitescebat, iam fuerit evictum et calor obtinuerit principatum. Hinc iterum contingit eos interdum, qui per totam vitam languere videntur, longam tamen vitam ducere; signum enim in eis est nec tantum adesse calorem ut possit in humidum praedominari potenter, nec tantum humidum ut calorem omnino possit extinguere; sicque calor, cum modicus sit, humidi nequaquam potest multum consumere, ac proinde humidum minus commiscetur extraneo remanetque purius et efficax magis ad caloris fomentum.

At vero quia calor tantus est ut se possit adversus humidum, etsi minus potenter, defendere illiusque nonnihil, etsi permodicum, ad sui fomentum consumere: iccirco in vita animal diutius permanet, languens tamen ob sufficientis potentisque caloris defectum, cum non satis dominetur prout naturalium virium convenientes animali expetunt operationes. Humidum ergo cum calido aeque vel saltem aliqua proportione temperatum, altera sunt longioris diuturniorisque vitae animalis causa et ratio.

Tertia causa sunt alimenta, sive alimentarium humidum et nutrimentale, quae ad praecedentem subsequitur. Tandiu enim animal in vita permanere natum est, quandiu naturalis calor ipsi non deficit; calidum siquidem vitae principium est, et mors nonnisi eius est caloris extinctio. Ne vero extinguatur humidi primigenii pabulo perpetuo nutriri debet; hoc autem primigenium ac vitale humidum, cum perpetuo vorantem igneum calorem pascere et in corpore fovere debeat, tempore perquam minimo facillime absumeretur, nisi ipsius iugiter fieret reparatio consumptique resarcitio; ad instar olei, quod lampadis flamma nutrit, nisi statis horis superinfusi olei ope iuvetur, cito deficit.

Tertia causa sunt alimenta.

Reparari itaque ac veluti resarciri debet primigenium humidum alimentarii nutrimentalisque humidi interventu necessum est; et proinde alimenti sumptio cibi ac potus utique necessaria est ad vitam, ut ex alimentis electum humidum per naturales vires et plurimas digestiones purum ab excrementis separatum, primigeniam reparet ac interteneat humiditatem: et siccum alimenti, quod desumitur,

quae continuo reparare debent primigenium humidum;

resolutum ac consumptum carnium siccum restauret; calor enim nedum humidum, sed carnes quoque, in quibus sicci plurimum est, vorat. Quapropter et cibo, qui calidus et siccus[108] praecipue esse debet, et potu frigido et humido animali opus est.

Quoniam vero primigenium illud ac vitale humidum non humor ille aqueus est, cuius interventu similares corporis partes sibi cohaerent et soliditate consistunt, nec naturae quoquo pacto aqueae est, sed aereae potius; humor enim quidam aereus vel aethereus censetur, unctuosus ac pinguis oleoque perquam similis. Nec tamen is adeps est, quo partes quamplurimas oblini cernimus: is enim in similarium partium substantiam conversus omnem effugit aciem oculorum, spargiturque per totum corpus omnesque partes, sicut calor ubique partium corporis est; unde et alimentum sive nutrimentum per totum corpus diffundi debet per venas atque arterias.

Cum ergo tale sit humidum vitale, huic non omnino absimile nutrimentale, quo resarcitur ac reparatur, esse debet; quare non pure aqueum, sed pingue, dulce ac veluti viscosum. Unde ad humidi primigenii reparationem non potest utique potus ipse simplex per se sufficere: non enim ex ipso solo potest sufficiens pinguedo elici: sed ciborum concoctio et ex cibi substantia solidiori facta mixtio addit humido illi symbolum ipsius naturae sarcimen, veluti viscosam pinguedinem; quove resarcitum humidum ex alimentis pinguius fuerit, eo melius et durabilius; semper tamen iam deperdito ac consumpto, imperfectius: hoc quidem magis, illud vero minus, secundum alimenti virtutem. Quo enim cibus perfectior est, eo magis ad humidi restaurationem confert; quo vero magis virtute deficit, eo minus ad deperditi humidi reparationem sufficiens est.

et quo perfectiora, eo magis ad hanc restaurationem conferunt.

Verum etsi perfectissima essent cibaria, nunquam tamen ex eorum alimentis posset aeque perfectum ac compar ei, quod deperditum est, humidum restaurari; cibus enim et alimentum, cum dissimile et contrarium sit in nutritionis initio adversaeque qualitatis, necesse est animalis virtutem ea in actione debilitari, cum agens omne in agendo repatiatur. Quapropter magis ac magis in dies animalis virtus debilitatur humidique innati virtus minuitur; quod si eius virtus aeque resarciretur, non senesceret, nec moreretur homo: sed

108) Ms.: *Quod calidum et siccum.*

cum ab initio actionis calidi in ipsum continuo minuatur, necesse est tandem deficere, cum aeque perfectum resarcimen non habeat.

Nutrimentale siquidem humidum semper, etsi symbolae, alienae tamen naturae est: primigenium vero humidum ipsum in suam naturam convertit; veluti vinum infusam aquam modicam in suam naturam convertit, absque quod statim primo virtus depereat vini, sed adhuc potens est infusam in sui substantiam convertere; quo vero plus aquae infuderis, eo fit vinum debilioris virtutis ac forte minus ad convertendam in se alienam extraneamque substantiam; quod si diu infundatur aqua, tandem ita vini minuetur virtus, ut ab aqua prorsus superetur penitusque deficiat ab aqua devicta. Ita primigenium illud deperit humidum, nec potest animal perpetuo vitam agere, cum eousque res devenerit, ut necessarium humorem illud perdiderit.

Officit tamen huic restaurationi excessiva sumptio cibi, quae causat humorum intemperiem.

Ob hanc autem rationem non modicum ingluvies nimiaque insatiabilis gulae voracitas vitae longius protelandae officit. Per ipsam enim nimia fit extranei commixtio cum primigenio vitalique humido eiusque tum caloris virtus minuitur ac veluti nimia ac superexcedenti infusione obruitur et extinguitur. Hoc autem, etsi primo quidem ad hypostasum singulariumque detrimentum pertinere videatur, vergit tamen, illis mediantibus, ad speciei damnum estque amborum intertrimentum. Cum enim per individua generatio fiat, ad eorum infirmitatem plane generationis infirmitas sequitur: siquidem, ceteris paribus, eos, qui fortiores sunt meliorisque complexionis, cernimus fortiores ac durabiliores progignere proles, illis qui infirmi ac debiles sunt.

Officit etiam luxuria, quae primigenium humidum exiccat, ut experientia docet.

Ipsa quoque luxuria et nimius inordinatusque coitus permagnum affert longiori vitae incommodum. Plerique enim nimia venere seipsos exhauriunt; obscenus enim ille luxus ac seminis emissio nimia vitae celerius exitum parat, cum primigenium vitaleque humidum valde exhauriat, exiccet et consumat. Hinc salacia ac multi seminis animalia, quae veneri valde incumbunt, celerius morte absumi cernimus; cuius rei paradigma de passerum maribus Aristoteles attulit[109] quod minus vivant femellis, quoniam plurimam venerem sequantur.

Id quoque etsi ad individuum spectare videatur, ipsum enim ve-

109) *De Longitudine et Brevitate Vitae*, cp. 5, t. 1, pag. 442.

Haec autem debilitas, quae primum et immediate individuum afficit, in speciei etiam infirmitatem vergit.

nere utitur, quoad prolem verum genitam in speciei incommodum proculdubio vergit. Qui enim immoderatae rei venereae indulget et saepius, quam natura docet ratioque postulat, non potest hic nisi debilem procreare prolem, cum semen non possit in eo tantae perfectionis esse atque virtutis, quantae foret si hac in re esset moderatior. Cum enim semen multigena sit magnaque virtute ac perfectione natura refertum, non permodicum ei tempus sufficit ut suae virtutis accipiat perfectionem consummatamque virtutem ad plene efficaciterque sua obeunda munera efficiendasque operationes. Coitus ergo nimium frequens ad vanam delectationem obscenasque voluptates et non iuxta naturae ordinem ad speciei conservationem sobrie in usum vocatus, in causa est ut semen, per quod servatur generatio, non adeo potentis sit virtutis ad speciei reparationem ac esset si sobrie parciusque iuxta naturae institutum administraretur.

quia ex perfectione vel imperfectione seminum perfecta vel imperfecta complexio prolis exurgit.

Quod in maximum speciei incommodum ac detrimentum vergit eo maxime quo, eo vitio in causa existente, factum est ut homines intempestiva ac praematura connubia contrahant ante debitam maturitatem naturalemque perfectionem ad validam generationem commode sufficientem atque potentem generationi intendant. Siquidem miseranda hac nostra tempestate ante oculos cernimus puerulos adhuc atque puellulas copulari coniugio, amplexibus vacare, generationi intendere, quorum anni, si pariter iungantur, vix aetatem virilem attingerent; ut merito in proverbium tractum sit pueros generare pueros. Quî autem fieri possit ut hoc pacto non admodum debilitetur humana propago? Quemadmodum enim granum immaturum aut semen non debita maturitate perfectum, gignere non potest fructum convenientem et fortem multaeque durationis; ita plane in hominibus dicendum videtur: eos, qui sic ante tempus propriae perfectionis consummataeque virtutis in robore generationi vacant, non posse efficaciter suae speciei conservationem moliri; unumquodque enim tunc valide generare potens est, cum in sua specie propriam adeptum fuerit perfectionem virtutemque omnem suae hypostasi convenientem.

Hi ergo, qui longe adhuc a suae perfectionis termino absunt, quomodo feliciter prolem generare poterunt? Et licet verum sit homines ut decimum quartum attigerint annum quoad mares, et duodecimum vel circiter quoad feminas, ad generationem ut plurimum

sufficere, manifestum est tamen non posse illis tam perfectam inesse generandi virtutem, ut posteaquam in robur virile evaserint. Donec enim ad ipsius individui augmentationem plurimum intendit natura vegetatrixque potentia, non admodum sollicita de specie est ad generationis semen perficiendum; verum posteaquam augmento ad naturae debitam quantitatem evexerit individuum, tunc liberius ad speciei multiplicationem intendit efficitque tunc semen, quod de alimento superfluo resolutum est, potentius ad sibi simile generandum. Etenim cum complexio, ex qua plurimum vitae longitudo dependet, et ipsa vel maxime ex bona optimaque seminum tum maris tum feminae coniunctione dependeat, ex perfectione vel imperfectione eorum et seminum perfecta vel imperfecta prolis complexio, ut plurimum, temperatur et efficitur.

Ideo cum processu temporis magis ac magis infirmetur virtus primariae complexionis,

Verum enimvero etsi optima semper esset ea coniunctio quoad naturam fieri potest, necesse esset tamen defectum semper aliquem in aetatibus reperiri, deficientibus semper posterioribus a primis. Etenim quemadmodum nutritio ad individui restaurationem, sic generatio ad speciei reparationem naturae instituto ordinata est; ac sicut nutritio non potest ipsum individuum sine corruptione perpetuum ac immortale conservare, sed tandem deficere ipsum necesse est, ex quo non aeque satis per nutritionem primigenium humidum resarcitur ad perfectionem absumpti, sicque continuo deficit caloris vivifici fomentum ac perinde vigor – propter quod tandem necesse est rem devenire ad interitum, calore vitali eiusque pabulo penitus deficiente; – ita plane generatio, quae ad speciem non satis aeque fortem ac validam [propagandam] reparat speciei virtutem ut in principio fuerat, et quo amplius per generationes species propagatur animalis, eo continuo magis ac magis infirmatur virtus primariae complexionis quae in primaevis erat individuis: sicque paulatim in dies debilitatur virtus complexionis humanae. Siquidem a propagatione species ipsa dependet: haec autem a generatione: generatio vero a semine: semen demum a primigenio humido, quod semper magis ac magis in dies labefactatur et in singulis generationibus eius est sequior [109a] virtus atque infirmior. Quare cum eius virtus continuo labefactetur,

etiam singulae generationes paulatim invalidiores fiunt;

109a) Ms.: *Secior.*

nec satis aeque restauretur, necesse est et generationes continuo labefactari invalidioresque in dies esse virtutemque speciei debiliorem ac infirmiorem semper magis magisque in dies.

quod verificatur etiam in brutis et vegetalibus.

Et id quidem non solum in hominibus, sed indubie et in bestiis, plantis, herbis, arboribus eorumque fructibus verum reperitur ex eadem ratione. Et haec quidem naturalis ratio nobis ipsa demonstrat non posse omnes rerum viventium species perpetuo stare aeternasque esse : sed tandem necessario deficere ac desistere oportere. Siquidem finita speciei virtus est ; cumque eius virtus singulis generationibus minuatur, necessum est aliquando consumi : finitum enim per ablationem finiti absumi necesse est.

Alia causa longaevitatis: bonus siderum influxus;

Est et alia vitae longitudinis causa, coelestis scilicet influxus solis aliorumque planetarum et astrorum. Vim enim habent haec in elementa et mixta : in elementa quidem, veluti cum sol absque igne suis radiis ignem generat, et aquam calefaciendo resolvit in vaporem et aerem ; deinde etiam elementa miscet, copulat applicatque ad pugnam, ut ipsa postmodum per se producant effectus : ex terra enim exhalationes, ex aqua vapores in ignem et aerem sol attrahit, quae coniuncta se mutant.

Mixtorum etiam causa sunt, tum quia elementa congregant ad mixtionem et id ultra virtutem formae productivam infundunt. Formae enim mixti productio non ab elementis, sed a coeli virtute est : inducit tamen non citra elementorum vires ac virtutes. Deinde et viventium in causa sunt, tum quia elementa congregant virtutemque formae productricem infundunt ; vel si non totam in universum virtutem imprimunt, coadiuvant tamen aliam virtutem, puta seminis, caloremque naturalem coalunt [110].

Imo is calor non elementaris, sed coelestis est, a coelesti, inquam, virtute, non elementorum. Cum autem is calor principium vitae sit eumque virtus coelestis astrorumque indat, elucet manifeste coelum et astra suis influxibus longitudinis vitae causam esse ; cum enim esse rei causa sint, sunt pariter et vitae et durationis.

et demum voluntas divina.

Demum : vitae cuiuscunque duratio a divina voluntate liberrima pendet ; unde B. Iob ait [111] : *Breves dies hominis sunt ; nu-*

110) Ms.: *Coalit.* 111) 14, 5.

merus mensium eius apud te est: constituisti terminos eius, qui praeteriri non poterunt.

Primaevi homines diu vivebant, quia erant complexionis optimae et fortissimae.

His ergo sic positis, ad id, quod quaesitum est, iam respondendum erit. Dicimus itaque primaevos illos patres longissime vitam in terris protelasse, quoniam omnes, quae mox dictae sunt, vivendi rationes in eis potissimae erant et ad diuturniorem vitam appositissimae. Si enim ad primam inspiciamus, optimae erant complexionis atque fortissimae. Primi enim naturae humanae parentes, Dei plasmata, Dei, inquam, manu formati, perfectissimam sortiti fuere complexionem optimamque temperiem. *Dei* enim *perfecta sunt opera*[112] et eo maxime, quo eos in hanc sententiam condiderat ut perpetuo immortalem vitam ducerent, nec mortem gustarent in terris. Ad quem finem prohibitum illis erat lignum vitae a Deo, quod speciei virtutem adeo suapte natura confirmare ac roborare natum erat humidumque primigenium per actionem caloris deperditum resarcire, ut immortalitatem eius ligni beneficio sortitus fuisset homo. Sic enim legimus: *Nunc ergo, ne forte mittat manum suam et sumat etiam de ligno vitae et comedat et vivat in aeternum*[113]. Post peccatum vero, absque ligni eius beneficio ob complexionis fortitudinem viriumque robur nongentis triginta[114] annis vixit; primariae autem complexionis illius virtus in primaevis illis hominibus vel minimum labefactata perbelle duravit.

Secundo: erant optimae proportionis vitalium elementorum et qualitatum;

Deinde vero et secunda ratio vivendi perfecta admodum fuit in eis. Cum enim condidisset Deus hominem ut perpetuo viveret, profecto calore eum vitali perfectissimo ac vivacissimo, humido quoque primigenio uberrimo calorique proportionatissimo ipsum attemperavit: horum enim proportio vitae longiori ducatum praestat, haec vitam efficiunt. Cum vero tum complexionis tum horum virtus per generationem in prolem transfundatur, quo est generatio validior, eo ad speciei virtutem perfecte servandam horum virtutem efficit validiorem ac potentiorem. In virili autem aetate validissima generatio est; tunc enim vegetatrix potentia, cum debitam individuo perfectionem acquisierit, de speciei conservatione sollicitior facta, natura ad generationis semen perficiendum vacat efficitque tunc semen ad sibi simile generandum potentius maiorique refertum virtute. Primaevi autem illi homines non priusquam in virile robur evasissent genera-

112) Dt 32, 4. 113) Gn 3, 22. 114) Ms.: *830 annis.*

tioni intendebant: nullus enim ante diluvium legitur ante sexagesimum annum genuisse, sed supra, centesimum octogesimum septimum usque annum generationem nonnulli distulere.

neque ante perfecti roboris acquisitionem generationi intendebant.

Quapropter cum perfectissimi tunc primigenii vitalisque humidi et caloris primi parentes extiterint, ipsi quoque speciei virtutem vel minimum aut nihil labefactatam in filios generatione transfuderint, ceterique illius aetatis, qui leguntur homines perfecte geniti, ipsi quoque non ante debitam maturitatem naturalemque perfectionem ad validam generationem sufficientem filiis procreandis operam dederint: virtus speciei tunc perfectissima perfecteque propagata per validam generationem diutius in individuis persistebat, ob primigenii humidi vivificique caloris perfectionem incolumenque virtutem, a conditione fere nihili labefactatam.

Tertio: eorum alimenta perfectissima erant, cum olera, quibus vescebantur, multo meliora ac perfectioris virtutis essent, quam post diluvium.

Tertia quoque ratio magnum praestitit longiori vitae emolumentum. Etenim quo perfectior est alimentorum nutrimentalisque humidi virtus, eo perfectius primigenium humidum resarcitur. Et tunc quidem temporis terrae nascentia, quibus homines vescebantur, perfectioris utique ac multo melioris erant virtutis, quam nunc sint, tum quia diluvii aquis plurimum labefactata est productiva terrae virtus ob aquarum salsedinem: *Rupti sunt* enim *fontes abyssi magnae*[115], quod est mare oceanum, omnium maximum: salsedo vero plurimum terrae officit; quapropter post diluvium filiis Noe carnium esum Deus contribuit, post herbas herbarumque et arborum fructus et semina[116].

Praeter id autem etiam per multiplices generationes deficit hominis alimentorum virtus, quoniam eorum etiam generatio non perfecte et examussim speciei virtutem instaurat, sed continuo virtus minuitur: sicut et primigenium eorum humidum non plene per alimentarium resarcitur, alioquin nunquam corrumperentur, nisi ab extrinseco; et horum quidem debilitatio in hominum damnum vergit, quoniam his pro cibo et alimento utitur homo. Quo vero cibus hic virtute deficit magis, eo minus ad humani corporis reparationem sufficit, sed ineptum magis magisque est. Cum ergo multo perfectioris efficaciorisque virtutis [essent] hominum alimenta cibusque tunc esset perfectior quam nunc sit, profecto ad longiorem vitam conducebant magis ad corpus restaurandum aptiora.

115) Gn 7, 11. 116) Cf. ibid. 9, 3.

Deinde vero non nimium homines illi gulae indulgebant, sed frugaliter vivebant et convenienti mediocrique alimento utebantur ad victum simpliciaque alimenta adhibebant in cibum, quae, ut medici aiunt, ad vitam conservandam praestant magis quam compositiora. Illi certe fructus terrae et illos quidem optimos adhibebant in cibum, prout Adam, qui per infusam vel innatam scientiam naturalium omnium herbarum fructuumque terrae virtutes vitae plurimum conducentes, cognoscebat in usumque adduxit posteritati illius aetatis. In potum vero aquam habebant, non merum; parcitas vero et mediocris sobrietas in victu longiori vitae plurimum prodest, quoniam minus extranei humidi cum primigenio miscet; excrescens enim nutrimentale humidum primigenii virtutem plurimum labefactat atque debilitat, naturae cum sit extraneae.

Quarto: eorum temperantia et frugalitas, ipsi enim nonnisi fructus terrae adhibebant in cibum.

Deinde etiam vitam continentem valde primaevi illi homines ducebant; ad centesimum enim usque circiter annum, plus minus, continentem incorruptamque vitam ducebant; postmodum vero connubia celebrantes non ad vanam delectationem obscenasque voluptates venereas explendas, sed sobrie parciusque coitum in usum vocabant iuxta naturae ordinem, ad speciei conservationem illum administrantes, ad filios filiasque procreandas. Continentia vero longitudini vitae plurimum conducit, sicut nimius coitus officit permagnumque affert detrimentum, ceu salacia ac multi seminis animalia, quae venerem valde sequuntur vita celerius absumi conspicimus[117]. Obscenus enim ille luxus nimiaque seminis emissio primigenium humidum valde exiccat, quo deficiente necesse est animal vita excedere; castitas vero et continentia ad vitae longitudinem confert plurimum. Hinc supra in expositione adnotavimus[118], post Adam omnes qui coniugium acceleravere, vita quoque celerius eo absumptos esse; eos vero qui longius continentem et castam duxere vitam, longiori periodo perfunctos esse: ceu fuit Iared qui triginta duobus annis plus Adam vixit, quoniam tantundem temporis plus eo continentem vitam egit; similiter Mathusala annis triginta novem plus primo parente in vita hac commoratus est, quia annis valde plurimis castam vitam plus eo egit.

Quinto: eorum continentia.

Aspectus quoque siderum bonus eos plurimum ad longiorem vitam

117) Cf. pag. 463. 118) Cf. supra pag. 441-443. 448.

Sexto: primaevi homines eam plagam incolebant ubi optimus erat siderum aspectus.

iuvabat. Siquidem primaevi illi homines in orientali plaga orbis incolae fuerunt, qua parte, cum dextra sit orbis, optimus est siderum aspectus, unde ἀπηλιώτης [119] ventus, qui subsolanus Latinis dicitur, in oriente sub solis radiis nascens, vitae, dum spirat, maxime favet et fovet; vitae autem periodus ab astrorum aspectu et virtute non modicum pendet, ut supra diximus [120].

Septimo: Deus voluit primos homines tandiu vivere, ut genus humanum melius propagaretur.

Demum tantae longitudinis dispositionem divinam in causa ponimus, qua sunt cuncta in ordine, pondere et mensura [121] disposita dulciter atque suaviter [122]; quae sic statuit ut illius temporis homines longaevam tanti temporis vitam agerent, ut et humana propago melius posset et crescere et diffundi: homines quoque rerum experientias adipiscerentur, artes ad vitam conducentes atque decentes invenirent, rerum causas venarentur et scientias rerum contemplatione investigarent. Voluntate itaque ac Dei virtute tanto tempore in vita perstiterunt.

Nec putandum est hoc fuisse miraculum, sed Deus adiuvit naturam, virtutem illi suppeditando ne citius deficeret.

Dico autem non quod miraculo vixerint, hoc est supra naturae vires, vel [123] omnipotenti Dei virtute, citra naturae munus, et opera eos vivere voluerit; hoc enim falsum est: siquidem anima functiones suas et opera in corpore exercebat; sed quemadmodum [multiplicatio] filiorum Israel in Aegypto et post Dei omnipotenti virtuti tribuitur, quemadmodum ipse dixit: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas coeli et ... arenam ... maris* [124], quod natura quidem non valuisset tantocius, nisi praecipua Dei virtute adiuta et suffulta, in tantam multitudinem excrescere et in tot propagines ex uno stipite diffundi; ita quoque primaevi illi homines longissimum illum vitae periodum protelasse dicamus, Deo naturae suppeditante virtutem ne citius defecisset; naturalis tamen non supra naturam vita ipsorum censenda est, sicut Hebraeorum generatio naturalis fuit.

119) Ms.: *Apoliothi*. 120) Pag. 466. 121) Cf. Sap 11, 21.
122) Cf. Ibid. 8, 1. 123) Ms.: *Sed*. 124) Gn 22, 17.

CAPUT SEXTUM

Vrr. 1-2 *Cumque coepissent homines multiplicari super terram et filias procreassent, videntes filii Dei filias hominum quod essent pulcrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.*

Textus Hebraicus: *Et factum est quia coepit homo multiplicari super faciem terrae et filiae natae sunt illis; et viderunt filii Dei filias hominum quoniam pulcrae ipsae, et acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.*

Chaldaicus Interpres: *Et fuit cum coeperunt filii hominum multiplicari super faciem terrae et filiae natae essent illis, et viderunt filii principum filias hominum quia pulcrae ipsae*, etc.

Textus Graecus: *Et factum est quando coeperunt homines multiplicari super terram et filiae natae sunt ipsis, videntes filii Dei filias hominum*, etc.

Filii Dei iuxta aliquos Hebraeos sunt angeli qui mulieribus adhaeserunt;

Fuit nonnullorum Hebraeorum in *Gemara*[1] loci huius expositio, qui *Dei filios* angelos intellexere, qui incubi mulieribus adhaeserint et ex illis connubiis prognati filii gigantes fuere. Verum si angeli peccavere, ipsi, non homines, dare poenas tantorum scelerum debuerant. Refert autem Sacra Scriptura hominum, non angelorum scelera ut diluvium invaderet in causa extitisse: *Videns*, inquit, *Deus quod multa hominum malitia esset in terra, et cuncta cogitatio cordis humani intenta esset ad malum omni tempore, poenituit eum quod hominem fecisset in terra*[2]. At Rabbinus Abrabanel ait[3] mysticam atque secretam eam expositionem esse.

alii tenent fuisse iudices et magnates;

Alii vero iudices nobiles et populorum magnates per *Dei filios* intelligunt[4], qui videntes filias hominum popularium sibique

1) Apud Rab. Abrabanel op. cit. f. 40^b; cf. etiam Gioseffo Flavio *Delle Antichità Giudaiche*, lib. 1, cp. 5, f. 3^b; Fagius, col. 222; Cartwrightus, col. 244. 2) Gn 6, 5-6. Vulg.: *Malitia hominum*, etc. 3) Op. cit. f. 40^a sqq. 4) Cf. Lactantius *Divinae Institut.*, lib. 2, cp. 15, (P. L. 6, 330-333); S. Hieronymus *Hebraic. Quaest. in Gen.*, ibid. 23, 948; S. Augustinus *De Civitate Dei*, lib. 15, cp. 22, ibid. 41, 467-468; Rab. Salomon op. cit. f. 7^b; Nic. Lyranus op. cit. f. 50^a; Alph. Tostatus op. cit. f. 35^a; Hier. Oleaster *In Moysis Pentateuchum*, f. 20^a; Pagnini op. cit. sub radice: בָּנָה, col. 287.

subiectorum pulcras atque ornatas, eorum pulcritudine capti, invitis parentibus ac vi e domibus rapientes, in uxores ducebant. At si iudicum et potentum universa ea facinora erant, cur non ipsi tantum, sed omnes in universum homines in eorum facinorum poenam aquis diluvii submersi pereunt ?

alii vero filios patriarcharum.

Alii *deorum filios* interpretati sunt [5], per *deos* intelligentes proceros illos homines iustos et virtute conspicuos, qui divini quodammodo homines videbantur, tum quia tandiu vivebant tum quia eorum vita eo longius protelata virtutibus omnibus elucebat ; hi sunt qui hucusque relati sunt. Eorum vero filii patrum iustitiam minime aemulati, sed a parentum iustitia et pietate in omnem iniustitiam et impietatem prolapsi, tam miserandae diluvii cladis in causa fuere. Sed si isti peccavere, et isti tantum puniri debuere.

Rectius tamen intelligendi videntur filii Seth, sic vocati quia cultum Dei habebant.

Alii *Dei filios* a Seth et Enos descendentes intelligunt [6], qui ob Dei cultum, quem habebant, [*filii Dei* vocantur] ; siquidem Enos tempore nomen Dei invocari coeptum est [7]. Hi ergo patrum pietatem religionemque aemulati Deum colebant ; a Cain vero descendentes paternam impietatem referentes, a Deo aversi omnino erant. At vero cum et illi *filii Dei* a iustitia et pietate declinaverunt ad mala perpetranda, cum omnes declinassent factique inutiles essent, nec ad unum usque reperiretur qui bona [8] operaretur [9] : *videns... Deus... ac dolore cordis tactus intrinsecus, delebo, inquit, hominem, quem creavi.* Arridet plane ista positio. Nec tamen in universum omnes Seth filios intelligimus, sed probos ac iustos Dei voluntatem efficientes eiusque exequentes iussa atque mandata, quos Deus ut filios diligebat.

5) Cf. S. Ambrosius *De Noe et Arca*, cp. 4, (P. L. 14, 366) ; Rabanus Maurus *Comment. in Gen.*, lib. 2, cp. 5, ibid. 107, 512 ; Hugo de S. Victore *Adnotat. Elucidat. in Pentat.*, ibid. 175, 45 ; Caietanus op. cit. pag. 44. 6) Cf. S. Io. Chrysostomus *Hom. 22 in Gen.*, (P. G. 53, 188-189) ; Theodoretus *Quaest. in Gen.*, *Interr. 47*, ibid. 80, 147-150 ; Procopius *Comment. in Gen.*, ibid. 87, 267 ; S. Eucherius *Comment. in Gen.*, lib. 1, (P. L. 50, 924) ; S. Beda *Hexaem.*, lib. 2, ibid. 91, 82-83 ; Alcuinus *Interrogat. Respons. in Gen.*, ibid. 100, 526 ; Rabanus Maurus *Comment. in Gen.*, lib. 2, cp. 5, ibid. 107, 512 ; Strabus *Glossa Ord. in Gen.*, ibid. 113, 104 ; Angelomus *Comment. in Gen.*, ibid. 115, 155 ; Remigius *Comment. in Gen.*, ibid. 131, 73 ; S. Bruno *Exposit. in Gen.*, ibid. 164, 176 ; Rupertus *De Trinitate*, etc. *In Gen.*, lib. 4, cp. 12, ibid, 167, 338 ; S. Ephrem Syrus *In Gen.*, cp. 5, t. 2, pag. 21 ; Nic. Lyranus op. cit. f. 50ª ; Aben Ezra op. cit. f. 7ᵇ. *Ioseph Kimchi : « Filii Dei* sunt sancti seu pii, et ipsi sunt filii Dei, quia ipse diligit eos sicut pater diligit filium ». Apud David Kimchi op. cit. sub voce: בן. 7) Cf. Gn 4, 26. 8) Cf. Ps 13, 3; 52, 4; Rom 3, 12. 9) Ms.: *Operetur.*

Quapropter hunc locum ita, nihili reluctante, exponimus. *Cumque coepissent homines multiplicari super terram.* Commune speciei nomen *homo* est, sexum utrumque complectens: unde in hebraeo est : *Cumque coepisset* אָדָם *multiplicari :* iuxta id quod supra dictum est : *Et vocavit nomen eorum Adam*[10]. Cum ergo humana propago nimium excrevisset nimiumque per iuges generationes propagum esset longe lateque diffusa, erant tamen adhuc inter homines multi iusti ac timorati, Deum agnoscentes et diligentes, qui quod iustum[11] est et rectum coram Deo operabantur proximisque lucis exempla monstrabant. Erat tamen nihilo secius stultorum impiorumque multo maior ac pene infinitus numerus[12], qui nec Deum timebant nec hominem reverebantur[13] : homines iniqui, impii, scelesti, facinorosi, sine affectione, sine pace : homines seipsos amantes[14] carnisque illecebras quascunque obscenissimas pro viribus sectantes.

Utraque generatio, Cain scilicet et Seth, admodum propagata erat ;

sed filii Seth numero valde minores erant filiis Cain,

Illi ergo homines iusti erant et pii : isti iniusti et impii ; illi Dei spiritu agebantur[15] spiritualesque erant : isti concupiscentiis abstracti et illecti[16], eis omnino parebant carnalesque erant ; illi *Dei filii* erant, quod iustorum est : isti filii diaboli et opera patris volebant perficere[17]. Isti filias genuerant vanas, impudicas, lascivientes et impudentissimas, quae fronte ac vultu impudentissimo, elato collo ambulabant, composito gradu et nutibus oculorum ibant et plaudebant in crispantibus et torti crinibus, in luxuriose ornatis[18] vestibus et fasciis pectoralibus, in monilibus, armillis, mitris et discriminalibus, in olfactoriis, inauribus, anulis et gemmis[19], hominum oculos pellicientes et ad se trahentes ad concupiscentiam, luxuriam atque lasciviam, factaeque sunt iustis in laqueum atque decipulam. Ecce enim ait : *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulcrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.*

et malis artibus seducti filiarum istius et cupidine victi, eas acceperunt sibi uxores,

Sicut Eva, cum vidisset vetitum illud lignum *quod bonum esset ad vescendum et pulcrum oculis aspectuque delectabile . . . , tulit* atque *comedit*[20] : ita isti, *videntes filias hominum quod pulcrae essent*, eas sibi in uxores acceperunt, non ob desiderium procreandorum filiorum

non ad filios procreandos, sed ad libidinem explendam ;

10) Gn 5, 2. 11) Ms.: *Istum.* 12) Cf. Eccle 1, 15. 13) Cf. Lc 18, 2.
14) Cf. 2 Tim 3, 2-3. 15) Cf. Rom 8, 14. 16) Cf. Iac 1, 14. 17) Cf. Io 8, 44.
18) Ms.: *Ornati.* 19) Cf. Is 3, 16-23. 20) Gn 3, 6.

cum eis connubia contrahentes, sed cupidine victi ob voluptatem et intemperantiam. Hi sunt qui Dei gratiam in luxuriam transtulere[21]; pulcritudo siquidem aspectus indeque concupiscentia secuta illos allexit ad eamque adduxit intemperantiae et scortationis perniciem. Aspectus occasionem praebuit; spectando vehementi sunt cupidine capti; inordinatae autem concupiscentiae frenum non ponentes, nec cohibere volentes, obscenissimorum scelerum sub undis mersi sunt. Primo simplici intuitu aspexerunt; simplex autem ille aspectus ruinarum illis causa extitit, quoniam pulcritudinis spectaculo capti, postmodum ad eas concupiscendas aspexere; cumque per concupiscentiae conceptum eas in corde suo moechati fuissent[21a], deinde inordinatis concupiscentiis nimium indulgentes permissisque frenis habenas profuse laxantes, earum congressibus demum, non nuptiarum lege, vel prolis procreandae gratia, sed ad venereas concupiscentias explendas usi sunt.

et amore mulierum capti, averterunt corda sua a Deo et in omne malum prolapsi sunt.

Cum itaque alienigenas a Dei religione adamassent mulieres eisque ardentissimo amore copulati essent, illae eorum animos nimium allicientes, eorum pariter corda a Deo et iustitia ab omni pietate et religione averterunt, ut non amplius cogitarent quae Dei sunt, quomodo Deo placerent, sed quae carnis sunt, quomodo placerent uxoribus[22]. Quapropter cum a iustitia et pietate mulierum causa aversi in omnę obscenum scelus, impium et iniquum opus[23] pauci illi, qui iustitiam, adhuc inter homines illos nequissimos servaverant, essent prolapsi, absque ulla reparationis spe vel salutis – *impossibile enim est*, ut ait A p o s t o l u s[24], *eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste et participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt... nihilominus bonum Dei verbum virtutesque saeculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam,* – disposuit Deus homines e terra perdere mundumque diluvii aquis a tot tantisque sordibus abluere. Unde sequitur:

Vr. 3 *Dixitque Dominus*[25]*: Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est; eruntque dies illius centum viginti annorum.*

21) Cf. Iud vr. 4. 21a) Cf. Mt 5, 28. 22) Cf. 1 Cor 7, 32-34. 23) Ms.: *Essent* adiungitur. 24) Hebr 6, 4-6. 25) Vr. 3. Vulg.: *Dixitque Deus*, etc.

Textus Hebraicus: *Et dixit Dominus: Non iudicabit spiritus meus in homine in saeculum,*[26] *eo quod etiam ipse caro est; et erunt dies eius centum viginti anni.*

Anima hominis apud B. Iob dicitur[27] *spiritus Dei: Donec superest halitus in me et spiritus Dei in naribus meis.*

Paraphrastes Chaldaicus: *Et dixit Dominus: Non consistet generatio mala ista in conspectu meo in saeculum, propterea quod illi sunt caro et opera eorum mala; spatium dabitur eis centum viginti annorum si forte convertantur,* sive *poeniteant.*

Targum Ierosolymitanum ita hunc locum paraphrastice reddidit: *Et dixit sermo Domini: Non iudicabuntur generationes, quae stant ad consurgendum exinde post generationem,* vel *aetatem diluvii, ut pereant, disperdantur et percutiantur exterminatione. Annon spiritum meum dedi in hominibus, quia caro illi sunt? Et opera eorum opera bona, et opera eorum opera mala. Ecce dedi eis spatium centum viginti annorum, si forte agant poenitentiam, vel non agant.*

Textus Graecus cum nostro concordat.

Non permanebit, etc. Variae lectiones.

Diverse admodum expositores, tum nostrates[28] tum Hebraei, hunc locum exposuere. Est autem in Textu Hebraeo dictio una amphibola, unde omnis diversitas orta est. Nam יָדוֹן, ea vox potest tum a radice דון emanare eritque sensus: *Non iudicabit,* sive *certabit,* aut *rixabitur spiritus meus:* דון enim iudicare, rixari, certare et contendere significat; potest nihilo minus a נֶדֶן deduci, quod est vagina, sitque יָדוֹן pro יִדּוֹן ponaturque hannach loco daghes, sicut est יִגַּשׁ, a נגש.

Rabbinus Salomon iuxta primum vocis significatum ita

26) Ms.: *In* adiungitur. 27) 27, 3. 28) Cf. S. Io. Chrysostomus *Hom. 22 in Gen.*, (P. G. 53, 190-191); Gennadius Patriarcha *Fragmenta in Gen.*, ibid. 85, 1642: Procopius *Comment. in Gen.*, ibid. 87, 267-270; S. Hieronymus *Hebraic. Quaest. in Gen.*, (P. L. 23, 948); S. Eucherius *Comment. in Gen.*, lib. 1, ibid. 50, 925; S. Beda *Hexaem.*, lib. 2, ibid. 91, 83; *Comment. in Pentat.*, cp. 8, ibid. col. 224; Alcuinus *Interrogat. Respons. in Gen.*, ibid. 100, 526; Rabanus Maurus *Comment. in Gen.*, lib. 2, cp. 5, ibid. 107, 512; Strabus *Glossa Ord. in Gen.*, ibid. 113, 104; Angelomus *Comment. in Gen.*, ibid. 115, 155; Remigius *Comment. in Gen.*, ibid. 131, 73; Guilbertus *Moralium in Gen.*, lib. 3, ibid. 156, 85-86; S. Bruno *Exposit. in Gen.*, ibid. 164, 176-177; Rupertus *De Trinitate*, etc. *In Gen.*, lib. 4, cp. 13, ibid. 167, 339; Hugo de S. Victore *Adnotat. Elucidat. in Pentat.*, ibid. 175, 45; Alph. Tostatus op. cit. f. 35b.

Interpretatio Rab. Salomonis et Ioseph Kimchi.

locum exponit[29]: « Non rixabitur, aut tumultuabitur spiritus meus intra me in saeculum propter hominem, perdam ne illum, an miserear ». Rabbinus vero Ioseph Kimchi:[30] « Non rixabitur, aut contendet spiritus meus superior, quem insufflavi in hominem, in saeculum cum corpore, quod animales belluinasque sequitur voluptates, quas ille nequaquam sequitur ». Alii aliter, quorum nil confert per singula texere expositiones.

Per *spiritum* intelligenda videtur anima rationalis corpori infusa,

Nos itaque hunc locum ita exponimus. *Non permanebit spiritus meus*, iuxta secundum vocis significatum: *non vaginabitur:* per *spiritum* enim rationalem animam intelligimus, quam Deus formato homini *inspiravit... et factus est homo in animam viventem*[31]. Dicitur autem: *Spiritus meus*, per specialem[32] creationem: non enim omnes animae una creatae sunt a principio, neque a prima [anima] ex traduce manant, sicut humana corpora omnia a primo hominis corpore per generationem traducuntur; sed genito in matris utero ex semine viri atque mulieris humano corpore et concinna organizatione disposito, anima a Deo, nullo alio mediante, creata infunditur et fit homo estque corpus veluti vagina spiritus humani, qui in eo veluti gladius in vagina continetur. Voce tamen concinna magis noster Interpres paraphrastico more id expressit, dicens: *Non permanebit spiritus meus in homine.* Accipiendus autem hic *homo* est sicut ibi[33]: *Formavit autem Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem. In aeternum,* inquit, idest multo valde tempore, ceu ad hoc usque tempus vixere homines paulo citra millenarium annum. *Quia caro est:* hoc est quia spiritu illo coelesti, quem ego insufflavi, abutuntur et quasi sola carne circumdati animaque carerent vitam absumunt, seipsos totos carnalibus operibus prodigentes; quia sunt animales homines, quae Dei sunt nihili sapientes: cum ego rationalem animam creaverim, ut me bonum summum agnosceret et intelligeret: intelligendo diligeret ac summe amaret: amando possideret, ut tandem frui posset. Ipsi vero nec me, nec quaecunque mea sunt, agnoscentes aut agnoscere volentes, sed blasphemantes potius, *quaecumque norunt in his tan-*

non ex traduce, sed a Deo immediate creata.

qua homines illi Deum agnoscere et diligere debebant, ut eum post diuturnam terrenam vitam in aeternum possiderent:

29) Op. cit. f. 7ᵇ. 30) Apud David Kimchi op. cit. sub voce: דון. Cf. Pagnini op. cit. sub radice: דון, col. 459. 31) Gn 2, 7. 32) Ms.: *Speciam.* 33) Gn 2, 7. Vulg.: *Formavit igitur*, etc.

quam bruta animalia corrumpuntur[34] : carnalibus enim affectionibus et sensibus ducti et acti, in belluarum modum vivunt. Cum ergo coelesti eo spiritu tantopere abutantur, ut in vanum omnino rationalem animam accepisse videantur, brutali tantum contenti eiusque operibus semper occupati et dediti, *non permanebit spiritus* ille *meus in homine in aeternum.*

sed, contra, ea abutebantur vitam absumendo carnalibus operibus omnino deditl.

Verum quia desperata omnino adhuc salus non est – homines enim sunt et poenitere adhuc possunt ut debent, – ut, relicta impietate et via sua mala, convertantur ad me faciantque iudicium et iustitiam[35] et non pereant, *erunt dies eorum centum viginti anni*, in quibus poterunt si voluerint delictorum suorum poenitere. Possunt enim, nam et rationem habent, qua et quae agenda sunt bona quaeque non agenda sunt mala possunt discernere : et voluntatem, qua perpetrata mala plangere et plangenda iterum non committere. Adhuc enim *spiritus* ille *meus*, qui in eis est, tanquam iudex in eis sedet, potens quod rectum est iudicare in conscientiae iudicatorio : adhuc συντήρησις[35a] illa conscientiae scintilla, contendit et pugnat adversus mala, quae semper se a peccato immunem immaculatamque conservare cupit ac custodire, nec extingui unquam potest, quin semper in malum remurmuret ; hanc enim non valent violatores constupratoresque animarum daemones corrumpere. Hinc rixa discerpens et discrucians, supra quam cogitari possit, infelicem ac miserandam animam peccatricem, veluti acerbissimus quidam vermis, qui pungentissimo semper aculeo pungit, mordet ac rodit continuo nec unquam moritur ; quoniam naturalis ille instinctus, scintilla illa rationis, apex ille mentis malum semper abhorret et execratur, semperque συντήρησις ad Dei dilectionem et bonum impellit ; reproba tamen voluntas pravis voluptatibus depravata atque corrupta toto odiorum conatu in adversum resilit. Ipsorum deliberatione opus est, si velint a malo declinare poenitentesque delictorum bona facere ; ego *centum viginti annorum* tempus contribuo ; quod si intra id tempus non eos malorum poenituerit, diluvio peribunt.

Deus igitur eos delere decernit; sed cum poenitere potuissent, ideo dedit eis spatium centum viginti annorum, ut poenitentiam agerent.

Vr. 4 *Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illaeque genuerunt : isti sunt potentes a saeculo viri famosi.*

34) Iud vr. 10. Vulg.: *Quaecumque... tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.*
35) Cf. Ez 33, 19. 35a) Ms.: *Sintheresis*, sic et infra.

Textus Hebraicus: *Gigantes fuerunt in terra in diebus illis, et etiam postea quam ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, et genuerunt illis: isti sunt fortes, qui a saeculo homines nominis.*

Chaldaicus Interpres: *Fortes,* sive *potentes fuerunt in terra in diebus illis, et etiam postquam venerunt filii principum ad filias hominum, et pepererunt ex illis, illi potentes, qui a saeculo homines nominis.*

Graeci habent: *Isti fuerunt gigantes a saeculo homines nominati.*

De *gigantibus* antiquorum poetarum fabulae.

Credidit vecors vetustas [36] gigantes homines fuisse excelsissimae staturae et draconum pedibus, ab irata tellure procreatos in deorum perniciem, ut scilicet superis bellum inferrent Iovemque de coeli possessione deiicerent. Haec autem commenta sunt et indoctae poetarum fabulae.

Gigantes intelliguntur homines corpore sublimes,

Nos certe dum gigantes audimus aut legimus, homines intelligimus proceros excelsaeque staturae, viribus fortes atque potentes, ceu de rege Basan, Og, dicitur [37], qui solus de gigantum stirpe superstes relictus fuerat monstrabaturque *lectus eius ferreus... in Rabath filiorum Ammon, novem cubitorum habens longitudinis et quattuor latitudinis ad mensuram... virilis manus.* De Goliath etiam qui *altitudinis* erat *sex cubitorum et palmi* [38]. Ita quoque exploratores duodecim tribuum de terrae gentibus ad Moysen et populum retulere: *Populus quem aspeximus, procerae staturae est; ibi vidimus monstra quaedam filiorum Enach de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustae videbamur* [39].

viribus fortissimi et valde perversi.

Gigantes itaque homines sunt corpore sublimes ac vasti, viribus fortes atque robusti, ab hominibus tamen geniti. Quo vero corpore excelsiores ac vastiores viribusque potentiores erant, eo moribus et animo praviores ac nequiores: superbi, elati, luxuriosi, raptores, scelesti ac facinorosi; quapropter recte, forte secundum allegoriam, dicti sunt a poetis contra deos bella gerentes pedibusque serpentinis. Hominum enim gens quaedam impia erat Deum negans: ideo existimata Deum e coelesti sede pellere voluisse; pedibus vero in draconum

36) Homerus *Odyss.*, lib. 1, vr. 310; Lucanus *De Bello Civili*, seu *Pharsaliae*, lib. 1, vr. 36; lib. 3, vr. 316; lib. 4, vrr. 593-610; lib. 6, vr. 665; lib. 7, vr. 145; lib. 9, vrr. 656-658; Hesiodus *De Generatione Deorum*, vrr. 185-186; Ovid. *Metamorph.*, lib. 1, vrr. 149-154; lib. 5, vrr. 319-324. 37) Dt 3, 11. Vulg.: *Cubitos habens*, etc. 38) 1 Rg 17, 4. 39) Nm 13, 33-34. Ms.: *Staturae sunt.*

volumine designati quod rectum nil cogitarent, totius vitae eorum gressu atque processu ad inferna vergentes. Unde facta de his gigantibus mentione, statim subinfertur: *Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra et cuncta cogitatio cordis humani intenta esset ad malum.*

Potentes dicuntur ob magnitudinem et virium fortitudinem; *famosi*, quia eorum fama late vulgata fuit.

Unde autem orti sint manifestat, dicens: *Postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illaeque genuerunt, isti sunt potentes a saeculo viri famosi;* ex hominibus, inquit, orti sunt, cum *filii Dei*, idest iusti illi homines filiique iustorum [*ingressi sunt ad filias hominum*]. Hi corporis statura cum essent proceri et fortes viribus, *viri potentes* dicuntur *a saeculo* nominati atque *famosi*, quorum fama passim in saeculis illis invulgaretur ob eorum magnitudinem et fortitudinem; vel forte melius *viri famosi* dicuntur quod, cum fortes viribus essent atque potentes, potestatem in subiectos nequissime exercebant veluti crudeles immanesque tyranni. Dicti sunt autem *gigantes*, hebraice: הנפלים, cuius etymologia ducitur a verbo: נפל, quod est c a d e r e.

Hebraei in *Bereshit Rabba*, ut R a b b i n u s A b r a b a n e l refert [40], inde aiunt sic esse dictos, quod *filii Dei* non acceperint *filias hominum* in uxores publico matrimonio, sed clandestino; cum vero illae ab his pepererunt, notum factum est peccatum eorum: quare filii eorum habiti sunt veluti illegitimi et nothi et propterea sic dicti sunt.

Ipse vero R a b b i n u s A b r a b a n e l aliam affert rationem huius nominis, quod cum *filii Dei*, qui statura proceri, sublimes vastique erant – et propterea forte sic dicti sunt, sicut *montes Dei* [41] et *cedri Dei* [42], idest altissimi montes et maximi. – adhaesissent ad filias hominum parvorum, idest minoris staturae, cum illae ab his concepissent, non valuerunt conceptos fetus ad nonum usque mensem portare in utero ob magnitudinem; quare abortum passae sunt et ante nonum mensem pepererunt ac propterea cadentes dicti sunt filii; נפל enim a b o r t i v u m dicitur in lingua hebraica [43].

Alii vero sic dictos putant [44], quod cum vasto et grandi corpore

40) Op. cit. f. 41b. 41) Ps 35, 7. 42) Cf. Ps 79, 11. 43) Cf. Pagnini op. cit. sub voce: נֵפֶל, col. 1653; Io. Buxtorfius et A. Zanolini *Lexicon Hebraicum*, sub eadem voce.

44) Cf. David Kimchi, qui deducit etymologiam huius vocis a: נפל, *cadere*. Op. cit. sub hac voce. Cf. etiam Rab. Aben Ezra et Salomon op. cit. f. 8a.

De gigantum denominatione opiniones Hebraeorum.

essent, ceteri hominum pavore illorum ceciderint, sicut et quidam populi terribiles vocati sunt: אמים, a terrendo. Alii existimant[45] *gigantes* sic appellatos quod lapsi essent a communi corpulentia et excessissent patres suos in statura atque potentia.

Gigantes dicti videntur ob violentiam et crudelitatem qua alios opprimebant.

Ego vero sic dictos puto, eo quod suis facinoribus et impiis operibus homines prosternerent et ante se morte crudeli et immani violentia cadere facerent, nefariis manibus necem ob animi crudelitatem inferentes; unde ipsi in omne execrandum scelus, detestandumque facinus corruerunt seseque scelestissime et impiissime praecipites dederunt. Unde ob nequissima et scelestissima eorum facinora immanesque impietates nominatissimi erant, cum terram omnem violentia, impietate et crudelitate replevissent. Unde sequitur:

Vrr. 5-7 *Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, poenituit eum quod hominem fecisset in terra. Et praecavens in futurum*[46] *et tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terrae, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres coeli; poenitet enim me fecisse eos.*

Textus Hebraicus: *Et vidit Dominus quoniam multa malitia hominis in terra, et omne figmentum cogitationum cordis eius solummodo in malum omni die; et poenitudine ductus est Dominus, quia fecit hominem in terra. Et dolore affectus est in corde suo et dixit Dominus: Delebo hominem, quem creavi, a superficie terrae, ab homine usque ad iumentum, usque ad reptile et usque ad volatile coeli; quoniam poenitet me quia feci ea.*

Paraphrastes Chaldaicus: *Et innotuit coram Domino quia multa malitia hominis esset in terra, et omne figmentum cogitationum cordis eius solum malum omnibus diebus, et poenituit Dominum in sermone,* vel *verbo eius quia fecit hominem in terra, et dixit in verbo suo ad conterendum furores eorum in beneplacito suo. Et ait Dominus: Delebo hominem, quem creavi, a superficie terrae, ab homine usque ad iumentum, ad reptile et ad volatile coeli, quia poenitet me in verbo meo quia feci ea.*

45) Cf. Nachmanides h. l.; Alph. Tostatus op. cit. f. 36ᵃ; Munsterus, col. 220. Circa varios sensus vocis: *Gigantes*, cf. *Bereshit Rabbà*, XXVI, 7, pag. 253-254.

46) *Praecavens in futurum*: circa verba haec, quae a Vulgata expuncta fuerunt, cf. Io. De La Haye *Biblia Maxima Versionum*, vol. 1, pag. 75; Aug. Calmet *Comment. in Gen.* pag. 55; H. Quentin *Biblia Sacra*, etc. h. l.

Videns Deus, etc. S. Scriptura figurate loquitur, quia Deus nec corpus habet, nec oculis indiget.

Textus Graecus habet: *Et consideravit Deus quod fecit hominem in terra,* sive *animo retractavit.*

Sacra Scriptura prosopopoeia quadam mirifice hic Deum transvestit ac sub hominum veste demonstrat; quae enim hic dicuntur, per ἀνθρωποπάθειαν [47] intelligenda sunt. *Videns autem Deus,* ait, *quod multa malitia hominum esset in terra.* Hoc est Deum *videre,* aliquid sibi innotescere; neque enim oculos habet ad videndum cum spiritus sit, non corpus: divino autem intellectui omnia, etiam abditissima, usque adeo nuda apertaque [48] manifestissime sunt, nota et cognita ac si quis perspicacissimis oculis in luce clarissima ea cerneret. Hoc est ergo: *Vidit Deus multam hominum malitiam:* quia haec sibi innotuit manifestissime, etiam quae in penitissimis cordium intimis inscrutabilibusque latebris delitescebant. Ipse enim corda scrutatur renesque probat omnium [49]; nec solum ea, quae foris parent, ut homines, clarissime videt, sed intimissima cordis intuetur [49a]. Ecce enim ait: *Et cuncta cogitatio cordis:* nihil sibi latebat omnino, sed ubique locorum ubique temporum omnia sibi dilucescunt.

et ubique praesens semper est.

Praesens enim ubique est omni tempore, adeo ut nec locorum latibula, nec tenebrarum obscura, etsi maxima, aliquid ab eo vel celent vel abscondant. Hinc David ait [50]: *Quo ibo a spiritu tuo et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in coelum tu illic es, si descendero in infernum ades. Si assumam alas aurorae, habitabo in extremis maris, etiam illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. Et dixi: Forsitan tenebrae operient me, et nox lux pro me; etiam tenebrae non obtenebrescent apud te et nox sicut dies lucebit; similes sunt tenebrae luci.* Quam clarus ac potens est hic Dei oculus, qui aliena solis aut lunae non indiget luce, sed ipse per se lux est clarissima inter densissimas etiam tenebras clarissime nobis, tamen invisibiliter, lucens, qui aspectu simplicissimo omnem etiam abditissimum locum lustrat.

Multa malitia erat, quia universa hominum multitudo omni prorsus genere

Itaque *vidit Deus quoniam multa malitia hominum esset in terra; malitia,* idest pravitas et iniquitas operum et affectionum: *multa,* inquit, *malitia:* tum quia peccantium maxima erat multitudo; universa siquidem tunc hominum alluvies [51] ad mala quaeque perpe-

47) Ms.: *Anthropospathiam,* et infra: *Anthropospathon.* 48) Cf. Hebr 4, 13. 49) Cf. 1 Par 28, 9; Ps 7, 10; Sap 1, 6; Ier 11, 20; 17, 10; 20, 12; Apc 2, 23. 49a) Cf. 1 Rg 16, 7. 50) Ps 138 (hebr. 139), 7-15. Ex hebraico. 51) Ms.: *Luvie.*

peccatorum multipliciter sese maculaverat,

tranda praeceps ruebat, universa gens illa et non recta nata natio, cui melius fuisset si nata nunquam fuisset [52], peccatrix erat, omnes filii nequam et scelerati ac vix unus repertus est iustus. Deinde vero multa eorum omnium erat iniquitas, quia non uno aut altero tantum peccatorum genere erant polluti, sed omni prorsus genere sese multipliciter maculaverant: populus *gravi* valde *iniquitate* [53]. Neque vero ex passione tantum carnis illecebra et prava affectione ducti peccabant, ut plerisque contingit, sed ex industria, omni virium conatu et cogitatu maligno quisque iniquis operibus operam dabat: *Et cuncta,* inquit, *cogitatio cordis intenta esset ad malum:* hoc est, ut Graeci paraphrastico more transtulere, *unusquisque cogitabat in corde suo diligenter ad mala perpetranda.* A talibus autem tantisque sceleribus execrandisque facinoribus et pravissimis corruptissimisque affectionibus nullo unquam tempore desistentes, quotidie procedebant in peius: *Omnis,* inquit, *cogitatio,* sive *figmentum cogitationum ad malum* tantum, quia boni nihil agebant, sed nec cogitabant, *omni tempore.* Haec cum vidisset Deus, iustissime indignatus est; unde sequitur:

et omni conatu et cogitatu maligno mala semper perpetrabat.

Poenituit eum quod hominem fecisset in terra. Quid est: *Poenituit eum?* Nunquid homo est ut poenitere possit? Ecce de eo Samuel Propheta ait [54]: *Porro triumphator in Israel non parcet et poenitudine non flectetur; neque enim homo est ut agat poenitentiam.* Per alium vero Prophetam ipsemet ait: *Ego... Deus et non mutor* [55]. Beatus quoque Iacob Deum Patrem luminum vocat [56], *apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio.* Verum per ἄνθρωπος-πάθος intelligendum est quod hic dicitur *poenituisse* Deum et *cordis dolore intrinsecus* tactum; homo enim, dum [57] prius actum quippiam demolitur et destruit, facti iam operis se poenitere ostendit. Nihil tamen poenae aut doloris in semetipso passus est Deus, nullum discrimen; impassibilis enim natura est. Dicta sunt autem haec ut peccatorum gravitatem simul et acerbitatem intelligamus, « quae divinam meruerint offensam tanquam eousque increverit culpa ut etiam Deus, qui natura non movetur aut ira, aut passione, aut odio, provocatus videatur ad iracundiam » [58]. Poenitentia ergo facti hominis

Poenituit. Figurate exprimitur peccatorum gravitas et Dei indignatio;

52) Cf. Mt 26, 24; Mc 14, 21. 53) Is 1, 4. 54) 1 Rg 15, 29. 55) Mal 3, 6. Vulg.: *Ego... Dominus.* 56) Iac 1, 17. 57) Ms.: *Duc.* 58) S. Ambrosius *De Noe et Arca,* cp. 4, (P. L. 14, 366).

haec Dei divinam exprimit voluntatem, iustissime exigentem peccatorum poenas ab homine eumque de terra viventium delere volentem; dolor autem ille cordis ira est et indignatio divinae voluntatis, idest divinam exprimit voluntatem aequissimo iustitiae suae iudicio hominem peccatorum suorum punire volentem.

Deus enim passiones non subit, sed aequissima iustitia bonos remunerat, malos punit.

Ira siquidem vindictae appetitus est et ulciscendi libido : et haec quidem in Deo est citra omnem passionem et perturbationem. Aequissima enim via Domini est, rectissima ac iustissima eius voluntas, quae omne quidem bonum praemiis bonis confertis ac supereffluentibus remunerare supra quam digna etiam merita exigant, malum etiam omne vult non impunitum abire.

Ideo tot facinorosos e terra delere decernit.

Videns itaque *Deus* tanta ac tot hominum detestanda execrandaque mala, scelera atque facinora, nulla aut irae, aut odii indignationisque passione permotus, aequissimo ac iustissimo voluntatis suae iudicio, vindictam malorum meritissimasque ac iustissimas peccatorum exigit poenas ; *vultus* siquidem *Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum* [59]. Unde ait :

***Delebo, inquit, hominem,* etc. Paraphrasis huius loci, ubi demonstratur immensa divinorum munerum largitas**

Delebo . . . hominem, quem creavi, a facie terrae, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres coeli ; poenitet enim me fecisse eos. Ecce, inquit, hominem ego mea manu condidi et creavi; quem etsi carne vestitum in terrae regione posui, in loco quidem tentationis – caro siquidem corruptelae illecebra est, – eius tamen nunquam immemor factus sum, nunquam auxilio defui : sed eum iugiter visitans continuo mea gratia affui. Eum paulo minus ab angelis [60] vel, si mavis, a Deo minui; mentem enim rationis capacem virtutemque animae corpori infusam dedi : gloria eum et honore coronavi, omnia sub pedibus eius subiiciens : super opera manuum mearum praefectum constitui, dicens ei ut dominaretur *piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae* [61] ; eum veluti alterum deum post me constitui, mea imagine et similitudine insignitum, ut cum his omnibus et ex naturae debito et deitatis meae honore me summopere coleret, me agnosceret et intelligeret mente et intellectu, me super omnia et in omnibus diligeret ac summo amaret affectu et corde pleno : ad mei gloriam et honorem bona quaeque totis viribus operaretur : ut post haec ego immarcescibilis gloriae corona [61*] auro,

59) Ps 33, 17. 60) Cf. Ps 8, 6-8. 61) Gn 1, 26. 61*) Cf. 1 Petr 5, 4.

gemmis omnique lapide pretioso coronarem summisque honoribus et amplioribus praemiis, donis atque muneribus misericorditer et iuste donarem. Haec quidem mea erat sententia, in hanc eum sententiam condidi et creavi; consilium vero et propositum [est] iustitiae aequitas et rectitudo inobliqua et inflexibilis.

et hominum erga Deum perversa ingratitudo.

At vero ipse homo, imo non homo, sed humus, terrenus totus, me summo bono relicto et post terga habito, mea gloria et honore contemptis, quaecumque fide et caritate me colentibus ac diligentibus praeparavi nihili pensis, me insuper floccifaciens et omnia bona mea vili habens, corruptibilibus bonis adhaesit; his oblectatus et delectatus, eorum, quae Dei sunt, nihil sapere, sed tantum quae carnis et mundi sunt [62], omni virtute contempta, iustitia relicta meisque mandatis transgressis, in brutorum animalium modum magis quam rationabiliter vitam agere sibi delegit. Quare animalis totus, factus similis iumentis insipientibus [63], *quibus non est intellectus* [64], totus carnalis et caro factus, indignum semetipsum reddidit nedum me meisque bonis, quae illi paraveram, sed vita quoque hac ipsa, ut spiritus ille meus coelestis, quem in faciem eius a conditione spiravi [64a], in homine ad brutalem vitam agendum amplius habitaret: siquidem *caro est*.

Demonstratur etiam Dei patientia peccatores ad poenitentiam expectantis et humani cordis duritia divinam bonitatem contemnentis.

Verum enimvero quia natura volubilis est poteratque a via sua mala ad me converti ut operaretur iustitiam, impietate relicta, sicque non moreretur, sed vita viveret [65]: poenitentiae tempus ei largitus sum ad id, centum viginti annos contribuens vitae ad poenitentiam eos expectans, ut viderem si forte converterentur a via sua pessima [65a]. Ipsi vero intra id tempus impietati ad impietatem et immunditiae ad immunditiam magis servientes, iniquitatibus iniquitates peccatisque peccata addidere. Quapropter *secundum duritiam* cordis sui *et impoenitens cor* eorum, magis magisque thesaurizaverunt sibi *iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei* [66], ignorantes quod benignitas mea ad poenitentiam eos adduceret; sed bonitatis et patientiae et longanimitatis meae divitias contemnentes [67]. Quid nunc igitur facto opus est, cum res quotidie in peius eat? Consilio meo meoque incommutabilis voluntatis proposito de habenda iustitiae et rectissimi iudicii ratione servato, sententiam, in quam hominem creavi, mutato

62) Cf. Rom 8, 5. 63) Cf. Ps 48, 13. 21. 64) Ps 31, 9. 64a) Cf. Gn 2, 7.
65) Cf. Ez 18, 21 sqq. 65a) Cf. Ier 35, 15; 36, 3. 7. 66) Rom 2, 5. 67) Cf. ibid. vr. 4.

opus est; siquidem mutare novi sententiam, etsi consilium mutare non novi.

Et haec quidem sententiae mutatio in Sacris Litteris *poenitentia* dicitur; et hoc est: *Poenitet me fecisse eos:* quia eos quidem ad vitam aeternam coelestemque gloriam destinaveram; nunc, aeterna morte damnatos, temporali etiam vita eos privare rectissimo iustitiae meae iudicio opus est. Verum quia et animalia cuncta in eius usum creaveram, eo deleto propter quem feci ea, ad quid ipsa vivent? Ea itaque cum eo simul delebo, *ab homine usque ad iumentum, ad reptile et ad volatile coeli.*

Quare homines vita supernaturali et aeterna privati, temporali etiam privantur.

His pro textus expositione positis, ad luculentiorem elucidationem quaesitum habere operae pretium erit in praesentiarum: sit ne Dei voluntas immutabilis omnino, an verti atque mutari quoquo pacto possit. Multa sunt enim in Sacra Scriptura quae vertibilem Dei voluntatem oculotenus ostendunt, veluti hic dicitur: *Poenitet me fecisse hominem;* et in *Samuelis 1*[68]: *Poenitet me,* ait, *quod constituerim Saul regem.* D a v i d quoque ait[69]: *Poenituit eum secundum multitudinem misericordiae suae;* per I e r e m i a m quoque Dominus ait[70]: *Noli subtrahere verbum, si forte audiant et convertatur unusquisque a via sua mala, et poeniteat me mali, quod cogitavi facere eis propter malitiam studiorum eorum.* Idem quoque Propheta ait[71]: *Nunc ergo bonas facite vias vestras et studia vestra et audite vocem Domini Dei vestri, et poenitebit Dominum mali, quod locutus est adversum vos;* et alibi idem ait[72]: *Si poenitentiam egerit gens ista... agam et ego poenitentiam;* et multa alia sunt huiuscemodi[73]. Deinde vero, cum liberrimae voluntatis sit Deus liberumque arbitrium habeat, quod ad opposita suapte natura est, cur verti non potest, ut quod prius nolebat velit, aut nolit volitum prius?

***Deum poenitere* non significat Deum mutari; Deus enim immutabilis est,**

Nos certe in Deo voluntatem esse dicimus et hanc quidem liberrimam, liberumque arbitrium habere Deum, cum habeat intellectum: voluntas enim intellectum sequitur, sicut appetitus sensitivus sensum; ac quemadmodum in quocumque sensus reperitur, appetitus quoque in eo est: ita cum intellectu semper voluntas in unoquoque invenitur,

quia velle et intelligere in Deo sunt suum esse.

68) 1 Rg 15, 11. 69) Ps 105, 45. 70) 26, 2-3. Vulg.: *Cogito facere eis*, etc.
71) Ibid. vr. 13. 72) Ibid. 18, 8. Vulg.: *Gens illa*, etc. 73) Cf. Idc 2, 18; Is 55, 7; Ier 26, 19; Ion 3, 9-10.

quae cognitum ab intellectu vel quaerit non habitum appetendo, vel in possesso quiescit amando et diligendo. In Deo itaque voluntas est sicut et intellectus ; et sicut intelligere suum est esse, ita et suum velle ; et veluti intellectus divini obiectum primarium ac per se primum illud verum divina essentia est, in quo omne aliud veri rationem participans clarissime elucet semper, et in ipso ac per ipsum cuncta semper intelligit – quapropter Dei scientia invariabilis incommutabiliter omnino semper est, – ita quoque voluntatis divinae summum illud bonum eademmet essentia obiectum ac finis est.

Divina voluntas ab alio extrinseco non movetur, sed in summo bono quiescit.

Nec ab extraneo aliquo vel fine, vel obiecto movetur, sed a bono, quod suamet est essentia, Dei movetur voluntas. Quapropter primum movens seipsum movere aiebat Plato[74], eo plane modo quo intelligere et velle motus dici consuevere. Cum itaque neutiquam ab alio a se, tanquam fine et obiecto, divina voluntas moveatur, sed tantum a divina essentia, quae summum est bonum et in quo omne aliud bonum eminenter reperitur atque diligitur : cum incommutabilis omnino divina essentia sit, voluntatem quoque impermutabilem esse necessum est. Neque enim divina voluntas appetitiva vel affectiva vis est, ceu in nobis, ut quaerat et appetat bonum, quod non habet ; sed in summo bono quiescit et delectatur diligendo et dilectio actus est voluntatis primus.

Libera tamen est, quia quidquid diligit, non ex necessitate diligit ac vult.

Secundo : divinam hanc voluntatem liberrimam dicimus liberique arbitrii esse. Apostolus enim ait[75] : *Spiritus* Sanctus *dividit singulis prout vult,* idest libero voluntatis arbitrio et non necessitatis obsequio. *Ad Ephesios* quoque ait[76] : *Praedestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* Dico autem liberrimae voluntatis liberique arbitrii esse, quoniam non quidquid diligit, ex necessitate diligit ac vult ; nanque et se suamque essentiam Deus diligit et alia quoque a se : diligit enim omnia, quae fecit, et tamen maxime rationalem creaturam, hominem, et intellectualem, angelum, et nihil odit eorum, quae fecit[77], sed omnibus sua bona seque ipsum, prout possibile est, communicare desiderat. Ceu res quaelibet naturalis, prout bona perfectaque est, proprium bonum communicare desiderat – hinc enim generatio naturalissimum

74) *Timaeus*, t. 1, pag. 41. 75) 1 Cor 12, 11. Vulg.: *Spiritus dividens*, etc. 76) 1, 11.
77) Cf. Sap 11, 25.

opus naturae est, – ita nimirum Deus propria bona communicare aliis vult, quantum possibilitas affert et res capax suapte natura est divinam bonitatem affluenter in se recipere.

Necessario quidem diligit bonitatem suam propter se;

Cum Deus aliis quoque a se bona communicare velit, et hoc diligere est bona alii velle, profecto alia a se diligit; sed se quidem ut finem, alia vero [ut] ad finem et propter finem, idest propter immensam suam bonitatem; et se quidem, idest bonitatem suam, quae sua essentia est, necessario diligit – sicut voluntas nostra ex necessitate beatitudinem vult, et ceu quaelibet alia naturalis potestas necessario in proprium ac primum fertur obiectum, – non enim potest Deus se non diligere: libere autem eatenus seipsum diligere dicitur, quatenus vult se diligere et se velle; in hoc enim praecipue [78] ratio libertatis consistit, ut quidquid quis agit, velit se agere et velit velle. Alia vero a se diligit quidem, sed tantum propter finem diligit, idest propter bonitatem suam; haec enim divinae voluntatis obiectum plenissime sufficiens est eaque plenissime satiatur et iucundissime. Quare nonnisi bonitatem suam in rebus aliis Deus diligit.

cetera autem bona non propter seipsa diligit, sed propter bonitatem suam;

Nec propter se aliquid diligit in eis: ceu qui amaram sumit potionem nihil in ea praeter sanitatem diligit, quae finis illius est; nihil enim in ea est quo delectari possit, veluti dulcis si ea potio esset: tunc nedum propter sanitatem, sed propter dulcedinem etiam sumere eam vellet. At cum Deus nihil nisi bonitatem suam in rebus inveniat, quo delectari possit, nihil in eis nisi suam diligit bonitatem. At vero is qui potionem diligit, etsi non propter se, sed propter sanitatem, necessario tamen diligit, finem volens, idest sanitatem – absque ea tamen consequi sanitatem nequit, – finem enim volentes, necessario ea, quae ad finem sunt, volumus, cum absque eis finem adipisci non possimus; veluti nave opus est transfretare volenti, et cibo vitam conservare. Secus autem si quae ad finem sunt nequaquam sunt necessaria, sed absque eis potest utique finis adesse.

et cum non sint necessaria sibi, libere ea diligit ac vult.

Deus itaque cum nonnisi propter finem, idest bonitatem suam summam cuncta alia a se diligat, nec sint haec necessaria Deo ad suam bonitatem vel adipiscendam, vel augendam, aut conservandam, ens enim summe bonum summeque perfectum est, nec potest ei quicquam perfectionis adaugeri; bonorum profecto nostrorum nullatenus

78) Ms.: *Praecipe.*

indiget. Quare clarissime liquet non necessario haec, sed mere libere velle ac diligere necnon operari. Cum enim liber sit, libere etiam operatur, non necessario : propterea operari [79] dicitur *omnia secundum consilium voluntatis suae*.

Necessaria autem dicitur divina voluntas, quia est ipsum divinum esse;

Tertio : divinam ipsam voluntatem necessariam esse dicimus ac omnino immutabilem. Necessaria quidem est, quoniam divina essentia necessaria est, et ipsa voluntas in Deo essentia est ; et velle quoque voluntatis divinae necessarium est, sicut et scire intellectus ; nam et velle et scire ab essentia non secernuntur. Sed scire quidem necessariam habet ad scita habitudinem, non autem velle ad volita : quoniam scire de rebus est prout in sciente sunt, velle autem ad volita prout in seipsis sunt comparatur; hinc est quod dicitur : veritas est in intellectu, bonitas vero in rebus [80]. Cum ergo quaecumque alia a Deo sint, quatenus quidem in Deo sunt necessarium habent esse, quatenus autem in seipsis non necessarium; ideo scire quidem Dei ad scita necessariam habitudinem habet, quoniam in ipso sunt : velle autem non, quoniam res prout in seipsis sunt diligit, ideo non ex necessitate.

libera vero, quia res extrinsecas prout in seipsis sunt diligit, ideo non ex necessitate.

Quod autem necessaria sit quidem in se divina voluntas et velle, non necessariam autem habitudinem ad volita extra se habeat, non a se, sed a rerum defectu est. Quod enim Deus non necessario velit alia a se, non ex defectu divinae accidit voluntatis, sed rerum ex propria ratione, quae quidem tales sunt ut sine eis summe perfecta perfecteque summa Dei bonitas esse possit, nec quicquam ei possint adaugere virtutis et perfectionis.

Deus igitur est quidem immutabilis, sed rerum mutationes vult, et omnia movens

Cum itaque necessaria omnino sit divina voluntas et velle, immutabilem quoque omnino esse necesse est ; dico autem immutabilem esse non autem immutabilitatem velle. Siquidem immutabilis rerum aliquarum mutationem vult : ipse enim perpetua mundum ratione gubernans tempusque ab aevo ire iubens, dat cuncta moveri [81], movet omnia, tempora mutat, regna transfert, nunc poenis nunc praemiis

79) Ms.: *Operario.* 80) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 16, a. 1, c; q. 27, a. 4, c ; q. 82. a. 3, c ; Aristot. *De Anima*, lib. 3, cp. 8, t. 1, pag. 403 ; *Metaphysic.*, lib. 6, cp. 3, t. 2, pag. 523. 81) Sev. Boetius *De Consolatione Philosophiae*, lib. 3, *Metrum 9*, (P L. 63, 758):

« O qui perpetua mundum ratione gubernas,
... qui tempus ab aevo
Ire iubes, stabilisque manens das cuncta moveri ».

afficit, semper stabilis immobilisque manens, et omnes naturarum mutationes volens, ipse nec mutatur, nec mutari voluntate potest. Tunc enim volontas mutari dicitur, cum velle incipit quod prius nolebat, aut quod volebat nolle velleque desinit.

Ipse non mutatur, quia semper vult quod vult.

Et id quidem nonnisi praevia aliqua mutatione contingit, vel substantiae dispositionis, vel cognitionis. Cum enim voluntas nonnisi in bonum sibique conveniens feratur, his modis potest quis recenter bonum quippiam velle : aut cognoscit nunc sibi bonum, quod ignorabat prius, ad hoc enim consilia inimus ut sciamus quid nobis bonum sit ; vel quia mox incipit quippiam conveniens nobis esse : veluti duplicibus vestiri cum nimium frigora urunt in hieme, quod quidem, calore aestuante in aestate, bonum non erat. Et hoc quidem non absque mutatione substantiae accidit, quoniam nunc frigorum iniuriis incipit affici et aduri, prius autem caloris.

Insuper quod mutatur in potentia est vel substantiae, vel cognitionis:

At vero tum Dei substantia tum scientia et cognitio immutabilis invariabilisque omnino est. Substantia quidem Dei mutari nullo modo potest vel a non esse ad esse, vel ab esse ad non esse, quoniam actus purissimus est. Quod autem mutabile est, in potentia est, nec potest purus actus esse ; et substantia simplicissima omnis compositionis expers, nec cuipiam potest compositione misceri. Quod mutabile est potest utique recipere terminum et compositionem : summe autem simplex non potest cum aliquo componi. Deinde vero quia ens perfectissimum est, nec potest aut in melius vel deterius mutari, vel eius perfectio minui vel augeri. Deinde quia necesse est esse et infinitum esse ; quod enim necesse est esse, praeter id quod habet aliud habere non potest [82] esse : quod autem mutatur, ex eo quod mutatur, habere aliud potest et esse, et illud quidem contingens, cum prius non esset. Cum etiam infinitum sit esse, mutari non potest, quoniam si mutatur, cum mutationis termino componitur et illud pars esset ipsius : omnis autem pars excedi potest ; id autem adversum est infinito. Demum : quidquid in Deo est, Deus est et ipse est quidquid habet, quoniam simplicissimus est. Si ergo mutaretur, utique mutationis terminum haberet : et iste ergo mutationis terminus Deus profecto erit. Si igitur recenter mutatur, novus ac recens incipit esse Deus. Immutabilis itaque omnino Dei substantia est.

Deus vero actus purissimus est et actu omnia cognoscit.

Demum quod mutatur potest compositione misceri;

Deus autem est substantia simplicissima, esse necessarium et infinitum.

82) Ms.: *Autem* adiungitur.

Sicut Dei scientia invariabilis est et immutabilis, quia res ab aeterno novit, et earum mutationes;

Scientia quoque ipsius est invariabilis. Scientia enim Dei eius substantia est; ac sicut immutabilis omnino eius substantia est, ita et scientia. Non enim secundum creaturarum variationem ipsa variatur ex eo quod novit aliqua esse posse, quae non sunt, et posse non esse, quae sunt; ipse enim et res novit et variabiles mutabilesque esse, earumque motus et variationes penitus novit, quo universo temporis fluxu peraguntur, immutabilis semper manens. Cuncta enim, quae in tempore vel fiunt vel fieri quoquo modo possunt, in aeternitate sua ipse cognovit, quae omni coexistit tempori, sicut indivisibile centrum universae circumferentiae, ac veluti si oculus quidam eousque elevaretur, ut totum flumen a fonte, unde oritur, vel mare usque toti assisteret fluminis aquae ac partibus singulis universaque, quae in eo fiunt videret, omnem fluxum et mutationem, nullam mutationem passus. Ita plane Deus omnem temporis fluxum uno intuitu simplicique videt omnesque rerum mutationes, quae in eo fiunt; et sicut oculus ille infallibiliter immutabiliterque cuncta videret, nullam tamen necessitatem his imponendo, quae videt: sic et Deus.

Ita et eius voluntas.

Videns Deus, etc. Verba haec non litteraliter accipienda sunt, quasi Deus tunc recenter cognoverit, et ex nova cognitione poenituerit;

Immutabilis itaque Deus cum sit et substantia et cognitione, immutabilis quoque voluntatis omnino necesse est esse. Quapropter recte de eo in *Numeris* legimus [83]: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur;* et in *Samuelis 1* [84]: *Triumphator in Israel non parcet et poenitudine* [85] *non flectetur; neque enim homo est ut poenitentiam agat.* Cum ergo hic dicitur poenituisse Deum *quod hominem fecisset*, metaphorice intelligendum est per ἄνθρωπος-πάθος, idest more hominum; et cum dicitur quod: *Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra et cuncta cogitatio cordis humani intenta esset ad malum*, et: *Poenituit eum:* non est intelligendum quod tunc viderit, quasi recenter cognoverit et ex nova cognitione poenituerit: siquidem ab aeterno cognovit; sed quod tunc hominum merita ob multam malitiam exigebant, ut deleret eos Deus, quasi tunc vidisset.

sed Scriptura hoc modo loquitur, quia Deus

Poenituisse vero et ob aliud dicitur: quoniam non in hanc sententiam hominem condiderat, ut deleret, sed potius ut beatificaret, si tamen bona fecisset; ideo non absoluta vel beneplaciti simpliciter ea voluntas erat: sed ea conditione bonorum operum. Cum autem hominem per-

83) 23, 19. 84) 1 Rg 15, 29, Vulg.: *Agam poenitentiam.* 85) Ms.: *Plenitudine.*

didit, eam quidem sententiam, in quam primo condidit, mutavit, quoniam quem ad beatitudinem primo creavit, perditioni et damnationi tradidit.

hominem creaverat ut eum beatificaret si bona fecisset;

Et eatenus *poenituisse* dicitur, quatenus poenitentia haec sententiae mutationem significat, non autem consilii; *consilium* enim *voluntatis suae* [86] nequaquam mutavit, quoniam tale erat et ab aeterno fuit, ut si iuste ageret, homo beatificaretur: si inique, perderetur; quapropter cum homo ob suam iniquitatem meruit, eum Deus perdidit et delevit. Ecce enim *Noe*, quoniam iustus fuit iusteque egit,
Vr. 8 *gratiam in oculis Domini*, ut in textu dicitur, *invenit*, idest Deo placuit et ob iustitiam suam vivere meruit et finem ultimum, in quem Deus illum primo condiderat, consequi Dei gratia et beneficio [87].

mutavit ergo sententiam, non mutavit consilium.

Vrr. 9-10 *Hae sunt generationes Noe: Noe vir iustus atque perfectus [fuit] in generationibus suis, cum Deo ambulavit, et genuit tres filios, Sem, Cham et Iaphet.*

Textus Hebraicus: *Istae generationes Noah: Noah vir iustus, integer in generationibus suis fuit: cum Deo ambulavit Noah; et genuit Noah tres filios, Sem, Ham et Iaphet.*

Ita et Chaldaeus Paraphrastes habet: *Noah vir innocens, perfectus fuit in generationibus suis: in timore Domini ambulavit Noah.*

Disseruit Sacra Scriptura in genealogiae contextu generationes Noe, quod *cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham et Iaphet* [88] hic eas iterum in medium affert, dicens: *Hae sunt generationes Noe.* Non ab re, nec sine ratione; quoniam ibi quidem in primo *Geneseos* ordine et genealogiae serie ab Adam ad Noe usque, ipsius Noe enumerantur generationes, sicut et aliorum patrum; nunc vero, quoniam ipse solus e diluvio ereptus est et filii eius, propterea eius iterum recensentur generationes, quoniam relictus est ipse secundus humanae generationis stipes ac veluti alterum principium ex quo omnes homines in posterum nascituri originem traherent. Insinuat etiam non plures filios filiasque genuisse, sicut omnes patres sui, sed tribus illis tantum contentus, cum omnibus filiis suis salvatus est propter iustitiam suam.

***Hae sunt generationes Noe*, etc. Iterum recensentur generationes Noe, quia ipse est secundus humanitatis stipes,**

86) Eph 1, 11. 87) Ms.: *Meruit* repetitur. 88) Gn 5, 31.

Iustus dicitur, quia Deum vero diligebat et proximum,

Noe, inquit, *vir iustus atque perfectus in generationibus suis fuit: iustus* idest vir bonus et optimus; *iustus*, quoniam singulis, quae sua sunt, dabat : Deo quae Dei sunt reddens et hominibus quae hominum sunt [89]. Deum enim fide et caritate colebat, honorem summum et gloriam soli Deo tribuebat, Deum in omnibus et super omnia corde perfecto et optimo, ex tota mente, anima et viribus diligebat [90]; proximum quoque sicut seipsum diligebat, eis lucis exempla monstrabat, bona agere et a malis declinare suadebat; propterea *iustitiae praeco* dictus est [91]. *Iustus* itaque erat, quoniam singulis quae sua sunt tribuebat.

perfectus autem, quia inter universalem corruptionem illaesus permansit, uni Deo adhaerens et illi soli placere studens;

At nedum *iustus*, sed *perfectus* quoque et *integer* dicitur; quoniam, cum corrupisset *omnis caro viam suam*, ipse nequaquam carnis illecebram secutus est, sed Dei spiritu agebatur corpusque suum castigabat et in servitutem redigebat, ne, cum aliis praedicasset, ipse reprobus efficeretur [92]. Carne itaque vilipensa Domino adhaerebat, ut unus spiritus cum eo efficeretur [93]; hoc est quod dicitur : *Cum Deo ambulavit* Noe, iuxta illud : *Ambula coram me et esto perfectus* [94]*:* et illud : *Post Dominum Deum vestrum ambulate et timete eum* [95]. *Cum Deo ambulavit*, quia Deo placere studuit, Deum timuit et amavit; et eo magis laude et admiratione dignus est, quo solus ipse tunc repertus est inter homines universos qui Deum sequeretur; hoc est enim : *In generationibus suis:* quoniam *omnis caro corruperat viam suam:* ipse vero, iustitia omni servata, *perfectus* et *integer* solus inventus est.

ideo ab universali exitio immunis servatus.

Quapropter cum inter scelestissimos homines *perfectus, iustus* repertus sit, *in tempore iracundiae factus est reconciliatio* [96], quoniam *invenit gratiam coram oculis Domini* et omnium hominum superstes factus est, speciei vero humanae veluti alterum principium et secundus stipes.

Vrr. 11-13 *Corrupta est autem terra coram Domino* [97] *et repleta est iniquitate. Cumque vidisset Deus terram esse corruptam* (*omnis quippe caro corruperat viam suam super terram*)*, dixit ad Noe : Finis universae carnis venit coram me ; repleta est terra iniquitate a facie eorum, et ego disperdam eos cum terra.*

Textus Hebraicus: *Et vidit Deus terram et ecce corrupta*

89) Cf. Mt 22, 21 ; Mc 12, 17 ; Rom 13, 7. 90) Cf. Mt 22, 37 ; Lc 10, 27.
91) Cf. 2 Petr 2, 5. 92) Cf. 1 Cor 9, 27. 93) Cf. ibid. 6, 17. 94) Gn 17, 1.
95) Dt 13, 4. Ex hebraico. 96) Eccli 44, 17. 97) Vr. 11. Vulg.: *Coram Deo*, etc.

ipsa, quoniam omnis caro corrupit viam suam super terram. Et dixit Deus Noah: Finis omnis carnis venit coram me, quoniam plena est terra violentia a facie eorum, et ecce ego disperdo eos cum terra.

Paraphrastes Chaldaicus: *Et vidit Deus terram et ecce corrupta, quia corruperat omnis caro hominis viam suam. Et dixit Deus Noah: Finis omnis carnis venit in conspectu meo, quia impleta est terra violentiis,* vel *rapinis a facie operum eorum malorum, et ecce ego disperdo eos cum terra.*

Graeci habent: *Tempus omnis hominis venit coram me.*

Targum Ierosolymitanum habet: *Repleta est terra* חוֹמְסִין וְגוֹזְלִין, idest *latronibus et raptoribus.*

Corrupta est autem terra coram Domino: vel: *Vidit Deus terram et ecce corrupta:* sicut supra dictum est: *Videns Deus, quod multa malitia hominum esset in terra,* quia omnis eorum pravitas tum mentis et cordis in cogitatione, tum facinorum in opere: hoc est enim terram esse corruptam. Terrae autem nomine non eam, quam pedibus calcamus, intelligimus, sed homines, qui in terra sunt, sicut et in Evangelio legimus [98]: *Vos estis sal terrae;* hominibus enim pessimae illius generationis omnibus peccatorum generibus depravatis atque corruptis, altius non competebat nomen: sicut Adae post peccatum dictum est [99]: *Terra es et in terram ibis.* Peccatores enim verissime in terram ire dicuntur, quoniam corpora eorum, cum e terra sumpta sint, in terram quoque convertuntur, nec digniori unquam loco dabuntur; animae quoque eorum, etsi coelestem originem habeant, pondere tamen nimio et gravissimo peccatorum actae atque depressae, mox ut corpore solutae sunt, ad inferna descendunt, *ad terram* illam *tenebrosam et opertam mortis caligine, terram miseriae et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullo ordo, sed sempiternus horror inhabitat* [100].

***Corrupta est autem terra,* etc. *Terra* significat peccatores, tum quia eorum corpus ex ea sumptum in eam reverti debebat, tum quia eorum anima ad terram tenebrosam detrudenda erat.**

Vidit itaque Deus *terram,* idest terrenos homines, *esse corruptam,* quoniam *omnis... caro corruperat viam suam.* Per *carnem* quoque hic hominem intelligimus, non bruta animalia, quae intelligentia non errante reguntur ad suum finem directe, nec divertuntur unquam aut aberrant, sed naturae iura nullatenus frangentes, recta semper ten-

***Caro* pariter homines significat in vitia turpissima prolapsos.**

98) Mt 5, 15. Cf. S. Augustinus *Sermo Domini in Monte,* lib. 1, cp. 6, (P. L. 34, 1237).
99) Gn 3, 17. Ex Septuaginta. 100) Iob 10, 21-22.

dunt ad finem via. *Caro* itaque haec universa, quae viam suam corrupit, homo est, de quo dictum est supra : *Non habitabit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est.* Haec *caro* viam suam corrupit turpissima et obscenissima venere ; nulla enim habita ratione multiplicationis speciei, nulla considerata honestate, modos indebitos et quales natura horret coniunctiones invenere. *Nam feminae eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam ; similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminae, exarserunt in desideriis suis [in] invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes* [101]. Quapropter commotus Deus dixit ad Noe:

Cum autem Deus dedisset illis spatium centum viginti annorum ad poenitendum, peiores effecti sunt,

Finis universae carnis venit coram me : innotuit, inquit, mihi generationis huius pessimae malitia ab initio, et tunc iuste merebatur ut eam e terra delerem ; quoniam vero *peccatoris nolo mortem, sed ut magis convertatur et vivat* [102], *centum viginti annorum* tempus ad poenitendum eis benigne misericorditerque largitus sum, si forte converterentur *a via sua mala* [103] ut *bonas facerent vias suas et studia sua* [104], et me poeniteret mali, quod contra gentem istam locutus fueram. Veruntamen iam tempus istud poenitentiae impletum est et consummatum iam abiit ; ipsi vero nihilo meliores, sed multo peiores effecti sunt ; iniquitatibus iniquitates superaddentes, omni malitia cumulatius pleni sunt. Ecce enim *repleta est terra iniquitate a facie eorum,* idest propter eorum mala opera : ipsi enim pleni prius erant, nunc autem cumulatius repleti omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, pleni invidia, homicidiis, contentione, dolo, malignitate, rapinis et latrociniis ; susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosi, superbi, elati, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositi [105], sine affectione, absque foedere, sine misericordia [106] : iustitiam meam non agnoscentes nec intelligentes. Video quod qui talia agunt digni sunt morte : quid igitur facto opus est ? *Ego disperdam eos cum terra.* Tu itaque, Noe, *vir iustus et perfectus,* quoniam gratiam in oculis meis invenisti, ne cum impiis pereas.

Ideo Deus eos disperdere decrevit.

101) Rom 1, 26-27. 102) Cf. Ez 33, 11; *Pontificale Rom.*, part. 3, *De Reconciliatione Poenitentium* pag. 320 ; *Breviarium Rom.*, Antiphona ad Primam, Tempore Quadragesimae.
103) Ier 18, 11. 104) Ibid. 7, 3. Vulg.: *Bonas facite vias vestras et studia vestra.*
105) Ms. : *Plenos invidia... contumeliosos, superbos, elatos..., incompositos.* 106) Cf. 2 Tim 3, 1-4.

Vrr. 14-16 *Fac tibi arcam de lignis levigatis*[107]*; mansiunculas in arca facies et bitumine linies intrinsecus et extrinsecus. Et sic facies eam : trecentorum cubitorum erit longitudo arcae, quinquaginta cubitorum latitudo, et triginta cubitorum altitudo illius. Fenestram in arca facies et in cubito consummabis summitatem eius ; ostium autem arcae pones ex latere ; deorsum cenacula et tristega facies in ea.*

Textus Hebraicus: *Fac tibi arcam e lignis pini ; nidos facies in arca et bituminabis eam ab intus et extra in bitumine. Et sic facies eam : trecentorum cubitorum longitudo arcae et quinquaginta cubitorum latitudo eius et triginta cubitorum altitudo illius. Fenestram facies in arca et ad cubitum consummabis eam desuper ; et ostium arcae in latere eius pones ; inferiora et secunda et tertia facies.*

Paraphrastes Chaldaicus: *Fac tibi arcam de lignis cedri ; habitacula facies in arca et operies eam deintus et foris in bitumine.*

Targum quoque Ierosolymitanum habet : *de lignis* דְּקַדְרִינִין, idest *cedrinis.*

Graeci habent : *De lignis quadratis.*

Fac tibi arcam de lignis levigatis. Variae interpretationes.

Porro גֹּפֶר, quod est in Textu Hebraico, lignum est leve et ad fluitandum super faciem aquarum aptissimum, quale est pinus : unde pinum plerique existimant[108] ea voce proprie intelligi. Alii[109] vero cedrum, iuxta Paraphrasim Chaldaicam. Talmudistae quoque Hebraeorum quattuor genera [cedri] esse dicunt[110], videlicet : ארז, קדרוס, עץ־שמן, זברוש.

Deus Noe mandat ut arcam faciat, ut ipse cum sua familia salvetur.

Ait itaque : *Fac tibi*, hoc est ad salutem tuam, ut a diluvio salveris, *arcam*, veluti praegrandem navem ; *de lignis levigatis*, idest levibus valde, qualia sunt pinea et cedrina ; *mansiunculas* in ea *facies*, idest habitacula veluti animalium ad habitandum ; *et bitumine linies* eam

107) Ms. : *Levigatis* repetitur. 108) Cf. Vatablus, col. 226 ; Clarius, col. 228. 109) Cf. Procopius *Comment. in Gen.*, (P. G. 87, 274) ; Io. Menochius *Explanat. in Gen.*, pag. 7 ; Munsterus, col. 221 ; Vatablus, col. 226 ; Clarius col. 228 ; Drusius, col. 230. 238 ; Pererius op. cit. lib. 10, *disput.* 2, t. 2, pag. 119-120. *Io. Buteonis* : « Post datam formam, materia recte sequitur. Quam ex lignis Gopher hebraeus sermo constituit. Sed quidnam debeat intelligi per Gopher, interpretes Iudaei tanta confusione disserunt ut nihil inde stabile finiatur. Alii siquidem Pinum, alii Abietem, Cupressum alii, quidam Cedrum suspicantur. Talmudistae quoque Cedri genera quatuor faciunt ». *De Arca et Noe, Critici Sacri*, t. 1, part. 2, tract. ad calcem *Pentateuchi*, pag. 30. 110) Cf. *Talmud Babil.*, *Ros ha sanah*, f. 33ᵃ. Drusius, col. 230-238.

intrinsecus et extrinsecus, ad rimas fixurasque omnes occludendas ne aut desuper inimicum imbrem acciperet, aut desubter undis aditum praeberent, non firmae usque adeo aut laxae laterum compagines, ne etiam aquarum inundatione citius ligna marcescerent et corrosione rimis defatiscerent. Porro per כפר in Textu Hebraico plerique[111] חומר, idest caementum, alii[112] זפת, idest picem intelligunt.

Et sic facies eam, etc. Formam, qua construenda sit, praescribit.

Et sic facies eam. Effectricem causam arcae primo designavit et finem una cum materiei genere, cum ait: *Fac tibi arcam de lignis levigatis*; nunc[113] formam praescribit qua construenda sit arca: *Trecentorum cubitorum erit longitudo arcae, quinquaginta cubitorum latitudo et triginta cubitorum altitudo illius.*

Cubiti illi non geometrici erant, quia mensuram hanc Hebraei non noverant,

Plerique hic geometricos cubitos sentiunt[114] eos fuisse, quibus dimetitur arca: is autem cubitus sexcubitalis. Verum aliud est; alioquin arca illa ad omnigenas animalium species servandas tantorum tam multiplicium, tam multorum animalium et alimentorum, quibus vesci per annum integrum ea oportebat, non fuisset loco capax. At vero huiusmodi geometricos cubitos ignorant Hebraei; sed cubitus eis ulna dicitur *ad mensuram cubiti virilis manus:* nec illius cubiti usquam in Sacra Scriptura manifesto usus est, sed usualis vel communis, qui palmis sex constat et sexquipedem continet vel duos. Tunc autem multo maiores, quam nunc, existimarim cubitos fuisse, cum homines multo procerioris ac vastioris staturae fuerint; cubitus autem mensura sit ad mensuram virilis cubiti; ceu in *Deuteronomio* legimus[115] fuisse stratum ferreum Og, regis Basan, longitudinis novem cubitorum et quattuor latitudinis ad mensuram virilis cubiti.

sed usuales, licet maiores quam nunc, quia maioris staturae homines illius temporis erant.

111) *David Kimchi:* « חמר est lutum quod fit ex calce et arena ad aedificandum et complanandum; quanquam sunt qui dicunt quod est species picis seu bituminis ». Op. cit. sub hac radice. 112) Hier. Oleaster *In Moysis Pentat.*, f. 21ᵃ. Cf. Nic. Lyranus op. cit. f. 51ᵃ; Alph. Tostatus op. cit. f. 37ᵃ; Munsterus, col. 221; Vatablus, col. 225; Drusius, col. 238-239. *Pagnini:* « *Et bituminabis illam intrinsecus et extrinsecus* בכפר, *bitumine*, quod, inquit Rab. David in Libro Radicum, in Arabico vocatur קפר, et est genus luti vel caementi. Et sunt qui exponunt בזפת, pice. Op. cit. sub radice: כפר, col. 1210. 113) Ms.: *Nunc* repetitur. 114) Cf. Origenes *Hom. 2 in Gen.*, (P. G. 12, 166-167); Procopius *Comment. in Gen.*, ibid. 87, 278; S. Augustinus *Quaest. in Heptateuchum*, lib. 1, *quaest. 4*, (P. L. 34, 549); *De Civitate Dei*, lib. 15, cp. 27, ibid. 41, 474; Rabanus Maurus *Comment. in Gen.*, lib. 2, cp. 6, ibid. 107, 517; Strabus *Glossa Ord. in Gen.*, ibid. 113, 108; Nic. Lyranus op. cit. f. 51ᵃ; Alph. Tostatus op. cit. f. 37ᵇ. 115) Cf. 3, 11.

Erat itaque arcae longitudo trecentorum cubitorum communium, idest ulnarum; latitudo vero quinquaginta, a latere in latus; altitudinis vero triginta, ab imo pavimento ad tectum usque; tunc arcae latera obducebantur in angustum ad summum arcae cacumen usque, adeo ut nonnisi cubito arcae latera distarent in summo. Mihi vero probabile valde est arcae latera in summo quadrangulum altera parte longiorem effecisse, ut latera quidem duo in se invicem posita, quae in latus protendebantur, cubiti unius essent; quae vero in longum essent, cubitorum sex; ea enim proportione tota arca constructa erat in longum et latus, quae unius [cubiti] et sex interest. Haec vero obductio eo facta est ne aquae diutius supra arcae tectum immorarentur, sed citius possent defluere ac ut inter ventorum impetus undarumque procellas stare firmius posset: non enim tantam patiebatur ventorum vim.

In cubito consummabis summitatem eius. **Structura arcae in cacumine unius cubiti erat a latere ad latus, sed in longum probabiliter sex cubitorum erat.**

Fenestram quoque iussus est in arca facere ad lumen recipiendum: *Fenestram*, inquit, *in arca facies.* Synecdoche est; non enim una poterat toti habitaculo sufficiens lumen praebere, cum tot esset mansionibus distinctum: sed plures fenestrae intelligendae sunt, una tamen maior. Ex crystallo autumant plerique [116] eas fenestras fuisse, sic enim et lumen praebere et imbres ac ventos prohibere poterant.

Per *fenestram* intelligenda videtur una maior, non exclusis aliis minoribus.

Portam vero arcae in latere iussus est ponere, ut ipsi et animalia ingrederentur et egrederentur: *Ostium autem arcae pones ex latere; deorsum cenacula et tristega facies in ea.*

Portam etiam iubetur facere ex latere arcae,

Plurimum valde hic nostra Editio a Veritate Hebraica distat; habet enim: *Et ostium arcae pones in latere; inferiora et secunda et tertia facies in ea.*

Sic et Chaldaeus Interpres habet.

Septuaginta vero: *Ostium*, sive *portam facies ex latere; inferiora bicamerata et tricamerata facies eam.*

Ostium itaque ex latere quidem erat, non autem deorsum, quoniam nec poterat, cum ima arcae pars in aquis mersa plurimum profundaretur; cum arca *mense septimo supra montes Armeniae* requievisset, aquae vero adhuc *ibant et decrescebant usque ad mensem decimum; decimo* autem *mense . . . apparuerunt cacumina montium* [117]. Clau-

sed non deorsum, ut falso aliqui legunt.

116) Cf. Nic. Lyranus op. cit. f. 51^{a}; Alph. Tostatus op. cit. f. 37^{b}; Pererius op. cit. lib. 10, *disput. 9*, t. 2, pag. 146. 117) Gn 8, 5.

denda itaque sententia est: *Ostium arcae pones in latere:* et tunc sequens incipit versus: *Deorsum cenacula et tristega facies:* sive inferiora, media et tertia; arcam enim tribus interstitiis distinctam iubetur facere, ut inferiorem, mediam et tertiam mansionem supremam haberet. Propterea forte noster Interpres *tristega* posuit, idest triplicia tabulata: tristega enim aedificia sunt trium contignationum. Plerique autumant [118] infimam mansionem simplicem fuisse, secundam vero bicameratam, tertiam autem tricameratam, iuxta Septuaginta Translationem.

Vr. 17 *Ecce ego adducam aquas diluvii super terram, et* [119] *interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitae est subter coelum: et universa, quae in terra sunt, consumentur.*

Textus Hebraicus: *Et ego, ecce ego adduco diluvium aquarum super terram ad perdendum omnem carnem, in qua est spiritus vitarum de sub coelo: et omne, quod est in terra, expirabit.*

Ita et Chaldaeus Interpres habet.

Diluvium. Etymologia huius vocis.

Diluvium hebraice מַבּוּל dicitur, quod nonnulli a בלה, per prothesin מ, deducunt [120], quod est miscere et confundere; alii vero [121] a נבל, quod est defluere, corrumpi et marcescere, eius etymon dimanare autumant eo quod diluvio omnia defluxerint et computruerint, consumptumque est omne vivens sub coelo.

Deus adducturus aquas diluvii ad delendos homines, quia converti noluerunt, promittit se salvaturum iustum Noe.

Ait itaque: *Ecce ego adduco aquas diluvii.* Praecepi, inquit, tibi ut arcam faceres, quoniam ego, ego, inquam, adducturus sum aquas diluvii. Non est enim voluntas mea ut perdam iustum cum impio: ego enim, qui omnem iudico terram, iudicio hoc non facio ut fiat iustus sicut impius: sed impios quidem perdam. Quoniam autem *te vidi iustum coram me* [122], ab aquis diluvii salvare volo; et si quinquaginta iustos invenissem in terra, omni loco parcerem: etiamsi quadraginta quinque, non delerem: imo si tantum quadraginta, non id facerem; quod etsi triginta invenirem, non percuterem: etiam si viginti, non occiderem: nec etiam, si decem invenirem, homines impios

118) Cf. Nic. Lyranus op. cit. f. 51ª; Alph. Tostatus op. cit. f. 37ᵇ; Dionysius Cartusianus *Enarrat. in Gen.*, a. 33, pag. 155-156. 119) Vr. 17. Vulg.: *Ut interficiam*, etc.
120) Ms.: *Mem.* Cf. Rab. Salomon op. cit. f. 8ᵇ; Io. Buxtorfius *Lexicon Hebraicum*, sub voce: מַבּוּל. 121) Cf. Rab. David Kimchi op. cit. sub voce: נבל. 122) Gn 7, 1.

delerem : sed propter iustos eos quoque servarem [123]. Verum quia *te solum vidi iustum coram me,* eripiam te, ceteros vero perdam, et *interficiam omnem carnem, in qua est spiritus vitae sub coelo ;* omnia expirabunt, quia propter hominem creavi ea : eo igitur deleto, propter quem facta sunt omnia haec, consequens [est] ut et ea deleantur [123a].

Vrr. 18-20 *Ponamque foedus meum tecum, et ingredieris* in *arcam tu et filii tui, uxor tua et uxores filiorum tuorum tecum. Et ex cunctis animantibus universae carnis bina induces in arcam, ut vivant tecum, masculini sexus et feminini. De volucribus iuxta genus suum et de iumentis in genere suo et ex omni reptili terrae secundum genus suum, bina de omnibus ingredientur tecum, ut possint vivere.*

Textus Hebraicus: *Et erigam pactum meum tecum, et venies in arcam tu et filii tui, uxor tua et uxores filiorum tuorum tecum. Et ex omni animanti, ex omni carne bina ex omnibus duces in arcam, ut vivant tecum, masculus et femella erunt. De volucre iuxta speciem suam et de iumento secundum speciem suam, ex omni reptili terrae iuxta speciem suam, bina ex omnibus venient ad te, ut vivant.*

Ita quoque Chaldaeus Interpres.

Ponamque foedus meum tecum, etc. Ab initio creationis Deus pactum seu foedus statuerat, idest leges, quibus universus orbis ordinatissime gubernaretur.

Statuit Deus ab initio pactum, foedus posuit inter diem et noctem, leges coelo et terrae posuit, ut illae quidem semper mutuis vicibus sibi succederent [124] : lucem enim posuit, et facta est dies, et *tenebras, et facta est nox* [125] ; posuit et luminaria *in signa et tempora et dies et annos* [125a]*; solem in potestatem diei, lunam et stellas in potestatem noctis* [126]. Leges quoque coelo et terrae posuit, ut illud quidem perpetuo suis circunlationibus lumen et virtutem influendo terram veluti fecundaret, et ipsa statis temporibus germina, herbas, semina, fructusque produceret. Foedus quoque inter aquam et terram posuit, dum iussit ut congregarentur *aquae in locum unum et* appareret *arida* [126a]; locus enim qui suapte natura aquis competit terram cingens, est ambitus ut, veluti sphaerae coelestes semper natura locoque elevatior ac superior inferiorem circumquaque ambit, et ignis aerem, aer quoque aquam suapte natura; ita pariter aqua usquequaque deberet terram circumambire deberetque, iuxta corporum simplicium proportionem, decuplo universa terra maior esse. At vero id non cer-

Vi huius foederis aquae intra statutos limites clausae

123) Cf. ibid. 18, 23-33. 123a) Cf. S. Ambrosius *De Noe et Arca*, cp. 4, (P. L. 14, 367).
124) Cf. Gn 1, 3-12. 125) Ps 103, 20. 125a) Gn 1, 14. 126) Ps 135, 8-9.
126a) Gn 1, 9.

continebantur terram operirent;

nimus; neque enim ubique terram aquae ambitus circumcingit: sed multa et illa quidem vastissima terrarum spatia aquis sunt libera, imo et loco superiora; hinc enim dicit Propheta[127]: *Qui fundavit terram super aquas.*

quod tantum Dei virtute fieri potest, ut S. Scriptura testatur.

Id autem Dei lege factum est, qui foedus inter terram et aquam posuit, ut terra quidem sinuosa abruptaque loca et voragines aquis praeberet intra sese: aquae vero amplius, quam simplex usquequaque earum natura est, condensatae, intra illas cavernas sese continerent ne converterentur *operire terram;* quapropter veluti quibusdam terminis eas clausit suo iussu suaque omnipotenti virtute omnipotens Deus. Hinc Propheta ait[128]: *Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram;* et rursus ait: *Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos*[129]. Hinc Sapiens quoque ait[130]: *Quando circumdabat mari terminum suum et legem ponebat aquis ne transirent fines suos;* et iterum[131]: *Quis inclusit aquas quasi in vestimento?* Iob item ait[132]: *Qui fecit ventis pondus et aquas appendit in mensura; quando ponebat pluviis legem et viam procellis sonantibus.* Ieremias demum ait[133]: *Qui posui arenam terminum mari, praeceptum sempiternum, quod non praeteribit; et commovebuntur et non poterunt et intumescent fluctus eius et non transibunt illud.* Haec nimirum ostendunt non suapte natura proprium nunc aquas obtinere locum, sed Dei iussu intra terrae cavernas interclusas esse ac veluti adnexas terrae atque interplexas ei in unum orbem.

Sed ob perversitatem hominis foedus illud Deus fregit iussitque aquas terram operire, ut omnes malos perderet,

Hoc autem propter hominem principio factum est, ut loco terrae suapte natura sibi convenienti potiretur, tum cetera animalia, quae propter ipsum erant. At vero cum homo, propter quem facta sunt haec omnia, tum Dei foedera tum naturae iura fregit et praetermisit, cum *omnis caro viam suam super terram* corrupit, videns Deus multam esse hominum malitiam, et omne figmentum cogitationum ad malum, omnemque terram esse corruptam, ac si pacti, quod inter coelum et terram aquamque [statuerat], poeniteret, fregit pactum illud iussitque aquas suum obire locum undequaque profluentes, in extremam hominum perniciem et exterminationem.

127) Ps 135, 6. Vulg.: *Firmavit terram*, etc. 128) Ps 103, 9. 129) Ps 32, 7.
130) Prv 8, 29. 131) Ibid. 30, 4. Vulg.: *Colligavit aquas*, etc. 132) 28, 25-26.
133) 5, 22.

Quoniam vero Noe virum iustum atque perfectum vidit in terra, salvare eum quidem voluit ab aquarum diluvio et maximo illo omnium cataclysmo, iubetque eum in arcam ingredi, quousque eo cataclysmo omnis caro expiret sub coelo mundusque ille impiorum deleatur; et tunc denuo pactum illud, prius scissum[134] ob iustitiam[135] suam, misericorditer erigeret. Hoc est quod ait:

Ponam... foedus meum tecum, sive *erigam pactum meum tecum.* Dixi, inquit, tibi quod adducturus sum diluvium aquarum super universam terram ad perdendam omnem carnem propter impios: quapropter fracturus sum propter impios foedus illud, quod inter aquas et terram principio posui, cum iussi ut congregarentur *aquae in locum unum et arida* appareret, quoniam nunc aquae maximo diluvio ac permaximo cataclysmo inundabunt, adeo ut praevaleant aquae *quindecim cubitis* supra *omnes montes,* qui sunt *sub universo coelo*[136]: pactum autem istud propter impios fractum ob iustitiam, tamen iterum tecum, idest propter te erigam. Interea tamen, quoadusque mundus hic impiorum aqua inundatus pereat, *ingredere in arcam tu et filii tui:* propter te enim et eos, etsi non tanta iustitia valeant, salvare volo; non solum autem, sed et *uxor tua et uxores filiorum tuorum:* volo enim semen aliquod et radicem ad posteritatis constitutionem relinquere: non solum hominum, sed propter homines aliquorum quoque animalium, iumentorum, volucrum et reptilium. Quapropter omnium bina secundum speciem suam adduces in arcam; *bina,* idest paria, marem et femellam, propter generationes in posterum futuras. Ut autem intra id tempus, quo cataclysmus hic perdurabit, vivere possitis, cibaria tecum sumes.

et rursus, post diluvium, cum Noe iusto foedus illud erigeret.

Propter iustitiam Noe, etiam eius familia salvatur.

Vrr. 21-22 *Tolles igitur tecum ex omnibus escis, quae mandi possunt, et comportabis apud te; et erunt tam tibi quam illis in cibum. Fecit igitur Noe omnia quae praeceperat illi Deus.*

Textus Hebraicus: *Et tu tolle tecum ex omni cibo, qui comeditur, et repones ad te, et erit tibi et illis in escam. Fecit igitur Noah iuxta omnia quae praecepit illi Deus, sic fecit.*

Ita et Chaldaeus Interpres: *Sumes cibaria,* inquit, *quae convenientia sunt ad comedendum tam hominibus quam brutis. Fecitque Noah iuxta omnia quae praecepit illi Deus, nihil praetermisit.*

134) Ms.: *Secum.* 135) Ms.: *Iustitias.* 136) Gn 7, 19.

Fecit igitur Noe, etc. Fidelis Noe omnia complevit, quae Deus illi mandavit.

Plurimum eius obedientia commendatur; quae enim praecepta illi fuere, omnia executus est; non haec quidem fecit, illa vero praetermisit: sed omnia iure optimo opere complevit et sicut praecepit illi Deus sic fecit; non iuxta proprium sensum, sed iuxta divinam voluntatem omnia operatus est.

CAPUT SEPTIMUM

Vrr. 1-3

Dixitque Dominus ad eum: Ingredere in arcam tu et omnis domus tua[1]*; te enim vidi iustum coram me in generatione hac. Ex omnibus animantibus mundis tolle septena et septena, masculum et feminam. ... Sed et de volatilibus coeli septena et septena, masculum et feminam, ut salvetur semen super faciem universae terrae.*

Textus Hebraicus: *Et dixit Dominus Noah: Veni tu et omnis domus tua in arcam, quia te vidi iustum coram me in generatione ista. Ex omni iumento mundo tolles tibi septem et septem, masculum et femellam eius; et de iumento, quod non est mundum, duo, masculum et femellam eius; etiam de volucre coeli septem et septem, masculum et femellam, ad vivificandum semen super faciem universae terrae.*

Praphrastes Chaldaeus: *Veni tu et omnis homo domus tuae in arcam.*

Ingredere tu et omnis domus tua in arcam.

Fert multorum Hebraeorum opinio[2] eas diluvii interminationes constructionisquae arcae iussionem et instructionem quadringen-

1) Vr. 1. Vulg.: *Ingredere tu et omnis domus tua in arcam.* 2) Cf. Rab. Salomon qui ex dictione: עוד, *adhuc* vel *amplius* (*Adhuc et post dies septem*), colligit hos septem dies tempori praefinito, scilicet centum viginti annis, fuisse additos. Cum ergo diluvium inceperit sexcentesimo anno vitae Noe, huius Rab. sententia est diluvii interminationem quadringentesimo octogesimo anno vitae Noe factam esse. Op. cit. f. 9ª. Cf. etiam Paraphrastes Chaldaicus necnon et Targum Ierosolymitanum, ad cp. 6, 3, iuxta quos verba illa: *Eruntque dies illius centum viginti annorum*, significant temporis spatium a Deo concessum hominibus illis ad poenitendum. Idem sentit D. Augustinus *De Civitate Dei*, lib. 15, cp. 24, (P. L. 41, 471); D. Io. Chrysostomus autem *Hom. 25 in Gen.*, (P. G. 53, 220), et D. Hieronymus *Hebraic. Quaest. in Gen.*, (P. L. 23, 948), censent Noe revera fuisse quingentorum annorum, quia tamen homines illi poenitentiam agere contempserunt, Deum noluisse tempus expectare decretum, sed viginti annorum spatiis amputatis, induxisse diluvium. Sic et Hugo de S. Victore *Adnotat. Elucidat. in Pentat.*, ibid. 175, 46.

tesimo et octogesimo [anno] vitae Noe factas esse [3], cum Dominus ait: *Eruntque dies illius centum viginti annorum* [4] tempus: quibus expletis et arca constructa intra id tempus, ait Dominus ad Noe: *Ingredere in arcam tu et omnis domus tua:* hoc est *omnis homo domus tuae.*

Opinio Hebraeorum de tempore interminationis diluvii.

Quid autem in causa extiterit cur ipse salvandus sit, reliquis omnibus diluvii inundatione perituris, subdit dicens: *Te enim vidi iustum coram me in generatione hac* magna: profecto iustitiae virtus, quae tanti a Deo penditur, ut ob eius merita non solum iustus a clade et pernicie salvetur, sed et omnis domus eius. Quod si ea virtus in uno illo homine reperta non fuisset, universus proculdubio mundus, absque ullo superstite, inundatione periisset, nec semen ullum hominum esset relictum, sed species universa irrecuperabiliter, *sicut Sodoma... et finitimae civitates* [5], deleta fuisset. Huius virtutis itaque merito semen relictum est totusque mundus innovatus consistit; propterea enim Noe et omnis domus eius in arcam ingredi iubentur, animalia quoque omnigena, *ut salvetur semen super faciem universae terrae.*

***Te enim vidi iustum,* etc. Propter suam iustitiam Noe cum domo sua a diluvio salvatur**

et per eum genus humanum restauratur.

Et hominum quidem *octo animae salvae factae sunt* [6], animalium vero mundorum *septena et septena.* Non quod uniuscuiusque speciei quattuordecim acciperentur; infinita enim tunc animalium ea multitudine occupata nimium arca fuisset et tam multorum escis. Deinde nec erat necesse; nam ad semen salvandum super terram salva haec facta sunt: at hominum, quae prima est species, octo tantum salvantur animae: cur ergo brutorum quattuordecim? Animalia igitur *septena et septena,* hoc est singularum specierum septem: sex ad speciem propagandam, septimum salvatur pro sacrificio, quod post diluvium ex omnibus mundis animalibus Noe in *odorem suavitatis* Deo obtulit [7]. Immundorum vero animalium bina tantum salvantur, masculus et femella, ad speciem propagandam.

***Septena,* idest septem individua cuiusvis speciei: sex ad propagandam speciem et unum pro sacrificio.**

At unde novit Noe quaenam pura, vel impura animalia essent? Nondum enim mundorum immundorumque animalium lex data erat, quae Moysis tempore sancita est factaque distinctio [8]. Sane dici potest Deum omniscium, qui haec illi iussit, eum docuisse quaenam munda quaeve non munda animalia essent, praeter scientiam rerum naturalium,

Distinctionem inter *munda* et *immunda* animalia Noe a Deo didicit.

3) Ms.: *Iussio... instructio... facta esse.* 4) Gn 6, 3. 5) Iud vr. 7, et cf. Gn 19, 24-25. 6) 1 Petr 3, 20. 7) Gn 8, 20-21. 8) Cf. Lv 11, 2 sqq.

quam habebat, qui etiam artis coloniae industria et iure optimo colendae terrae peritia insignis fuit, vineamque primus plantavit et coluit [9].

Consuetudine etiam alia munda, alia immunda censentur.

At cum bona et valde bona dicantur, quaecumque Deus fecit – sic enim a Conditore approbata sunt: *Vidit*, inquit, *Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona* [10], – quomodo immundum quidquam vocat eorum, quae Creatoris iudicio approbata sunt et laudata? At certe bona valde sunt cuncta, quae Deus fecit; quae vero in usum hominum et ad comedendum apta convenientiaque essent quaeve non essent, natura ipsa diiudicavit: et illa quidem munda, haec vero immunda dicuntur. Etenim in locis nonnullis ab aliquibus abstinent aliqui, veluti ab immundis et non probatis; alii vero illis ipsis vescuntur, consuetudine se ad hoc inducente. Sic et tunc erat. Ipsa scientia iusto insita docebat quaenam ad cibum accommoda, et quae inepta ac immunda; non ut ita sint, sed ut pro immundis habeantur. Et nos cur equos quidem et asinos similiaque animalia immunda censemus ad cibum, quamvis herbis et leguminibus pascantur: alia vero quadrupedia, quae illis ipsis vescuntur, cibo convenientia putamus, etiam multa, quae immundis nutriuntur alimentis? Plane ipsa scientia a Deo nobis suapte natura suppeditata instinctu nos ipsos docet et consuetudo plurimum inducit, ut plerumque accomoda nos alimenta mundaque putemus, quae alii horrent et execrantur; et nos quoque multa detestemur, quibus alii vesci solent.

Vrr. 4-5 *Adhuc enim, et post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus et delebo omnem substantiam, quam feci, de superficie terrae. Fecit ergo Noe omnia, quae mandaverat ei Dominus.*

Textus Hebraicus: *Quoniam ad dies adhuc septem ego pluo super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et delebo omne subsistens, quod feci, a superficie terrae. Et fecit Noah iuxta omnia, quae praecepit illi Dominus.*

Paraphrastes Chaldaicus: *Quoniam ad tempus dierum adhuc septem ego humorem pluo super terram*, etc.

Dies septem. Alii opinantur hos dies de-

Aiunt plerique [11] septem hos dies defuisse ut centum viginti annorum tempus expleretur, cum Dominus diluvium interminatus est mundo, quibus expletis, cataclysmus ille omnium maximus incepit.

9) Cf. Gn 9, 20. 10) Ibid. 1, 31. 11) Cf. Rab. Salomon op. cit. f. 9ᵃ.

Alii vero hos dies supra tempus illud aiunt[12] concessisse Deum ob Mathusalae luctum, qui anno diluvii mortuus est; quoniam vero iustitia in vita polluit, aquae inundatione eum perire noluit Deus, sed morte iustorum obire. Eo itaque defuncto, ad eius honorem Deus septem hos dies contribuit, in quibus funerales eius luctus explerentur.

fuisse spatio centum viginti annorum; alii concessos fuisse ad explenda funera Mathusalae.

Ego vero ob aliud septem diebus adhuc superstetisse Deum existimo ut diluvium adduceret, quoniam misericordiae Dei non est numerus et bonitatis ipsius infinitus est thesaurus[13]. Praedixit hanc universalem cladem et extremam hominum perniciem centum viginti annis priusquam adduceret, ut homines illos impios emendatiores redderet ad poenitentiamque adduceret, ut misereretur eis; praedicit ante fores esse interitum, ut tantae cladis metu a malis eos averteret. Illi vero a malitia nequaquam desistunt, sed cumulatius insistunt; sed misericordissimus Deus adhuc compatitur. Homines enim suapte natura quodammodo negligentiores esse assolent cum vel incerta punitio est, vel multo post futura; at vero dum vicina norunt esse quae offendere possunt, cum pressura *prope est in ianuis*[14], cum ante fores est tribulatio, humiliantur et plurimam conversionem ostentant.

Verius tamen videtur super additos fuisse ob misericordiam Dei, expectantis impiorum illorum conversionem,

Sic enim Ninivitis, quorum malitia nil minus his coram Deo ascenderat, contigit; quandoquidem ubi audierunt quod *adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur,* humiliati sunt, destiterunt a malis perpetrandis, praeteritorum poenitentiam in ieiunio, cinere et cilicio egerunt a maximo usque ad minimum, et ad bruta usque, ea quae ad poenitentiam pertinent, extenderunt, ut misericordiam Domini sibi conciliarent; non desperaverunt misericordiam brevi temporis intervallo: sed instantis eversionis metu perterriti, *conversi sunt a via sua mala et ab iniquitate, quae erat in manibus eorum,* quia: *Quis scit si convertatur et ignoscat Deus et revertatur a furore irae suae et non peribimus?*[15] Et vidit misericordissimus Deus opera eorum et brevissimo illo temporis intervallo placatus est momentanea illa poenitentia, et misertus est eorum.

sicut expectavit Ninivitas, qui poenitentiam egerunt et salvi facti sunt.

12) Cf. idem ibid. Rab. Aben Ezra autem putat septem istis diebus ultro ad Noe venisse omnium generum animalia. Ibid. Cf. etiam Nic. Lyranus op. cit. f. 53ª; Alph. Tostatus op. cit. f. 40ᵇ.
13) Cf. *Missale Rom.*, Orat. in Missa pro Gratiarum Actione.
14) Mt 24, 33.
15) Ion 3, 4-10.

Ideo iterum exterminium interminat.

Id quoque et hic attentat Deus; septem diebus ante praedicit, si forte ob ingentis cladis et maximae perniciei in septimum diem interminatae metum atque terrorem humiliarentur homines illi, et a malis desistentes, per poenitentiam humilem Deum placarent sibique Dei misericordiam conciliarent; nam et *Noe iustitiae praeconem*[16] habebant, qui ex Dei sententia diluvii divinam interminationem praedicabat et ut poeniterent hortabatur omnes[17]. Ait itaque: *Ego adhuc post septem dies pluam:* septem, inquit, diebus adhuc eos ad poenitentiam misericordissime expectare volo: sufficiunt enim eis ad perpetrata peccata abstergenda atque delenda, si ex corde poenitere voluerint; quod si noluerint, tunc incipiam pluere *super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus.*

et cum posset uno momento diluvium inducere, tamen differt,

Potuisset profecto uno die totam pluviam inducere[18], potuisset et momento uno; sed dedita opera id facit, volens simul et timorem incutere et occasionem praestare, qua possent poenam, quae in foribus erat, effugere. Nam etsi cum incepisset pluvia in eorum perniciem, poenitentia ducti fuissent, utique furor Domini fuisset placatus; veluti cum in filios Israel furor Domini exarsit et maximus ignis ad eos devorandos a facie Domini egressus est, iamque extrema castrorum devoraverat: et oravit Moyses ad Dominum et absorptus est ignis[19].

et per quadraginta dies pluviam mittit, si forte poeniteant furorem eius placaturi.

Iterum etiam cum delere eos vellet Deus et iam egressa esset ira a Domino et plaga desaeviret, currens Aaron in mediam multitudinem, quam vastabat incendium, et stans inter vivos et mortuos, obtulit thymiama deprecatusque est Dominum et cessavit plaga[20]. Ita plane si etiam egressa ira hac a Domino cumque iam incepisset plaga et hi poenitentes ex corde misericordiam petiissent, profecto non fuisset eis negata. Quia vero nihili eos poenituit, deleti sunt.

Vrr. 6-9

Eratque Noe *sexcentorum* fere *annorum, quando diluvii aquae inundaverunt super terram. Et ingressus est Noe et filii eius, et uxor eius et uxores filiorum eius cum eo in arcam propter aquas diluvii. De animantibus quoque mundis et immundis et de volucribus et ex omni, quod movetur super terram, duo et duo ingressa sunt ad Noe in arcam, masculus et femina, sicut praeceperat Deus Noe.*

Textus Hebraicus: *Et Noah filius erat sexcentorum an-*

16) 2 Petr 2, 5. 17) Cf. 1 Petr 3, 20. 18) Ms.: *Induceret.* 19) Cf Nm 11, 1-2.
20) Cf. ibid. 16, 44-50.

norum et diluvium aquarum fuit super terram. Et venit Noah et filii eius et uxor illius et uxores filiorum eius cum eo [in arcam] a facie aquarum diluvii. De iumento mundo et de iumento, quod non est mundum, et de volatili et omni, quod reptat super terram, duo duo venerunt ad Noah in arcam, masculus et femina, quemadmodum praecepit Deus Noah.

Non est in Textu Hebraico illud *fere*, quod est in nostro Textu[21], sed ostendit sexcentos annos tunc natum fuisse Noe, quando diluvium venit super terram, a quo fugientes ipse et domus eius tota arcam ingressi sunt. Similiterque animalia omnigena ad Domini praeceptum, cui cuncta obediunt, absque Noe labore, a seipsis ingressa sunt, Deo hunc instinctum in ea immittente, veniebantque animalia *duo et duo*, idest bina semper paria et coniugata, masculus et femina, maris coniux, ad salvandum semen super terram. Noe vero, sicut praeceptum a Domino acceperat, ea ingredi sinebat et propria singulis loca assignabat: siquidem mansiunculas sive nidos in arca fecerat, ut alium locum animalia mitia, alium ferocia habitarent, nec ad invicem laederentur.

Et ingressus est Noe, etc. Noe et domus eius arcam ingrediuntur, in quam et animalia intrant et suas quaeque mansiunculas occupant.

Vrr. 10-12 *Cumque transissent septem dies, aquae diluvii inundaverunt super terram. Anno sexcentesimo vitae Noe, mense secundo, septimo decimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnae, et cataractae coeli apertae sunt, et facta est pluvia super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus.*

Textus Hebraicus: *Et factum est ad hebdomadam dierum et aquae diluvii fuerunt super terram. In anno sexcentesimo*, anno, inquam, *vitae Noah, in mense secundo et septimo decimo die mensis, in die hac rupti sunt omnes fontes abyssi magnae, et fenestrae coeli apertae sunt, et fuit pluvia super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus.*

Sic et Paraprastes Chaldaicus.

Menses apud Hebraeos[22] hi sunt: ניסן, idest Martius; אייר, Aprilis; סיון, Maius; תמוז, Iunius; אב, Iulius; אלול, Augu-

Mense secundo, etc. Hebraei, men-

21) Nescimus de quo Textu loquatur S. Auctor, cum illud adverbium: *Fere*, non inveniatur adnotatum in *Biblia Maxima* Io. De La Haye, nec in *Biblia Sacra* H. Quentin. Cf. tamen Alph. Tostatus op. cit. f. 41ᵃ; Corn. A Lapide *Comment. in Gen.*, pag. 90; Aug. Calmet *Comment. in Gen.*, pag. 61; Io. De La Haye *Biblia Maxima Versionum, Versio Persica Geneseos*, Interpretatio Latina, vol. 1, pag. 450.

22) Cf. A. Zanolini *Lexicon Hebraicum*, sub voce: חֹדֶשׁ.

sibus lunaribus utentes, singulis triennis embolismum faciunt.

stus; תשרי, September; מרחשון, October; כסליו, November; טבת, December; שבט, Ianuarius; אדר, Februarius; ואדר, secundus Februarius, sive embolismalis; siquidem mensibus lunaribus utuntur et tertio quoque anno faciunt embolismum, hoc est annum tredecim mensium.


In profanis annum exordiuntur a mense Septembri, in sacris autem a Martio.

Statuunt quoque Hebraei[23] duplex anni initium: aliud quidem in rebus profanis, aliud in rebus sacris. In profanis annum exordiuntur a תשרי, idest Septembri; autumant enim, iuxta R a b b i n i E l i e z e r sententiam[24], in Septembri mundum fuisse creatum, quoniam in mundi creatione arbores fuere fructibus onustae: tempus autem fructuum September est; unde post autumnale aequinoctium, cum veterem annum suis fructibus expoliarint, a Septembri sumunt novi anni initium. In rebus vero sacris exordium in ניסן, idest Martio statuunt, iuxta illud: *Mensis iste vobis principium mensium primus erit in mensibus anni*[25]; et R a b b i n u s quidem I o s u e sentit[26] ab eo mense annum simpliciter incipere et in eo creatum esse mundum, sicut et nostrates tenent[27].

Ideo *secundus mensis* ab illis sumitur pro Octobri, eo magis quia hic est mensis imbrium et pluviarum.

Dubitatum est itaque apud Hebraeos sit ne mensis iste secundus, quo diluvium incepisse dicitur, אייר, idest Aprilis, qui secundus est mensis, ניסן, idest Martium sequens, an מרחשון, idest October, qui secundus est a Septembri. Et haec quidem opinio arridet magis Hebraeis, tum quia Septembrem autumant simpliciter primum esse mensium anni a conditione, Martium vero ex divino instituto, et propterea dicitur: *Mensis iste vobis principium mensium primus erit in mensibus anni:* idest qui primo non fuit primus, sed institutus est primus, propterea quod in eo filii Israel educti sunt,

23) Cf. *Talmud, Sanhedrin*, f. 108^a; Laurentius Beyerlink *Theatrum Vitae Humanae*, sub voce: *Annus;* Munsterus, col. 248; Clarius, col. 249. 24) Cf. *Talmud, Sanhedrin*, f. 108^a, et apud Rab. Salomonem op. cit. f. 9^a. 25) Ex 12, 1. 26) Cf. *Talmud, Sanhedrin*, f. 108^a, et apud Rab. Salomonem op. cit. f. 9^a. 27) S. Theophilus Caesar. Epist. De Pascha, (P. G. 5, 1368); S. Cyrillus Ierosol. *Catechesis 14*, ibid. 33, 385; S. Athanasius *Quaest. ad Antiochum, quaest. 55*, ibid. 28, 631; Theodoretus *Quaest. in Exodum, Interr. 72*, ibid. 80, 298; S. Io. Damascenus *De Fide Orthodoxa*, lib. 2, cp. 7, ibid. 94, 890; S. Ambrosius *Hexaem.*, lib. 1, cp. 4, (P. L. 14, 128); *Sermo 31*, cp. 2, ibid. 17, 673; S. Leo M. *Sermo 70*, cp. 3, ibid. 54, 344; S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 5, cp. 35, ibid. 82, 220-221: S. Beda *De Temporum Ratione*, cp. 66, ibid. 90, 522; *Hexaem.*, lib. 2, ibid. 91, 95; Rabanus Maurus *Enarrat. in lib. Numerorum*, lib. 2, cp. 1, ibid. 108, 641; Strabus *Glossa Ord. in Gen.*, ibid. 113, 110; Remigius *Comment. in Gen.*, ibid. 131, 76-77; Caietanus op. cit. pag. 6; *Breviarium Rom.*, Hymnus ad Matutinum per annum: *Primo die*, etc.



FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII MAGNITUDINE NATURALI

Dei ope, a servitute durissima Aegyptiorum [28]; deinde quoniam adhuc October mensis est imbrium et pluviarum. Hanc sententiam ex nostratibus nonnulli recipiunt [29].

Nec mihi quidem satis constat in quam sententiam eundum sit, dicam tamen quod sentio, sapientioribus sua sensa relinquens. Ego igitur cum anni hic vitae Noe recenseantur et annus quilibet mensibus constet, menses quoque hos ad idem referri existimarim, ut cum dicitur venisse diluvium *sexcentesimo anno vitae Noe, mense secundo,* sicut initium annorum Noe non exquiritur ut illud idem sit tempus, quo annus simpliciter innovatur et incipit, sed quo Noe natus est; ita pariter et mensis secundus non sit, qui post primum anni innovati mensem sequitur, sed secundus post primum mensem anni sexcentesimi vitae Noe.

Tamen videtur intelligendus *secundus* sexcentesimi anni vitae Noe,

Mos enim est ut menses, ex quibus anni constant, iuxta annorum sumptionem sumantur et unde annus emergens alicuius incipit, inde quoque menses numerari incipiant, ceu apud Ezechielem legimus [30]: *Et factum est in anno trigesimo, in quarto, in quinta mensis;* et apud Ieremiam [31]: *Et factum est in anno illo in principio regni Sedeciae regis Iuda, in anno quarto, in mense quinto;* et in plerisque aliis locis Sacrae Scripturae [32], in quibus menses iuxta annorum rationem numerantur.

ad usum loquendi S. Scripturae,

Et certe si ita intelligatur, omnis illa amphibologia expungitur, nec ullum sequitur incommodum. Si enim mensis secundus in anni serie mensium accipiatur, utique incommoda nonnulla se nobis obiiciunt. Siquidem *arca mense septimo, vigesima septima* vel, iuxta Hebraeos, *decima septima die mensis supra montes Armeniae* [33] requievisse dicitur; unde nonnisi quinque menses intercessissent, ex quo diluvium incepit ad usque arcae quietem. At certe multo plures intercesserunt; siquidem *quadraginta diebus et quadraginta noctibus* pluit super terram; postmodum vero *obtinuerunt... aquae terram centum quinquaginta diebus* [34]; post centum vero quinquaginta dies minui coeperunt [35]. At hi dies, si computentur, multo plus quinque lunaribus

ut incommoda vitentur quae exurgerent, si acciperetur pro mense secundo mensium anni.

28) Cf. Ex 12, 28. 29) Cf. Alph. Tostatus op. cit. f. 41ª; Cartwrightus, col. 256.
30) 1, 1. 31) 28, 1. 32) Cf. ibid. 26, 1; 27, 1; Est 8, 9; Ier 39, 1-2; 52, 4-6; Bar 1, 2. 8; Ez 8, 1; 20, 1; Agg 1, 1; Zach 1, 1. 33) Gn 8, 4. Vulg.: *Vigesimo septimo die... super montes,* etc. 34) Ibid. 7, 24. 35) Cf. ibid. 8, 3.

mensibus, quibus Hebraei utuntur iuxta Sacrae Scripturae normam, efficient et eo magis quo multi profluxere dies ab eo tempore, quo minui aquae coeperunt, quoadusque requiesceret arca. Siquidem ut parum illud aquae, quo ima arcae pars mergebatur, deficeret, profluxit tempus a decima septima die mensis septimi adusque primum diem decimi mensis, cum *apparuerunt cacumina montium*[36] *; quindecim* enim *cubitis* praevaluerant aquae supra omnes montes excelsos, qui sunt *sub universo coelo*[37] *:* arca autem prius fluitabat in sublime elata. A tempore igitur quo coeperunt aquae imminui, quoadusque quiesceret arca, nonnulli interfluxere dies, qui maiorem praefatum dierum numerum constituunt. Falsum ergo Scriptura divina diceret vel includeret luce clarius, quod esse non potest.

Nos itaque ita locum hunc exponimus. *Cumque transissent septem dies, aquae diluvii inundaverunt super terram,* sicut praedixerat : *Adhuc enim et post septem dies ego pluam super terram,* etc.: quoniam gens illa etiam cum imminentem cladem et ad ostium ante fores propissime superstantem perniciem extimere noluit, nec humiliari et ex corde poenitere, transactis septem diebus, quibus adhuc misericordissimus Deus expectare eos voluit ad poenitentiam, cum nil eos scelestissimorum facinorum poenituisset, diluvium misit *sexcentesimo anno vitae Noe, mense secundo* anni sexcentesimi, *decima septima die* illius *mensis.*

Probabiliter secundus hic mensis fuit Ianuarius, vel Februarius, quia hoc tempore planetae pluvialibus signis coniunguntur.

Quo autem anni tempore diluvium inundarit, ego quidem existimarim eo tempore illuisse, quo humentes planetae pluvialibus signis coniunguntur ; hae vero coniunctiones Ianuarii et Februarii tempore fieri assolent cum sol est sub aquario et piscibus. Illius autem coniunctionis vi apud nonnullas regiones diluvia contigisse feruntur : cuiusmodi fuit Deucalionis diluvium illud ingens apud Thessalos, cuius extat apud O v i d i u m fabula[38] et apud I u v e n a l e m[39] ; Ogygis etiam Thebanorum regis, qui Thebas Beotias aedificavit, saeculo maximus cataclysmus inundavit, ut B. A u g u s t i n u s refert[40], et multo maior eo, qui Deucalionis tempore maximam terrae partem inundavit. Apud P l a t o n e m etiam[41] et veteres philosophos[42]

36) Ibid. vr. 5. 37) Cf. ibid. 7, 19-20. 38) *Metamorph.*, lib. 1, vrr. 253-312.
39) *Satyra 1*, vrr. 81-82. 40) *De Civitate Dei*, lib. 18, cp. 8, (P. L. 41, 566); cp. 10, ibid. col. 568. 41) *Timaeus*, t. 3, pag. 23. 42) Cf. Tatianus Assyrus *Orat. adversus*

pleraque alia diluvia leguntur; haec sane virtute illarum coniunctionum facta sunt.

Diluvium universale factum non fuit causis naturalibus, sed ex voluntate divina.

At vero universalis ista maximaque alluvies, qua eousque inundarunt aquae, ut quindecim cubitis supra omnes montes excelsos, qui sunt sub universo, praevalerent, his naturalibus causis concurrentibus quidem, non tamen sufficientibus, omnipotenti Dei virtute et potestate naturalium causarum vim et potestatem adaugente, factum est: propterea dicitur: *Ego ego, inquam, pluam super terram.*

***Fontes et cataractae* accipiendi sunt metaphorice, ad intelligendam immensam aquarum alluviem.**

Ad ostendendum autem quod supra naturae vires facta est haec diluvies, ait: *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnae, et cataractae coeli apertae sunt, et facta est pluvia... quadraginta diebus et quadraginta noctibus.* Sane nec cataractas, aut fenestras coelum habet, quae apertae sint, nec abyssus fontes; sed tropica locutio est, veluti per metaphoram indicat terram maxima tempestate correptam esse et e coelo maximos pluviarum nimbos descendisse: veluti si patuisset coelum et aquae supercoelestes cum maximo fragore et strepitu profusissime descenderent, ut flumina potius quam pluviae e coelo veluti patenti et abrupto cadere viderentur; aut si coelestes urnae praegrandes veluti fluviorum alvei maximas aquarum copias[43] versarent.

Sic per *coelum* intelligitur medium aeris interstitium, ubi nubes congregantur;

Porro per *coelum* hic medium aeris interstitium intelligimus, in quo aquae in nubibus, veluti in alveis flumina, continentur ibique maxima ea aquarum alluvies et cataclysmus, Deo iubente, sit generata: per *abyssum* vero *magnam* plerique[44] oceanum [intelligunt] quod mare maximum est; *abyssus* autem immensam aquarum profundissimarum molem designat. Nonnunquam vero *abyssus* pro antris et cavernosis abruptisque terrae locis accipitur, quemadmodum Sanctus Propheta aiebat: *Et de abyssis terrae iterum reduxisti me*[45]; et ita Rabbinus Abrabanel exponit[46], quod ex subterraneis locis surgebant aquae, quae sub terra sunt, veluti e fontibus. Tum coelum ergo tum terra aquas profusissime prodigebant, et ex aquis, quae e coelo versabantur

per *abyssum* autem vel mare, vel cavernosa et profundissima terrae loca aquis plena.

Graecos, (P. G. 6, 883); Clemens Alex. *Stromatum*, lib. 1, cp. 21, ibid. 8, 822-826; Origenes *Contra Celsum*, lib. 1, ibid. 11, 694; Aristot. *Meteor.*, lib. 1, cp. 14, t. 1, pag. 336-337; L. An. Seneca *Naturales Quaest.*, lib. 3, cp. 27-29. pag. 874-876; Iuvenalis *Satyra 6*, vr. 411; Virg. *Aeneid.*, lib. 12, vrr. 204-205; Lucanus *De Bello Civili*, lib. 1, vr. 653.

43) Ms.: *Copia*.

44) *Drusius:* « Hebraice triplex habetur significatio *abyssi:* primo *denotat aquae molem terrae permixtam* (Gn 1, 2); secundo *aquas maris*, quae in alto (Ion 2, 6); tertio *fundum maris*, idest: קרקע הים, ut Ps 106 (Vulg. 105), 9: *Deduxit eos per abyssos* ». Col. 252.

45) Ps 70, 20.

46) Op. cit. f. 43b.

copiosae et quae e terra emergebant, immensae profunditatis voragines et aquarum profundissima barathra facta sunt ad perdendum omnem carnem immensa illa aquarum congerie et inexplebilibus gurgitibus.

Vrr. 13-16 *In articulo diei illius ingressus est Noe et Sem et Cham et Iaphet, filii eius, et uxor illius, et . . . uxores filiorum eius cum eis in arcam; ipsi et omne animal secundum genus suum universaque iumenta in genere suo et omne, quod movetur super terram, in genere suo cunctumque volatile secundum genus suum, universae aves omnesque volucres ingressae sunt ad Noe in arcam, bina et bina ex omni carne, in qua erat spiritus vitae. Et quae ingressa sunt, masculus et femina ex omni carne introierunt, sicut praeceperat ei Deus; et inclusit eum Dominus de foris.*

Textus Hebraicus: *In corpore diei huius venit Noah et Sem et Ham et Iapheth, filii Noah, et uxor Noah, et tres uxores filiorum eius cum eis in arcam: ipsi et omne animal iuxta speciem suam et omne iumentum in specie sua et omne reptile, quod reptat super terram, in specie sua, et omne volatile in specie sua, omnis avis, omne pennatum, et venerunt ad Noah in arcam, duo duo ex omni carne, in qua est spiritus vitae. Et venientes masculus et femella ex omni carne venerunt, sicut praecepit ei Deus; et clausit Dominus super eum.*

Chaldaeus Interpres habet: בִּכְרַן; est autem כרן idem quod עצם: *in corpore diei, in ipsomet die, in articulo diei huius;* illud vero: *Et clausit Dominus super eum: Et protexit Dominus in verbo suo super eum.*

***In articulo diei illius, etc.* Noe obediente Deoque adiuvante, ipsomet cataclysmi die omnia in arca recte disposita sunt, quin a gente illa pessima impedirentur.**

Ostendit Sacra Scriptura Noe obedientiam et omnium mandatorum executionem, non tamen citra Dei auxilium et singularem opem: siquidem ait facta esse omnia haec *in articulo diei illius,* hoc est *in ipsomet die,* quo cataclysmus descendere e coelo coepit. Impossibile siquidem erat omnia haec uno die fieri, universam in arca dispositionem hominum et animalium, omnis generis bestiarum, iumentorum, reptilium, volucrum omniumque pennatorum, iuxta quod Dominus praeceperat. Sed Deo opem ferente cuncta peracta sunt, qui iusto semper astitit, ne etiam a gente illa pessima et scelestissima, a qua nimium erat invisus, quoniam contrarius erat operibus eorum [47], aut vi op-

47) Cf. Sap 2, 12.

primeretur, aut occideretur, vel saltem impediretur ab opere; voluissent enim ipsum quoque una cum aliis omnibus perire, imo prae omnibus tanquam invisissimum. Sed astitit Deus, qui eum ab impiis tutatus est ne quid mali in eum, etsi summe affectabant, operarentur, sed illaesus maneret; quoniam iustitia sua mundum damnaverat, heres factus eius iustitiae, quae secundum fidem est[48].

Et ecce clarior Dei super eum protectio: *Clausit*, inquit, *Dominus a foris.* Praeceperat ut bitumine arcam intrinsecus extrinsecusque liniret ad tabularum rimas occludendas, ne aditum aquis inimicis praeberent; ostium autem arcae, quod a latere posuerat, linire quidem intrinsecus poterat, extrinsecus autem non poterat. At supplevit Deus quod non poterat homo; ostium enim clausit extrinsecus firmiterque adeo obseravit, ne modo quoquam per eius fixuras inimicus imber intus posset in arcam defluere. Id certe videtur praeseferre intelligentiae nostra Editio.

Et inclusit eum, etc. Singulari protectione Deus clausit a foris ostium arcae, quod Noe claudere ab intus nequibat.

At si iuxta Chaldaicam Paraphrasim quod in hebraeo est intelligamus, sensus alius sese nobis placidus offert: *Et protexit*, inquit, *Dominus in verbo suo super eum:* quoniam superne Deus arcae curam agebat eamque nauclerio munere gubernabat. Nam quis naucleri gerebat munus ne arca, illa gravissima et intollerabili tempestate correpta, dum aquarum inundatione in sublime ferretur vi vehementium impellentiumque ventorum acta, ingentium montium scopulis impingeret et irremediabili extremoque naufragio periret? Aut quomodo potuisset adversus tantos fluctuum impetus obsistere, cum undarum procellarumque ingentia volumina, veluti altissimi montes, ad coelum usque ascendebant et ad abyssum usque descendebant? Quomodo arca illa non sub altis illis nigricantibus undis, immenso illo aquarum barathro et inexplebilibus voraginibus mergebatur, cum deorsum abyssus esset aquarum, omni ex latere undarum veluti montes aquarum ascendentium et descendentium, desuper vero e coelo copiosissimus aquarum cataclysmus versabatur, qui non arcam illam tantum potuisset, sed mundum universum obruere potuit et submergere aquis? Sed superne Deus eam protegebat, cuius vi nil potest obsistere; quapropter nullus potuit aquarum aut ventorum impetus arcam laedere, nec submergi unquam potuit; sed

Magis etiam ostenditur haec divina protectio in gubernatione arcae,

ne inter ingentissimos diluvii fluctus mergeretur et contra montium scopulos proiecta frangeretur.

48) Cf. Rom 9, 30; 10, 6.

Dei munita praesidio et divina gubernatione superne gaudens aquis sublimior facta, inhabitantes admodum securos fecit; inter tot tantaque pericula undarum intumescentium, urgentium impellentiumque ventorum solida consistit, nunquam conteri periclitata, quoniam Dei virtute undequaque munita erat.

Vrr. 17-20 *Factumque est diluvium quadraginta diebus super terram, et multiplicatae sunt aquae et elevaverunt arcam in sublime a terra. Vehementer enim inundaverunt et omnia repleverunt in superficie terrae; porro arca ferebatur super aquas. Et aquae praevaluerunt nimis super terram, opertique sunt omnes montes excelsi sub universo coelo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super omnes montes, quos operuerat.*

Textus Hebraicus: *Et factum est diluvium quadraginta diebus super terram, et multiplicatae sunt aquae et sustulerunt arcam et elevata est super terram. Et invaluerunt aquae et multiplicatae sunt valde super terram et ibat arca super faciem aquarum. Et aquae invaluerunt vehementissimae super terram, opertique sunt omnes montes excelsi, qui sunt sub omni coelo. Quindecim cubitis desuper invaluerunt aquae et operti sunt montes.*

Factumque est diluvium, etc. His verbis ostenditur maximus ille aquarum undequaque inundantium cataclysmus.

Ostendit quam immensa aquarum abyssus facta sit et pluviae. *Factumque est diluvium,* hoc est maximus aquarum cataclysmus e coelo copiose descendentium, *quadraginta diebus,* quibus perpetuo pluit absque requie. Accipiendus est autem hic dies naturalis viginti quattuor horarum; supra enim dictum est: *Pluam... quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Et multiplicatae sunt aquae:* idest nimium inundaverunt; arcam vero, quoniam e lignis pineis vel cedrinis ad fluitandum super aquas aptissimis constructa erat, sustulerunt in altum a terra, quoniam inundaverant, adeo ut omnia replevissent loca terrae contermina. *Et praevaluerunt nimis:* hoc est fortes valde fuerunt, adeo ut sua fortitudine arbores eradicarent et aedificia quaeque deiicerent omniaque subverterent.

De inundatione diluvii opinio Hebraeorum.

Aiunt Hebraeorum nonnulli [49] quod aer et terra in aquam conversa sunt et propterea adeo creverunt et invaluerunt aquae. Id autem Rabbino Abrabanel non placet [50]: sed quod aquae omnes,

49) Cf. apud Rab. Abrabanel in not. sequenti. Etiam S. Augustinus tenet diluvii tempore aerem in aquam mutatum fuisse. *De Genesi ad Litteram,* lib. 3, cp. 2, (P. L. 34, 280).
50) Op. cit. f. 44a.

quae sub terra degebant, ascenderunt prorumpentes veluti e fontibus et ascendentes arcam in sublime sustulerunt.

Subtiliter nimis cataclysmi huius excessum nobis Moyses describit. Primo enim pluvias e coelo descendentes *diluvium* vocat, ut ostendat copiosissimis imbribus pluisse ac veluti ad instar fluminum e coelo aquas alluisse; deinde inquit quod *aquae multiplicatae sunt* adeo ut in sublime excreverint et potuerint arcam in altum elevare; tertio, quod *vehementer inundaverunt*, ita ut replerint omnia *in superficie terrae;* quarto, quod inundarunt adeo ut praevalerent *nimis super terram*, ut montes etiam operirent, nedum plana terrae loca replerent; quinto, quod non montes mediocres veluti colles, sed montes excelsos, nec hos quidem huius regionis, non autem illos, sed *omnes, qui sunt sub universo coelo*, omnes montes ubique locorum; demum, quod operuere diluvii aquae omnes montes, nec quidem superficie tenus, adeo ut aliquis posset ad excelsos montes confugiens salvari, sed *quindecim cubitis*, ait, altior fuit aqua *super omnes montes, qui sunt sub universo coelo*, idest super omnes montes etiam excelsissimos.

Super omnes montes, etc. Ex his S. Scripturae verbis affirmandum videtur omnes orbis terrarum montes aquis diluvii opertos fuisse.

Quare non recte utique mihi sentire videntur qui dicunt [51] Caucasi et Olympi montium altitudinem diluvii aquas non attigisse, nec etiam hortum Eden alluisse [52]. Ecce enim ait diluvii aquam *super omnes* excelsos *montes, qui sunt sub universo coelo, quindecim cubitis* altiorem fuisse; non superasse inquit omnes montes orientales tantum, aut occidentales tantum, aquilonares vel australes: non tantum montes Armeniae, aut cuiusvis alterius regionis; sed *omnes* excelsos *montes, qui sunt sub universo coelo;* nec simpliciter excessisse, sed *quindecim cubitis* altissimos quosque montes altitudine superasse.

Vrr. 21-23 *Consumptaque est omnis caro, quae movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium, quae reptant super terram: universi homines et cuncta, in quibus spiraculum vitae est in terra, mortua sunt. Et delevit omnem substantiam, quae erat super terram ab homine usque ad pecus, tam reptile quam volucres coeli, et deleta sunt de terra.*

51) Cf. Gioseffo Flavio *Delle Antichità Giudaiche*, lib. 1, cp. 5, f. 4ª; Caietanus op. cit. pag. 52.
52) Cf. Alph. Tostatus op. cit. f. 42ª; Caietanus op. cit. pag. 52; S. Rob. Bellarminus *Controversiae Christianae Fidei, De Gratia Primi Hominis*, t. 4, col. 44-45; et ii omnes qui dicunt paradisum terrestrem globum lunarem attingere, vel adhuc existere in excelsissimo loco. Cf. cp. 3, pag. 325 et not. 232.

T e x t u s H e b r a i c u s : *Et expiravit omnis caro reptans super terram, in volatili, in iumento, in bestia, et in omni reptili, quod reptat super terram: sed et omnis homo, omne in cuius naribus spirabat spiritus vitae, ex omnibus, quae sunt in arida, mortua sunt. Et deletum est omne subsistens, quod est super faciem humi, ab homine usque ad iumentum, usque ad reptile, et usque ad volatile coeli, et deleta sunt de terra.*

Consumptaque est omnis caro, etc. Misericordia Dei etiam in diluvio manifestatur, quae iustos ultra meritum praemiis donat, et impios citra condignum poenis plectit;

Certe *omnes viae* Domini *misericordia et veritas* [53]. Si enim iustos praemiis afficit, amplioribus utique, quam iustitiae suae merita expetant et locupletioribus muneribus donat supra condignum ; si autem iniustos ob scelera animadvertit, poenae multo minus infligit quam scelerum perversa merita exquirant : punit, inquam, citra condignum. An non poterat pessimam generationem hanc flammis ardentibus perdere et voracissimo igni vivos tradendo statim consumere ? Poterat utique ; sic enim Sodomam et finitimas civitates perdidit ; sic et mundum universum in finali iudicio comburet [54]. At misericordia sua fecit, ut levius punirentur aquis submersi et praefocati, ut ne mortem quidem sentirent.

dum enim potuisset crudeliori supplicio eos consumere, leni tamen morte eos praefocat.

Sicque *consumpta est omnis caro*, idest omnis caro expiravit. Est autem in hebraeo: וַיִּגְוַע, a radice גוע, quod est o b i r e non longa aegritudine, aut gravi morbo, vel cum magno dolore, sed l e n i t e r m o r i . Hoc ergo puniendi modo misericordissimus Deus gentem illam pessimam perdidit et mori voluit, ut obitum [55], alioquin naturae debitum, vix sentirent : sed absque dolore et cruciatu supplicii loco vitam deponerent ; aquis enim submersi leniter et sine dolore mortem obeunt et sine cruciatu vitam deponunt.

Consumptaque est omnis caro; idest omnes homines, licet statura valde proceri, nullo excepto, perierunt.

Per hunc ergo modum *omnis caro* vita absumpta est et omnis homo periit ; et si gigantes tunc temporis erant in terra, ab inundatione tamen staturae altitudo et corporis vastitas salvare eos non potuit. Etenim etsi altissimos montes conscendissent, nec ibi salvari poterant, quoniam praevaluerant aquae super omnes excelsos montes *quindecim cubitis ;* gigantes autem ad eam staturae altitudinem non pervenerunt. Siquidem *Og rex Basan,* qui *solus e stirpe gigantum,* qui post diluvium fuere, superstes relictus est, vix *novem cubitos* altitudinis habebat, ceu in *Deuteronomio* legimus [56] : *In Rabath filiorum*

53) Tob 3, 2. 54) Cf. 2 Petr 3, 7-12. 55) Ms.: *Debitum*, loco : *Obitum*.
56) 3, 11.

Amon ostendi lectum eius ferreum longitudinis novem cubitorum. Fictio autem inanissima illa Hebraeorum est [57], qui aiunt Og illum superstitem relictum fuisse ex illorum gigantum stirpe, qui ante diluvium fuere, cum hic dicatur diluvii inundatione omnes prorsus homines fuisse deletos et solum *Noe et qui cum eo erant in arca* relictos fuisse, sicut sequitur :

Solus Noe et familia eius salvati sunt in arca.

Vr. 24 *Remansit autem solus Noe et qui cum eo erant in arca. Obtinueruntque aquae terram centum quinquaginta diebus.*

Textus Hebraicus: *Et superstes fuit tantum Noah et qui cum eo erant in arca. Et invaluerunt aquae super terram quinquaginta et centum diebus*, sive *fortes fuerunt*.

Hoc est cum quadraginta dierum perpetua pluvia adeo multiplicatae essent aquae et vehementissime invaluissent, usque adeo ut excelsorum montium cacuminibus *quindecim cubitis* altiores essent, in ea fortitudine *centum quinquaginta diebus* permanserunt aquae nihili diminutae.

Centum quinquaginta diebus. **Numerus hic computandus est a cessatione pluviae,**

Alii [58] a primo pluviarum die hunc numerum dierum incipiunt; sed multo melius est quod diximus. Cum enim Moyses diluvii excessum posuisset, quod aquae invaluerant illo quadraginta dierum cataclysmo, adeo ut omnes montes operirent et altiores quindecim cubitis essent effectae, nunc exarat tempus, quo diluvii aquae in illo tam grandi excessu manserunt aitque tempus *centum quinquaginta* dierum fuisse, quo aquae in eo excessu et fortitudine permanserunt.

non a principio diluvii, ut clare eruitur ex verbis Moysis.

57) Cf. Nic. Lyranus op. cit. f. 53b; Alph. Tostatus op. cit. f. 43a. 58) Drusius, col. 255; Cartwrightus, col. 256; Rab. Salomon putat istos centum quinquaginta dies numerandos esse a cessatione pluviarum. Op. cit. f. 9a. Cf. etiam Nic. Lyranus op. cit. f. 53b; Alph. Tostatus op. cit. f. 43a

CAPUT OCTAVUM

Vrr. 1-3 *Recordatus* est *autem Dominus*[1] *Noe cunctorumque animantium et omnium iumentorum, quae erant cum eo in arca,* et *adduxit* Dominus *spiritum super terram, et imminutae sunt aquae. Et clausi sunt fontes abyssi* magnae *et cataractae coeli, et prohibitae sunt pluviae de coelo. Reversaeque sunt aquae... euntes et redeuntes: et coeperunt minui post centum quinquaginta dies.*

Textus Hebraicus: *Et recordatus est Deus ipsius Noah et omnis viventis omnisque iumenti, quod erat cum ipso in arca, et transire fecit Deus ventum super terram, et cessaverunt aquae. Et obstructi sunt fontes abyssi et fenestrae coeli, et cohibita est pluvia de coelo. Et reversae sunt aquae de terra eundo et redeundo : et imminutae sunt aquae a fine quinquaginta et centum dierum.*

Sic et Chaldaicus Interpres.

Targum vero Ierosolymitanum: *Et recordatus est in misericordia sua bona quae est cum eo ipsius Noah et transire fecit spiritum misericordiarum.*

Recordatus autem Deus, etc. Figurate loquitur S. Scriptura, in Deum enim nulla oblivio cadere potest,

Recordatus est *autem Deus.* Profecto nulla potest in Deum oblivio cadere ; neque enim supremae illae divinae mentis ideae, quae veluti intellectiles species sunt in intellectu nostro, deleri quoquo pacto possunt, ut ex ea deletione sequatur oblivio. Divinus siquidem intellectus ars est plena omnium rationum viventium ac per suammet essentiam, quae primum ac summum est entium intellectualium, cuncta intelligit immutabiliter et semper in ea cuncta ei aperte et manifestissime patent et luce clarissima clarius. Memoria autem in Deo amplius nil est quam divinus intellectus una cum obiecto praesenti, idest suo intelligibili, sicut et in nobis. Dico autem memoriam in nobis non eam, quae ad sensum pertinet, estque ultima inter sensus interiores post existimativam, in posteriori ventriculo cerebri sita

quia memoria et intellectus idem sunt cum divina essentia, in qua cunctae essentiae creatae

1) Vr. 1. Vulg. : *Recordatus autem Deus*, etc.

ad occiput[2], quae sensibilium phantasmata aut potius sensilium specierum intentiones suapte natura nata est retinere et conservare estque veluti cellarium aut thesauri repositorium ad recondendas sensibilium specierum praecedentium sensuum intentiones; sed memoriam dico intellectilem, quae intellectiles species apta nata servare est. Praeter memoriam siquidem sensitivam, intellectivam in homine poni necessum est, ut sicut illa sensibilium phantasmatum retinet intentiones, ita haec intelligibilium specierum sit veluti abacus et thesaurus. Species enim intelligibiles nequeunt in organo corporeo conservari: illud enim materiale est, hae vero immateriales; sicut nec sensibiles species vel intentiones servari in intellectu possunt: crassiores enim hae sunt, quam ut altissimam intellectus potentiam possint ingredi.

manifestissime videntur.

In homine duplex datur memoria:

Pro sensibilibus ergo phantasmatum intentionibus recondendis s e n s i t i v a memoria datur: ad intellectiles vero species conservandas, veluti in thesauro, i n t e l l e c t i v a[3]. Haec autem nil est aliud quam ipsemet intellectus, qui quidem quatenus intelligibilium rerum species efformat atque producit, hoc est intellectiles efficit phantasmata suo lumine irradiando, a g e n s intellectus dicitur; quatenus vero efformatas intellectiles species in sese recipit ad intelligentiam producendam, p o s s i b i l i s nomenclaturam sortitus est; quatenus autem illas easdem species intra sese reconditas servat, ut, etsi intellectus non actu intelligat, species tamen intelligibiles reconditas habeat, ut cum voluerit sese supra eas convertat fiatque intellectus in actu et intelligentiam gignat, m e m o r i a e nomen accepit.

sensitiva, ad retinendas species sensiles; intellectiva, ad conservandas species intellectiles;

Memoria itaque nil aliud est quam ipsemet intellectus cum obiecto praesenti vel in se vel in suo simulacro[4]. Semper enim intellectus simulacra intelligibilium, hoc est species intellectiles praesentes habet, etsi non semper intelligat; non enim obiecti aut speciei inexistentia per sese ad intelligentiam efficiendam suapte natura potens est:

haec vero est ipsemet intellectus, quatenus species intellectiles in se reconditas conservat.

2) *S. Thomas:* « Ad conservationem formarum intentionalium ordinatur vis memorativa, quae est thesaurus quidam huiusmodi intentionum..., cui medici assignant determinatum organum, scilicet mediam partem capitis ». *S. Theolog.* 1ª, q. 78, a. 4, c. 3) Idem « Memoria, ut virtus conservativa specierum intelligibilium est, ad partem intellectivam; ut vero ad praeterita, ut praeterita sunt, respectum habet, magis ad animae sensitivam partem attinet ». Ibid. q. 79, a. 6, c. 4) Idem: « Nulla alia differentia potentiarum in intellectu esse potest nisi possibilis et agentis. Unde patet quod memoria non est alia potentia ab intellectu. Ad rationem enim potentiae passivae pertinet conservare, sicut et recipere ». Ibid. a. 7, c.

sed cum intellectus supra illa convertitur, tunc gignitur intelligentia.

In Deo mutatio memoriae non datur, quia intellectus et memoria, actus et habitus memorandi et ipsae species rerum identificantur cum divina essentia,

Ita plane in Deo memoria nil aliud est quam intellectus divinus atque deificus cum obiecto praesenti. Et in nobis quidem mutationes quamplurimae possunt circa memoriam fieri, tum quia species deleri possunt et e memoria evanescere, tum quia in nobis aliud ipsa est memorandi potentia, aliud memorandi actus, cum intellectus supra speciem iam ante receptam convertitur et memorari reminiscique dicitur, cum non statim ea species occurrit et ipse requirit. Aliud quoque est habitus memoriae, cuius est species reconditas conservare, et tum respectu habitus tum actus in memoria contingit mutabilitas. In Deo vero et actus et habitus et vis idem omnino sunt, una res, una invariabilis essentia ; nec species, hoc est ideae rerum intelligibilium, in divina mente deleri possunt, quoniam aeternae sunt et incommutabiles unaque cum Deo substantia .Deus enim essentiam suam primo intelligit; in ea autem et per eam actu simplicissimo et unissimo cuncta alia a se contingentia intelligit et cognoscit. At vero non sine divina voluntate aut voluntatis divinae determinatione, quoniam per suas causas Deus cuncta cognoscit : creaturarum autem omnium causa divina voluntas est eiusque liberrima determinatio, quae cuncta producit in esse.

et eodem actu simplicissimo seipsum et omnia cognoscit, et suae voluntatis determinatione cuncta producit.

Recordari tamen dicitur, quia cum impiis deletis causa diluvii iam cessasset, iterum determinavit mundi saluti providere et diluvii inundationem imminuere ;

Et ita effecit Deus ut diluvii aquae imminuerentur per determinationem suae voluntatis sicque *recordatus Noe* dicitur, non quod prius esset oblitus, sed quia divino intellectu suo cuncta videns, cuncta cum sint ei praesentia, cum iam universum impiorum mundum aquae inundatione periisse vidisset, tunc misericordia sua infinita voluit per suae voluntatis determinationem iterum mundi provideri saluti ; et hoc est *recordari* in Deo velle misereri. Sacra Scriptura nostrae se attemperat imbecillitati et per ἀνθρωπος-πάθος [5] multa de Deo loquitur. Videns enim universos homines periisse et pauculos illos, qui in arca superstites relicti erant, in tanta angustia et rerum difficultate constitutos, cum ignorarent quandonam tantae calamitates finem habiturae essent : omnia videns et intimas cordium cogitationes introspiciens, voluntate sua determinavit ut aquae imminuerentur.

5) Ms.: *Anthropospathon*, et sic infra.

Ista vero quam dicimus determinationem, neutiquam in Deo aliquam mutationem ponit, nisi ex parte effectus, etsi realiter id voluerit Deus, sicut et mundum creare; at sicut creatio nullam in Deo mutationem ponit, etsi per determinationem divinae voluntatis facta sit, ita nec id: quoniam sicut creatio respectus rationis in Deo est, ita et haec voluntatis divinae determinatio. Respectus autem rationis nullam mutationem inducit, nisi ex parte alterius termini; respectus autem hic non rationis quasi a ratione confictus dicitur, sed derelictus a ratione est vel a collatione cognitorum a ratione. Sic ergo intelligimus: Et *recordatus* est *Deus Noe*.

quae determinatio nullam mutationem importat ex parte Dei, sicut nec creatio, sed tantum ex parte termini, seu effectus.

At meminisse oportet eius quod supra dictum est: *Ponam foedus meum tecum* [6], sive *erigam pactum meum:* ad illud enim haec recordatio fertur ad restaurandum pactum illud, sicut supra exposuimus [7]; propterea sequitur M o y s e s de aquarum imminutione sermonem facere. Causas autem huiuscemodi rei ponit primo quidem, quoniam Dei praecepto *clausi sunt fontes abyssi* ne amplius e terra aquae exurgerent; clausae sunt quoque *cataractae coeli,* quia prohibiti sunt Dei iussu cataclysmi illi pluviarum e coelo; deinde vero ventum immisit vehementem, qui transiens exiccaret aquas. At profecto non potuisset ventus, etsi vehementissimus, tantam aquarum molem et immensum barathrum penitus exiccare, nisi iussisset ut reverterentur aquae in locum suum, idest nisi eas in pristina loca conclusisset, ceu a conditione fecerat cum praecepit ut congregarentur *aquae in locum unum* et appareret *arida* [8]. Coeperunt autem aquae decrescere a fine centum quinquaginta dierum; siquidem post diluvium quadraginta dierum, aquae *centum quinquaginta diebus fortes fuerunt* [9] et in fortitudine sua terram obtinuerunt; post hos autem dies deficere ab ea fortitudine coeperunt.

Recordatio haec item refertur ad restaurationem foederis; ideo non causis naturalibus, sed divina virtute aquae diluvii imminutae sunt et in locum pristinum reversae.

Vrr. 4-5 *Requievitque arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis super montes Armeniae. At vero aquae ibant et decrescebant usque ad decimum mensem; decimo enim mense, prima die mensis apparuerunt cacumina montium.*

T e x t u s H e b r a i c u s: *Et requievit arca mense septimo, decima septima die mensis super montes Armeniae Ararath. Et aquae*

6) Gn 6, 8. 7) Cp. 6, pag. 499-501. 8) Gn 1, 9. 9) Ibid. 7, 24.

fuerunt euntes et deficientes usque ad mensem decimum; in mense decimo, prima mensis visa sunt capita montium.

Requievit arca, divina providentia, supra montes, sine ullo periculo inter tot ingentes scopulos.

Prosequitur Moyses ostendens diminutionem atque defectum aquarum, aitque a fine centesimi et quinquagesimi diei ad usque septimum mensem usque adeo decrevisse aquas, quae quindecim cubitos excesserant omnes montes excelsos [10], ut mense septimo prae aquarum paucitate supra montes requieverit, amplius [non valens] arca fluitare super aquarum faciem: sed supra montes Armeniae requieverit, sinum ibi accipiens. Dei autem providentia factum est ut aequalem sinum reperiret supra montium illorum ingentia saxa; naves enim nedum si in loca aspera decidant, verum etiam si in syrtim aut arenosa loca impingat navifragio pereunt; haec autem arca, Dei munita praesidio, nihili periclitata conteri, super montes Armeniae quievit ibi sinum inveniens, in quo fixa mansit immobilis.

De *mensis septimi* computatione variae expositiones et difficultates.

Id autem factum est *mense septimo, vigesima septima die mensis,* vel *decima septima,* iuxta Hebraicum Textum, sicut etiam Chaldaeus Interpres habet. Sed noster Interpres, Septuaginta secutus, dixit *septima et vigesima die mensis:* Septuaginta enim sic habent. Quomodo autem accipiendus sit *septimus* hic *mensis* non modicam habet difficultatem. Et quidem si ita accipiamus ut centum illos quinquaginta dies supra mensem secundum, quo diluvium incepit, connumeremus, habebimus plane septem menses; siquidem a decima septima die secundi mensis usque ad decimam septimam septimi mensis centum quinquaginta dies interfluunt: centum quinquaginta enim dies quinque menses constituunt; et ita plerique Hebraeorum doctores connumerant [11], inter quos est Rabbinus Abrabanel [12].

Septimus hic *mensis* computandus non est a secundo mense quo diluvium incepit;

At vero multa ex hoc insequuntur incommoda. Et primo quidem quoniam diluvium fuit perpetuum *quadraginta diebus*, in quibus *aquae multiplicatae sunt et invaluerunt nimis super terram;* post hos vero dies *centum quinquaginta diebus fortes fuerunt* aquae super terram. Hi autem dies sex menses et plus decem constituunt; quare non septimus mensis, sed octavus etiam, a quo diluvium exorsum est,

10) Cf. ibid vr. 20. 11) Cf. Rab. Salomon op. cit. f. 9^b; Nic. Lyranus op. cit. f. 54^b; Alph. Tostatus op. cit. f. 44^b; Munsterus, col. 256-257; Drusius, col. 264. 12) Op. cit, f. 44^a.

iam defluerat. Quod si dicas, ut hi sentiunt, quadraginta illos diluvii dies intra centum quinquaginta dierum numerum contineri, adhuc esto quod ita sit, salva res non est ; nam iuxta Sacrae Scripturae morem et Hebraeorum consuetudinem, quibus Moyses scribebat, menses lunares accipiendi sunt, quorum alter viginti novem, alter vero triginta diebus constat, adeo ut duo menses quinquaginta novem dies non excedant, nec unquam ad sexaginta ascendunt. Quapropter centum quinquaginta dies quinque menses lunares constituent, et adhuc tres vel saltem duo dies supersunt. Non ergo fuisset decima septima dies septimi mensis, sed decima nona aut vigesima.

Deinde vero cum Scriptura ait *mense septimo, decima septima die mensis* quievisse arcam super montes, idem esset ac dicere eam quievisse centesima et quinquagesima die. At inquit quod *centum quinquaginta diebus aquae fortes fuerunt super terram*, et *a fine centum quinquaginta dierum minui coeperunt*, idest post centum quinquaginta dies. Sicut ergo citra centesimum quinquagesimum diem non quievit arca, ita nec eo die : quoniam eo die nil minus fortes erant, et eo transacto minui coeperunt. Falsum ergo Scriptura dicit, quod *decima septima*[13] *die mensis septimi* quievit arca, si mensis septimus connumerandus est a secundo, quo incepit diluvium ; et eo maxime quod fateri necessario oportet nonnullos fluxisse dies, ex quo aquae coeperunt decrescere usque ad tempus illud, quo requievit arca. Nam ut modicum aquarum, quo ima pars arcae mergebatur, deflueret, a decima septima die mensis septimi usque ad primam decimi mensis defluxit tempus : *mense enim decimo, prima die mensis apparuerunt cacumina montium.*

multae enim difficultates exurgerent ;

Nec dici potest quod quindecim totis cubitis arca mergebatur in aquis : tunc enim supra montes neutiquam fluitare et super aquarum faciem ferri potuisset : sed quievisset. Postquam ergo multum defluens decrevit aqua, super montes quievit arca et per consequens post multum temporis ; amplius enim tempus requirebatur ut summae aquarum immensitates decrescerent, quoniam ampliores et vastiores erant magis, quo sursum ascenderant : quemadmodum in his fieri cernimus, quae in sphaerae orbem crescunt ; quo enim a centro peripheria distat magis, eo est latior et amplior ; aquae autem illae in

13) Vr. 4. Vulg. : *Vigesimo septimo die.*

orbem creverant cum universale diluvium extiterit, universam usquequaque sub omni coelo inundans terram.

sed a die quo diluvium innundare coepit;

Septimum ergo *mensem*, citra omnem controversiam, a tempore quo diluvium inundare coepit, intelligimus. Si enim *quadraginta* pluviarum *dies* accipiantur et *centum quinquaginta*, quibus aquae in summa fortitudine terram obtinuerunt, iuxta mensium lunarium computationem sex menses integros et dies tredecim habebimus; dies autem, qui desunt, usque ad decimam septimam diem ab initio decrementi aquarum ad illud usque tempus, quo arca quievit, interfluxisse rationi perquam consentaneum est; et sic ab initio diluvii usque ad septimum mensem et decimam septimam diem mensis, nihilo reluctante, ventum erit.

Ita quoque *decimus mensis*.

Iuxta hanc quoque seriem accipiendus est *mensis decimus*, cuius *prima die* montium cacumina apparuere, adeo quod ab arcae quiete ad usque tempus, quo cacumina montium apparuere ut videri potuissent, duo menses et dimidium fere interfluxere.

Vrr. 6-9 *Cumque transissent quadraginta dies, aperiens Noe fenestram arcae, quam fecerat, dimisit corvum; qui egrediebatur et non revertebatur, donec siccarentur aquae super terram. Emisit quoque columbam post eum, ut videret si iam cessassent aquae super faciem terrae. Quae cum non invenisset ubi requiesceret pes eius, reversa est ad eum in arcam; aquae enim erant super universam terram. Extenditque manum suam, et apprehensam intulit in arcam.*

Textus Hebraicus: *Et fuit a fine quadraginta dierum aperuit Noah fenestram arcae, quam fecit, et emisit corvum; qui egressus est egrediendo et redeundo, donec siccarentur aquae super terram. Et emisit columbam a se, ut videret an alleviatae essent aquae a superficie humi. Et non invenit columba requiem pro planta pedis sui, et reversa est ad eum in arcam; quoniam aquae erant super faciem omnis terrae. Et misit manum suam et introduxit eam ad se in arcam.*

Cumque transissent quadraginta dies. Ab eo tempore, quo montium cacumina visa sunt, transactis quadraginta diebus, arcae fenestram aperuisse Noe dicitur. Non est autem idem fenestrae nomen in hebraeo, quod supra; ibi צֹהַר [14] dicta est, hic autem חַלּוֹן. He-

14) Gn 6, 16. Ms.: הצוהר.

Aperiens Noe fenestram, etc. De *fenestra* opiniones Hebraeorum.

braeorum autem plerique [15] autumant secundo hoc nomine ipsam cataractam et aditum designari; per primum vero lapidem quendam pretiosum translucidum, veluti vitrum aut crystallum, quod fenestrae aditum occludere posset, ne venti et pluvia ingrederentur, et simul etiam lumen reciperet ad habitationem illuminandam. Diaphana enim corpora lucem nihil impediunt, sed lumen intendunt; et per hanc fenestram eo lapide occlusam poterat utique Noe deintus quae foris erant videre, et per translucidum illud montium cacumina sibi apparuere, mox ut ex aquis prominere coeperunt.

Corvus ex arca emissus, in eam amplius reversus non est, sed forte circa eam volitans ibat et redibat.

Ad emittendum tamen corvum fenestram eam aperuit; corvus autem per fenestram emissus *egrediebatur et non revertebatur.* Textus autem Hebraicus habet: *Egrediebatur eundo et redeundo;* sensus autem idem est. Egressus siquidem est ex arca corvus, nec unquam amplius in arcam ad Noe reversus est; sed revertebatur e regione arcae *eundo et redeundo* circa arcam, ut Rabbinus Abrabanel inquit [16], fuitque semper prope arcam, semper circa eam volitando, quousque egressus est Noe ex arca.

Noe *dimisit corvum* ut videret an aquae alleviatae essent;

Refert Rabbinus Abrabanel nonnullos dicere propterea corvum in arcam non esse reversum quod sibi nati essent pulli; corvorum autem pulli, sicut naturales dicunt [17], cum nascuntur, albi exeunt; quapropter existimans corvus degeneres filios nec similes, proprios non esse, relinquit eos et longe abit ab eis, nec illis escam adfert. Nostrates vero dicunt [18] immoratum fuisse corvum supra mortuorum cadavera, et propterea non esse in arcam reversum. Aiunt etiam Hebraeorum plerique [19] et idem doctor [20], Noe non misisse corvum ut videret si alleviatae essent aquae, hoc enim de columbae missione, non corvi, dicitur: sed ut videret an adhuc consisterent

15) Cf. Rab. Salomon op. cit. f. 10^{a}; S. Hieronymus *Hebraic. Quaest. in Gen.*, (P. L. 23, 949); Dionysius Cartusianus *Enarrat. in Gen.*, a. 33, pag. 155; Fagius, col. 258, Drusius, col. 263.
16) Op. cit. f. 44^{b}.
17) Ibid. Cf. S. Gregorius M. *Moralium*, lib. 30, cp. 9, (P. L. 76, 542); S. Isidorus Hisp. *Sentent.*, lib. 3, cp. 43, ibid. 83, 712; Vinc. Beluacensis *Speculum Naturale*, lib. 17, cp. 61-62, sine numeratione foliorum.
18) Cf. S. Io. Chrysostomus *Hom. 26 in Gen.*, (P. G. 53, 234); S. Augustinus *Quaest. in Heptateuchum, quaest. 3*, (P. L. 34, 551); S. Beda *Comment. in Pentat.*, ibid. 91, 223; Strabus *Glossa Ord. in Gen.*, ibid. 113, 109; Angelomus *Comment. in Gen.*, ibid. 115, 160; Guilbertus *Moralium in Gen.*, lib. 3, ibid. 156, 100; Rupertus *De Trinitate*, etc. *In Gen.*, lib. 4, cp. 23, ibid. 167, 348; Nic. Lyranus op. cit. f. 54^{b}; Alph. Tostatus op. cit. f. 45^{a}; Lucas Brugensis *Critici Sacri*, t. 1, part. 1, col. 261; Grotius, ibid. col. 274.
19) Cf. Nic. Lyranus op. cit. f. 54^{b}.
20) Op. cit. f. 44^{b}.

civitates, domus, turres et palatia; quoniam his in locis solent corvi nidificare.

ob eandem rationem *emisit quoque columbam.*

Corvus autem reversus quidem est, sed non ad Noe in arcam; quapropter nihilo certior factus, columbam emittit, ut videret *an alleviatae essent aquae* super terram; ipsa vero cum plantae pedis sui quietem non invenisset, idest locum ad quiescendum aptum, *reversa est ad Noe in arcam.* Sed nonne montium cacumina ab aquis iam libera erant? Utique. Non fert autem columbarum natura supra montium excelsorum cacumina nidos facere, ubi nec arbores sunt; et licet montium capita apparuerint, adhuc tamen ob aquarum abundantiam ipsa cacumina plena aquis erant: humus vero liberata ab aquis tota limosa: planities autem universa adhuc plena aquis erat, quoniam adhuc aquae erant super universam terram planam.

quae locum aptum ad quiescendum non inveniens, in arcam reversa est.

Vrr. 10-12 *Expectatis autem ultra septem diebus aliis, rursum dimisit columbam ex arca; at illa venit ad eum ad vesperam portans ramum olivae virentibus foliis in ore suo. Intellexit ergo Noe quod cessassent aquae super terram; expectavitque nihilominus septem alios dies et emisit columbam, quae non est reversa ultra ad eum.*

Textus Hebraicus: *Et expectavit adhuc septem diebus aliis, et adiiciens misit columbam ex arca; et venit ad eum columba tempore vespertino et ecce folium olivae decerptum in ore suo. Et cognovit Noah quod alleviatae essent aquae super terram; et expectavit adhuc septem dies alios et emisit columbam, quae non adiecit reverti ad eum amplius.*

Septem dierum interstitio iterum et tertio columbam emisit, quae primo cum ramo olivae reversa est, postea vero amplius reversa non est.

Ostendit Scriptura [Noe] non statim post corvi emissionem columbam emisisse, sed *septem diebus* expectasse et tunc primo misit; postquam vero reversa est, non invento loco ad quiescendum convenienti [21], adhuc *septem alios dies* expectavit, post quos columbam secundo emisit; hoc est quod ait: *Expectatis autem ultra septem aliis diebus: septem aliis*, inquit, ab illis septem, quos expectavit eam post corvum emittere. Itaque supra primam diem mensis decimi, qua montium cacumina apparuere, quadraginta dies et ultra tres hebdomadas habemus: primam, post corvi emissionem, cum primo columbam emisit; secundam, cum rursum eam emisit et reversa est ad eum

21) Ms.: *Convenientis.*

vespertino tempore cum ramo olivarum virenti in ore, sive cum folio olivae decerpto in ore suo, ex quo cognovit Noe quod cessassent vel alleviatae essent aquae super terrae planitiem ; adhuc tamen *septem alios dies expectavit*, et haec tertia est hebdomada, *et emisit columbam, quae non est reversa ad eum amplius*.

R a b b i n u s A b r a b a n e l causam huiuscemodi reddit [22] quare Noe quadraginta dies et postea ter septem expectaverit : « quoniam quaternario numero cuncta sunt a Deo disposita ».

Omne tempus computando ab initio diluvii usque ad tertiam emissionem columbae, pervenitur ad sexcentesimum primum annum et primum mensem vitae Noe.

A die autem quo diluvium coepit, ad eum usque diem quo tertia vice columbam ex arca emisit, menses undecim expletos et diem vel duos habemus. Si enim supra decimi mensis primam diem quadraginta et ter septem dies numerentur, ad primam vel secundam duodecimi mensis perveniemus, quoniam quadraginta et ter septem dies bis tricenos efficiunt, qui sunt duo menses et adhuc unus est dies superstes, aut duo. Quod si menses hi undecim vitae Noe addantur, ad sexcentesimum primum annum et mensem ipsum evehemus, quoniam cum diluvium coepit, sexcentesimum annum et mensem secundum agebat [23]. Hoc est quod sequitur :

Vrr. 13-14 *Igitur sexcentesimo primo anno* vitae Noe, *primo mense, prima die mensis imminutae sunt aquae super terram, et aperiens Noe tectum arcae aspexit, viditque quod exiccata esset superficies terrae. Mense secundo, septimo et vigesimo die mensis arefacta est terra.*

T e x t u s H e b r a i c u s : *Et fuit in uno et sexcentesimo anno, in primo, in prima mensis exiccatae sunt aquae super terram, et discooperuit Noah operculum arcae et vidit et ecce exiccatae sunt facies humi. Et in mense secundo, in septima et vigesima die mensis arefacta est terra.*

Quando demum terra sit ab aquarum iniuriis liberata aridaque iuxta naturae suae conditionem permanserit, nunc declarat, inquiens: *Anno sexcentesimo primo* vitae Noe exiccatas esse aquas. Non aquae exiccatae sunt, suapte natura enim aquae humidae sunt estque humiditas frigiditatis comes et symbola qualitas in aqua cum frigiditate, quam suapte natura in summo habet ; nec potest, nisi naturam suam amittat [24] aqua in terram aut ignem conversa, humiditatem

22) Op. cit. f. 44^{b}–45^{a}. 23) Cf. Gn 7, 6. 24) Ms.: *Amitta*.

amittere; nam etsi in vaporem et aerem convertatur, multo fit humidior, quoniam summe humidus aer est.

Inquit autem exiccatas esse aquas, quoniam e terrae superficie defecerunt abeuntes in locum suum, quo eas Deus abire iussit. Ab inundatione vero cum libera terra mansisset, quoniam ea inundatione nimiam aquam imbiberat, ut enecata propemodum esset tota fere in limum lutumque liquens conversa, solarium radiorum calore suffulta ab illis quoque aquis, quas nimium imbiberat cum magno suo dispendio et virtutis discrimine, sole favente liberata est, qui suis radiis eam repercutiens nimiumque calefaciens, ipse universam aquam illam limo suffusam veluti exhaustam imbibens, in vaporem conversam sursum traxit; unde terrae facies exiccata ac iuxta naturae suae conditionem arida permansit, ut posset animalium plantis solidum gressum praebere et non limo veluti devorare. Itaque sexcentesimo primo anno vitae Noe, die prima primi mensis, copiosae aquae abeuntes in locum, suum, terram liberam reliquerunt.

Aquae exiccatae dicuntur, quia reversae sunt in locum suum et virtute radiorum solarium terrae superficies exiccata est.

Antequam vero plene arefieret ab aquis, quas imbiberat, quoniam veluti enecata prorsus erat, ad usque vigesimam septimam secundi mensis diem tempus interfluxit. Tunc *aperiens Noe arcae tectum, aspexit et vidit* terram satis exiccatam et aridam factam, ut solidum posset animalibus gressum praebere. Et tunc, evoluto iam anno et decem ultra diebus a die, quo in arcam ingressus est Deo iubente, eiusdem iussu atque imperio egressus est.

Mensem et viginti septem dies ultra expectavit Noe antequam de arca egrederetur;

Discimus ex hoc capite annos omnes, qui hucusque leguntur, solares esse, qui duodecim mensibus constant, cum declaraverit Sacra Scriptura sexcentesimo anno vitae Noe diluvium venisse; postmodum vero duodecim evolutis mensibus, cum defecit, inquit sexcentesimo primo vitae Noe anno defecisse. Unde liquet annos solares vertentes hucusque ab initio enumerasse, qui mensibus duodecim constant. Unde sequitur:

et ideo omne tempus, quo in arca permansit, duodecim mensibus et diebus decem et septem continetur.

Vrr. 16-17 *Locutus est autem Deus ad Noe, dicens: Egredere de arca tu et uxor tua, filii tui et uxores filiorum tuorum tecum. Cuncta animantia, quae sunt apud te ex omni carne, tam in volatilibus quam in bestiis et universis reptilibus, quae reptant super terram, educ tecum et ingredimini super terram: crescite et multiplicamini super eam.*

Textus Hebraicus: *Et locutus est Deus ad Noah, dicendo: Exi de arca tu et uxor tua, et filii tui et uxores filiorum tuorum tecum.*

Omnis bestia, quae est tecum ex omni carne, in volatili et in iumento et in omni reptili, quod reptat super terram, educ tecum; et reptilificent in terra et fructificent et multiplicentur super terram, sive *et reptilificate et crescite et multiplicamini.*

Locutus est autem Deus, etc. Adhuc demonstratur perfecta iustitia Noe, qui licet videret terram satis exiccatam, exire tamen noluit ante iussionem Dei.

Narrat Sacra Scriptura quod, etsi vir iustus atque perfectus Noe[25], tectum arcae cum aperuisset, terram iam esse satis satis exiccatam et arefactam [vidisset], adeo ut aptissime posset animalia sustinere, egredi tamen noluit aut ipse aut quisquam eorum, qui secum erant, ex arca, sed divinum voluit expectare iussum ut egrederetur, sicut Dei etiam praecepto et monitu ingressus fuerat[26]. Quapropter *locutus est* Dominus ad eum, vel per intimam inspirationem eius menti illapsus, quod Dei est proprium, vel alio quovis modo ei noto, qui omnia novit, per quem vir iustus certissime divinam voluntatem nosset eam esse, ut ad inhabitandam terram ex arca exiret.

Egredere de arca tu et uxor tua, etc. Ante diluvium Deus iussit homines arcam ingredi separatim a mulieribus ut intelligerent, poenitentiae vacandum esse ob mundi tribulationem;

Egredere, inquit, *ex arca tu et uxor tua, filii tui et uxores filiorum tuorum.* Cum iussit eum in arcam ingredi, ait: *Ingredere in arcam tu et filii tui, uxor tua et uxores filiorum tuorum:* viros tunc ab uxoribus separavit, nunc autem coniungit: quoniam tunc tempus erat longe fieri ab amplexibus[27] et non deliciis et voluptatibus vacare, sed ieiuniis, orationibus et lacrimis, ut concitatum Dei furorem in homines placarent. Noluit itaque Deus viros in arca connubiis vacare, sed mundos esse et sanctificatos, ab uxoribus abstinere et vitam caelibem ducere. Nunc vero iterum coniungit cum egredi ex arca imperat; vult enim ut generationi operam dent, ut[28] humanam propaginem longe lateque generatione[29] diffunderent et propagarent: ad hoc enim eos servavit, *ut salvaretur semen super faciem universae terrae*[30].

nunc iubet omnes simul egredi, quasi iterum eos coniungendo, ad humanum genus propagandum.

Similiter cuncta alia animantia iubet ex arca educi et prolificationi incumbere ad species propagandas; propterea ait: *Crescite et multiplicamini super terram:* sive fructificate prolificando, ut multiplicemini super terram. Vult pauculos illos homines in gentes maximas et nationes propemodum infinitas excrescere; propterea ait, iuxta hebraicum: שִׁרְצוּ. Est autem שרץ, gignere et producere in multitudine, ad instar pisciculorum ac similium animalium, quae in magna multitudine gignuntur, adeo ut ebullire

25) Gn 6, 9. 26) Cf. ibid. 7, 1. 27) Cf. Eccle 3, 5. 28) Ms.: *Ad,* loco: *Ut.* 29) Ms.: *Generatio.* 30) Gn 7, 3.

videantur. Ita de filiis Israel in Aegypto dicitur quod creverunt: וישרצו, *et nati sunt in multitudine*, vel, sicut nostra habet Vulgata Editio, quasi *germina multiplicati sunt* [31], forte quia mulieres geminos aut amplius pariebant filios. Ita hos homines vult in maximas multitudines excrescere et multiplicari, ut terram replerent.

Vrr. 18-19 *Egressus est ergo Noe et filii eius, uxor illius et uxores filiorum eius cum eo; sed et omnia animantia, iumenta et reptilia, quae reptant super terram, secundum genus suum egressa sunt de arca.*

Textus Hebraicus: *Et exiit Noah et filii eius, et uxor eius et uxores filiorum eius cum eo; omnis bestia, omne reptile, omne volatile, omne quod se movet super terram, iuxta familias suas egressa sunt ex arca.*

Egressus est ergo Noe, etc. Egreditur Noe de arca, sed tantum Dei iussione, quamvis incommodum valde habitaculum esset.

Ostendit Scriptura Noe obedientiam, qui examussim et ad unguem divinum iussum opere complevit; a divina enim voluntate totus pendebat. Ipse egressus est ex arca, e tristi illo et molesto habitaculo veluti carcere, in quo tandiu inclusus mansit, brutorum cohabitationem ferens, foetorem atque molestias, ubi tandiu nec aerem respirare voluit nisi corruptum: undequaque enim arca munita clausaque cum esset, nec aer aut ventus ingredi poterant. Et aer quidem attractus corrumpitur, quo tamen et hominum et brutorum corpora frui oportet ad praecordia refrigeranda. Et quomodo aer tandiu arcae inclusus, ubi et homines et tot tantorumque animalium turmae inhabitabant, non est corruptus? Et quantus ibi ex aeris corruptiones immundorumque animalium habitatione inerat foetor! At vero *iustus vir atque perfectus* omnia pertulit, salutis dispendii aut discriminis nil veritus, cum Dei iussa compleret: nec egredi unquam voluit e putenti illo carcere, nisi id Deus iuberet. Facto autem Dei iussu, statim et ipse egressus est et filii atque uxores, et omnia animalia eduxit ex arca, *iuxta familias suas*, idest secundum species suas, sicut ingressa fuerant; species autem Hebraicus Textus *familias* vocat.

Vrr. 20-21 *Aedificavit autem Noe altare Domino: et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis obtulit holocausta super altare. Odoratusque est Dominus odorem suavitatis et ait* Dominus in corde suo: *Nequaquam ultra maledicam terrae propter hominem* [32]; *sensus enim et cogitatio*

31) Ex 1, 7. Vulg.: *Germinantes*, loco: *Germinans*. 32) Vr. 21. Vulg.: *Propter homines*.

humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua; non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, sicut feci.

Textus Hebraicus: *Et aedificavit Noah altare Domino: et accepit ex omni iumento mundo et ex omni volatili mundo et ascendere fecit holocausta in altari. Et odoratus est Dominus odorem quietis et dixit Dominus ad cor suum: Non adiiciam maledicere amplius humum propter hominem, quoniam figmentum cordis hominis malum ab adolescentia sua; non adiiciam amplius percutere omne vivens, sicut feci.*

Paraphrastes Chaldaeus vertit illud: *Et suscepit Deus in beneplacito,* sive *cum benevolentia, oblationem eius.*

Textus Graecus habet: *Et odoratus est Dominus odorem suavitatis et ait Dominus recogitans,* etc.

Aedificavit, autem Noe altare, etc. Pietas summa Noe ostenditur dum statim ac de arca egressus est, Deo sacrificium obtulit.

Cum egressus esset Noe ex arca, cum spatiosissimam terrae regionem universumque orbem aspexisset, quoniam misericordissimus Deus *secundum magnam misericordiam* suam *et secundum multitudinem miserationum* [33] suarum omnia in statum pristinum paulo minus reduxisset, deleto aquae inundatione impiorum mundo, supra sacri cordis sui altare igne caritatis ardentissimae acceptissima thura orationum et gratiarum actionum incendens, ore simul immensas tanti beneficii tantaeque miserationis gratias agens, voluit etiam una cum devotissimo corde et voce operum sacrificia Deo offerre. Quapropter aram construxit. Deus enim mihi, aiebat,

« haec otia fecit.
Nanque erit ille mihi semper Deus : illius aram
Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus » [34].

Tulit itaque ex omnibus animalibus mundis et obtulit holocausta Deo; propterea enim septena et septena ex animalibus mundis ingressa sunt in arcam, ut tria paria veluti semen ad speciem propagandam servarentur, septimum Deo in holocaustum offerretur.

Odoratusque est Dominus, etc. Deus gratissimo sacrificio Noe placatus est

Et odoratus est Dominus odorem suavitatis, sive *quietis.* Figurate id dictum accipimus per ἀνθρωπος-πάθος. Non est enim animal Deus, quod cerebrum habeat et respirando exhalationes per mammillares processus usque ad cerebri caruncul as aut mammillas trahat, ut possit odorum fragrantiam sentire: sed *spiritus est Deus* [35], qui *carnem et ossa non habet* [35a], purissimus actus et simplicissimus

33) Ps 50, 3. 34) Virg. *Bucol., Eclog.* 1, vrr. 6-8. 35) Io 4, 24. 35a) Lc 24, 39.

intellectus. *Odoratus* ergo *odorem suavitatis* dicitur a translato, quia holocausta suo beneplacito acceptavit ob iustitiam et devotionem Noe, ac si quis suavem odorem atque gratissimum olfecisset ; et odor hic *odor quietis* dicitur, quoniam quiescere fecit Deum ab ira, hoc est ne amplius in posterum irascatur.

et ad clementiam provocatus ne amplius terrae malediceret, sed humanae fragilitati misericorditer compateretur.

Unde ait : *Nequaquam ultra maledicam terrae propter hominem.* Non ait : ultra hominem non affligam, non corripiam, non castigabo ; sed *terrae non maledicam* amplius sicut feci : hoc [est] non ultra diluvium ad perdendam dissipandamque terram immittam, nec huiuscemodi generales clades universamque viventium perniciem, quoniam *sensus et cogitatio cordis humani in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Videt Deus crudele bellum, quod caro semper adversus spiritum agit : quomodo continuo adversus spiritum concupiscit [36] : quomodo in malum semper nititur propensissime : quomodo semper concupiscentias perniciosissimas et carnalia desideria movet, *quae militant adversus animam* [37], et semper in carnalibus operibus cupit immorari, *quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, sectae, invidiae, homicidia, ebrietates, comessationes et his similia* [38]. Caro itaque haec fomes peccati et corpus mortis, quod corrumpitur, animam nimium aggravat [39] et concupiscentiis suis continuo abstrahit et allicit, ut cum nequissimum fetum concupiscentia conceperit, peccatum pariat, illud vero consummatum generet mortem [40]. Haec itaque videns Deus, infirmitatem, inquam, hanc perniciosae carnis et miserandam fragilitatem, compatitur et miseretur. Quia ergo *sensus et cogitatio* suapte natura *ad malum prona sunt ab adolescentia, non amplius maledicam terrae,* ait, *propter hominem,* nec *omnem animam viventem* delebo.

Vr. 22 *Cunctis diebus terrae, sementis et messis, frigus et [aestus], aestas et hiems, nox et dies non requiescent.*

Cunctis diebus, etc. Renovat Deus pactum ab initio positum et tempore

T e x t u s H e b r a i c u s : *Ad usque omnes dies terrae, semen et messis, frigus et aestus, aestas et hiems, dies et nox non cessabunt.*

Hoc est pactum et leges, quas posuit Deus ab initio inter coelum et terram, diem et noctem [41] ; pactum vero istud diluvii tempore

36) Cf. Gal 5, 17. 37) 1 Petr 2, 11. 38) Gal 5, 19-21. 39) Cf. Sap 9, 15. 40) Cf. Iac 1, 15. 41) Cf. Gn 1, 3 sqq.

confractum est propter impios et hoc quidem verba haec innunt. At vero promittit nunc Deus Noe se iterum foedus illud erecturum, ut nunquam amplius in posterum haec deficiant.

diluvii confractum.

Hic vero Hebraei [42] sex anni tempora distinguunt: tempus sementis et messis, frigoris et aestus, aestatis et hiemis, unicuique menses duos tribuentes. Sementis enim tempus aiunt esse a dimidio Septembris usque ad Novembris medium, et hinc incipit tempus frigoris usque ad dimidium Ianuarii; inde vero ad usque Martii dimidium tempus est hiemis; ab hoc vero tempore usque ad Maii dimidium tempus est messis; post hoc tempus aestatis sequitur usque ad dimidium Iulii; inde demum usque ad Septembris dimidium tempus est aestus et vehementis caloris. Menses tamen eorum non semper cum nostris currunt; sed Martius illorum partim cum nostro Martio et partim cum Aprili concurrit et, ut plurimum, pars maior cum Aprili.

Sex anni tempora distinguunt Hebraei,

Nos vero quattuor tantum anni tempora assignamus: ver, aestatem, autumnum et hiemem. Et ver quidem ab ariete incipit usque ad cancrum; inde vero aestas ad libram usque; a libra vero incipit autumnus ad capricornum usque; inde demum hiems usque ad arietem, ubi ver incipit. His autem anni temporibus fit sementis et messis; frigus et aestus: frigus in hieme, aestus in aestate: in autumno sementis, messis in vere.

et secus ac nos dividunt menses.

Haec promittit Deus nunquam amplius ad finem usque mundi desitura; nox vero et dies divina ordinatione ad finem usque saeculi perseverabunt alternis vicibus. Omnia vero haec luminarium motu fiunt, quae posita sunt *in signa et tempora et dies et annos* [43], propterea legem posuisse Deus dicitur inter coelum et terram, quae cessabit unquam [44].

Non requiescent. Deus foedus nunc initum promittit se nunquam fracturum.

42) Cf. Nic. Lyranus op. cit. f. 55ᵃ; Alph. Tostatus op. cit. f. 47ᵃ; Munsterus, col. 257; Clarius, col. 260; Drusius, col. 270-271; Cartwrightus, col. 276. 43) Gn 1, 14. 44) Cf. Ier 33, 25.

CAPUT NONUM

Vrr. 1-3 *Benedixitque Deus Noe et filiis eius et dixit ad eos : Crescite et multiplicamini et replete terram, et terror vester et*[1] *tremor sit super cuncta animalia terrae et super omnes volucres coeli: cum universis, quae moventur super terram, omnes pisces maris manui vestrae traditi sunt. Et omne, quod movetur et vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia.*

Textus Hebraicus: *Et benedixit Deus Noah et filiis eius et dixit eis: Fructificate et multiplicamini et implete terram, et timor vester ac terror sit super omnem bestiam terrae et super omnem volucrem coeli, in omni, quod ebullit humus, et in omnibus piscibus maris: in manu vestra traduntur omnia. Omne reptile, quod est vivens, vobis erit in cibum: quasi olus herbae tradidi vobis omnia.*

Benedixitque Deus, etc. Duplex benedictio Noe datur quia duplici elemento constat natura humana, corpore scilicet et anima.

Benedixit Deus Noe: idest, gratiam adauxit, gratiam ampliorem dedit, benedictionum uberrima munera donavit. Quae vero sint haec ait : *Crescite et multiplicamini et replete terram et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terrae.* Duplici sane et biiuga parte constat [homo] : corpore, quod veluti ὕλη[2] est ac materies, et anima, quae ἐντελεχείας et formae obit munus. In geminis his partibus humana consistit natura perfecta ; et utramque Deus amplissimis benedictionibus confertam coagitatamque uberrime, ex misericordiae suae munere, non tamen citra eorum virtutem, donat : *Crescite et multiplicamini:* vim genitricem ad speciem propagandam coaugmentat, virtute uberrima eam referciens maximaque in semine, ut pauculi illi homines et pusillus grex in gentem excrescerent infinitam, in greges innumeros, in multitudinem, quae universam sub omni coelo superficiem terrae operiret, ut in millenas fierent generationes. Et sicut generatio naturae opus est amicissimum ac inter omnia naturalissimum, ita quoque vim potentiae gignendi affluentissimam Deus praestitit, quae exhauriri non facile posset aut emori, facultatem suppeditavit

Benedictione corporis uberrima virtus generatrix significatur;

1) Vr. 2. Vulg.: *Ac.* 2) Ms.: *Hile,* et infra : *Endelechiae.*

in universa saeculi protelatione. Haec autem vis corpori insidet, corpus ei sedem et organa praestat, etsi virtus sit vegetatricis animae, quae in homine a rationali substantia nil distat, sed in eius substantia una cum sentiendi virtute, sicut trigonum in tetragono, continetur.

Sicut autem vitae et sensui suapte natura ratio supereminet, ita homo cunctis brutis, quoniam homo ratione pollet, illa vero supra sensum non ascendunt; propterea dictum est homini a sua conditione: *Dominamini piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae* [3]: quoniam suapte natura homo cunctis supereminet; et natura quidem ac potestate dominatur cunctis, actu vero multorum dominio privatur ob peccatum. Multa enim irrationalium genera facta sunt homini veluti rebelles ac contumaces servi, quoniam ob peccatum homo rebellis factus est Deo et contumax. Et multa quidem animalia aperto marte homini inimicantur et nimia ferocia in eum saeviunt et mortem machinantur. Et viribus quidem corporis multa praevalent suntque homine, sicut audaciora, ita et fortiora et potentiora.

benedictione animae, dominium et praepotentia quandam supra animalia.

At vero ne usquequaque hominibus praevalere feroces bestiae viderentur, ne homines dilaniandos, trucidandos, devorandos invaderent, divina providentia cautum est, quae hominem quidem multis bestiis corpore minus valere voluit, ratione vero multo praepotentem esse: unde non hominum genus ferocissimae atrocissimaeque bestiae dilaniandum devorandumque aggrederentur, sed magis paverent et eum invadere extimescerent, ab eiusque aspectu et praesentia contremiscerent. Hoc est, quod ait:

***Omne, quod movetur,* etc. Ne homo fame periret, Deus animalium carnes in esum illi relaxat.**

Et terror vester ac tremor sit super omnia animalia terrae. Non tantum corporis, sed rationis principio munus hoc est et benedictio, quae hominem a ratione communit; non animalia cuncta ad prisci hominis in statu innocentiae obedientiam reducit: sed hominem rationis munere et vultus maiestate animalibus timendum extimescendumque reddit.

At vero quia, etsi animalium invasione non periissent, poterant adhuc famis necessitate perire, cibum eis convenientem providit dicens:

Omne, quod movetur et vivit, erit vobis in cibum. A conditione germina terrae, herbarum olera fructusque arborum hominibus in escam

3) Gn 1, 26, 28.

tribuerat Deus, dicens: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram et universa ligna, quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam*[4]: nunc vero, ea praeter et animalium tum terrestrium tum aquatilium et volucrum carnes hominibus in esum relaxat; et sicut prius olera, ita nunc carnes in cibum donat; unde ait: *Quasi olera virentia tradidi vobis omnia.*

Causae permissionis, prima: quia aquis diluvii virtus nutritiva terrae nimium labefactata erat;

Cur autem carnium esum, quem prius non concesserat a conditione hominibus, nunc permittat, in causa multa fuere. Et primo quidem quoniam terrae virtus nimium aquae inundatione labefactata fuit; supra enim ait: *Et ego disperdam omnes cum terra*[5]. Quapropter terrae proventus, germina, plantae, fructus et semina multo peioris sortis post diluvium semper fuere, quam ante, et virtutis multo invalidioris; unde peioris etiam nutrimenti extitere ad alendos homines et ad primigenium humorem restaurandum: quo enim cibus virtute magis deficit, eo est ad vitae fomentum ineptius.

secunda: quia natura humana progressu generationum invalidior efficitur;

Deinde vero et ipsa hominum natura nonnullum virtutis suae discrimen passa erat et nonnihili invalidior facta. Continuo enim per generationes naturalis virtus minuitur; quapropter validiori alimento egebant homines ad vitam sine magno naturalis virtutis dispendio conservandam: carnes autem multo melioris nutrimenti sunt quam fructus et herbae.

tertia: quia durante diluvio terra nihil produxerat.

Postmodum vero forte et alia urgens causa ad carnes in esum illis concedendas pro eo tempore fuit. Cum enim ex arca egressi essent, terram spoliatam invenerunt; nullus enim seruerat nec messuerat; nullus eam toto anno[6] coluerat, nec ipsa toto eo anno, quo aquarum inundationi subiacuit, producere quicquam potuit, quod mandi posset. Ne itaque homines alimentorum caritate ac penuria, fame et egestate macescerent, nova addidit alimenta, ut animalium carnibus piscibusque, quorum infinitus numerus erat, vescerentur: et sic carnium pisciumque esus in usum adductus in posterum est.

Attamen ut obedientiam hominis probaret, esum

Verum sicut [cum] protoplasto homini cuncta et ligna et fructus dedisset in escam, Deus unum servavit lignum sibi, praecipiens homini ne inde quidquam comederet[7], ut obedientiam eius probaret et mandati illius observantiam homo veluti tributum Deo solveret, tanquam uni-

4) Ibid. vr. 29. Cf. supra cp. 1. pag. 203. 5) Gn 6, 13. Vulg. *Disperdam eos.*
6) Ms.: *No.* 7) Cf. Gn 2, 16-17.

versorum regi et domino: ita quoque cum his hominibus illa praeter elementa animalium carnes et pisces indulsisset in cibum, ab uno eos abstinere vult, eisque peculiare praeceptum hoc inhibens, ait: carnium concedens, esum sanguinis vetat.

Vrr. 4-7 *Excepto quod carnem cum sanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum; et de manu hominis, de manu viri fratris eius requiram animam hominis. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius; ad imaginem quippe Dei factus est homo. Vos autem crescite et multiplicamini et ingredimini super terram et implete eam.*

Textus Hebraicus: *Veruntamen carnem in anima eius, sanguine*[8] *eius non comedetis. Et utique sanguinem vestrum pro animabus vestris requiram, de manu omnis bestiae requiram eum; et de manu hominis, de manu viri fratris eius requiram animam hominis. Qui effuderit sanguinem hominis per hominem, fundetur sanguis eius; quoniam in imagine Dei Deus fecit hominem. Vos autem fructificate et multiplicamini et prolificate in terra et multiplicamini in ea.*

Interpres Chaldaicus habet: *De manu hominis, de manu viri; qui fudit sanguinem fratris eius requiram animam hominis.*

Multae admodum sunt loci huius expositiones. Et nonnulli quidem carnem cum sanguine, hoc est non effuso sanguine, nec separato a carne, veluti est suffocatum, ne comedatur prohiberi autumant[9]: sicut in *Levitico* statuitur[10], ut si quis venatione vel aucupio feram, vel avem ceperit, sanguinem fundat illorum et in terra operiat. Alii vero sanguinis esum simpliciter prohiberi[11], veluti in *Levitico*[12] Hebraei, sub mortis interminatione, prohibentur ne sanguinem utcunque comedant. Et dicunt aliqui[13] brutorum sanguinem gravem esse, terrestrem et multarum aegritudinum causam. *Excepto quod carnem, etc.* Variae interpretationes.

At vero non ceremonialia praecepta nunc genti alicui speciali

8) Ms.: *Sanguinis*. 9) Cf. S. Eucherius *Comment. in Gen.*, lib. 1, (P. L. 50, 933-934); S. Isidorus Hisp. *Quaest. in Gen.*, lib. 4, cp. 7, ibid. 83, 235; S. Beda *Hexaem.*, lib. 2, ibid. 91, 108; Rabanus Maurus *Comment. in Gen.*, lib. 2, cp. 8, ibid. 107, 524; Strabus *Glossa Ord. in Gen.*, ibid. 113, 111; S. Remigius *Comment. in Gen.*, ibid. 131, 78; Rupertus *De Trinitate*, etc. *In Gen.*, lib. 4, cp. 31, ibid. 167, 355; Nic. Lyranus op. cit. f. 55[b]; Alph. Tostatus op. cit. f. 48[a]. 116[a]–118[b]. 10) Cf. 17, 13. 11) Cf. S. Eucherius *Comment. in Gen.*, lib. 1, (P. L. 50, 933-934); S. Remigius *Comment. in Gen.*, ibid. 131, 78; Alph. Tostatus op. cit. f. 48[a]. 116[a]–118[b]. 12) Cf. 3, 17; 7, 26-27; 17, 10-14. 13) Cf. S. Io. Chrysostomus *Hom. 27 in Gen.*, (P. G. 53, 246); S. Thomas *S. Theolog.* 1[a] 2[ae], q. 102, a. 6, c. et ad 1; Alph. Tostatus op. cit. f. 117[b]; Pererius op. cit. t. 2, lib. 14, *disput.* 2, pag. 335; Io. Menochius *Explicat. in Gen.*, pag. 9.

Praeceptum hoc omni generi humano datum fuit, quia dignitatem et lenitatem naturae respicit.

instituit Deus, sed ab illis cavere eos et omnes homines iubet, quae humanam suapte natura mentem et rationem labefactant, suntque hominibus perniciei atque dedecori. Quae enim hic iubet, in universum omnino hominum genus servanda iniubet, quoniam in hominibus illis, quibus haec inhibebat, omne genus hominum sub coelo, omnis gens, omnis natio, populus et lingua veluti in semine continebantur, et ab illis omnes propagati sumus traximusque originem.

Videtur autem prohiberi tantum ne viva animalia comedantur, quia talis esus valde crudelis est et naturaliter repugnans.

Hebraei fere omnes [14] animal adhuc vivens hic prohiberi sentiunt ne comedatur: ait enim Textus Hebraicus: *Carnem in anima eius, sanguine eius non comedetis;* caro autem, quandiu est cum anima et sanguine, vivit; extra animal vero non vivit. Prohibet ergo ne viva animalia, quae in cibum indulserat, comedantur: hoc enim ferinum est et crudele, ferocium, truculentissimarum et immanissimarum bestiarum proprium, non hominum, quod mundum sanctumque animal suapte natura est. Et ab hoc quidem omnis homo, qui non sit turpissima metamorphosi in ferarum naturam conversus, tanquam ab inhumano abstinet et abhorret.

Insuper datum fuit hoc praeceptum ut homines a crudelitate homicidii cohiberentur.

Arridet sane hic sensus. Verum in hoc statutum esse praeceptum istud voluit, ut hominum mentes, caedis avidas, a ferocia et crudelitate cohiberet ne usque eo homines ferocirent, a placida humanitate et pia naturae propriae conditione degenerantes, ut feris ipsis ferocissimis longe crudeliori immanitate efferati in homines desaevirent, homines venarentur, humanis carnibus et sanguine vesci affectarent, veluti leones et si qua sunt crudeliora animalia, in praedam frendentes. Homicidium ergo magis prohibetur et ne immanis ferarum crudelitas saevissime in homines perpetretur.

Crescite et multiplicamini, etc. Et in hoc resplendet Dei bonitas; nam, cum essent tristes illi pauci ob exi-

In tota autem hac verborum benedictionis serie ab illis videtur pusillum illum hominum gregem consolari misericordissimus Deus, quae illorum mentem poterant moerore et angustia afficere. Haec autem quattuor praecipue erant. Et primum quidem, quoniam omnes parentes, cognati, propinqui, affines atque amici eorum mortui erant et ipsi soli superstites erant relicti. Mors vero horum dolore plurimum afficit ac moestitia, ob amoris et amicitiae nexum, qui corda

14) Cf. Rab. Salomon et Aben Ezra op. cit. f. 10^{b}; Nic. Lyranus op. cit. f. 55^{a}; Alph. Tostatus op. cit. f. 48^{a}. 116^{b}; Fagius, col. 279-280; Clarius, col. 283; Drusius, col. 285; Cartwrightus, col. 294.

stringit; tum maxime dolor is crescit, cum alios cariores et dilectiores non habemus. Ne vero hoc moerore gravarentur, ecce ait illis Deus:

tium propinquorum omnium,

Crescite et multiplicamini et replete terram. Ne doleatis, inquit, quod soli relicti estis, omnibus propinquis, amicis et caris penitus destituti: ecce enim ego *in gentem magnam*[15] vos faciam, vobis turbam magnam filiorum dabo, qui multo cariores et dilectiores vobis erunt, adeoque vos crescere faciam, ut universam sub omni coelo terram impleatis.

eos consolatur in benedictione filiorum.

Secundo: pavere admodum poterant viribusque prae timore destitui, quoniam ipsi pauculi erant, et in terra multae malae bestiae et ferae pessimae, quae hominibus inimicantur; quae si vel fame coactae eos aggressae fuissent, non potuissent utique homines seipsos ab illis tueri. Super hoc quoque eos consolatur, dicens:

Timor vester, etc. Securos etiam eos facit contra belluarum ferocitatem.

Timor vester ac tremor erit super omnia animalia terrae. Non aggredientur, inquit, vos, nec invadent malae bestiae nec ferae pessimae ad devorandos vos, etsi multo plures sint et viribus valentiores; ego enim eorum existimationi timorem vestrum immittam faciamque ut ad conspectum vestrum, etsi fortissimae ac ferocissimae sint, timeant et contremiscant ac timore exterritae fugiant potius a vobis, quam insectentur.

Tertio: et quam maxime angustiari poterant, quoniam alimenta quidem quamplurima in arcam intulerant, sed toto anno escis illis ipsi et animalia enutriti, iam defecerant; fructus arborum, qui a Deo primo homini traditi sunt, non habebant; terra nihil produxerat, nec herbas ullas. Huiusce rei tristi cogitatione gravati, quid agemus? aiebant: non sunt nobis escae, fructus non habemus, terra nihil germinavit; si seminemus, antequam semina in herbas fiant, spicas faciant et messis appropinquet, fame peribimus; si arbores plantemus, priusquam crescant et adolescant ut fructus faciant, multa transibunt tempora et anni. Nos vero interea macie extenuabimur et demum fame peribimus, duriori morte consumpti e vita, quam omnes, qui diluvio perierunt. Hinc Deus super escis consolatur eos, dicens:

Omne, quod movetur et vivit, etc. Et ne famis praeoccupatione tabescerent, quoniam terra nec fructus nec olera adhuc produxerat,

Omnes pisces maris manui vestrae traditi sunt; omne, quod movetur et vivit, erit vobis in escam: quasi olera virentia tradidi vobis omnia.

super escis quoque eos consolatur,

15) Gn 12, 2; 17, 20; 21, 13. 18; 46, 3; Ex 32, 10; Nm 14, 12.

tradens illis in escam omnia animalia terrae et pisces aquarum.

Ne famis, inquit, cogitatione tabescatis, si fructus lignorum non habetis, si nihil terra protulit; ecce ego nova vobis cibaria in usum vestrum tribuo; omnia animalia terrae vobis erunt in escam. Quod si haec vobis non sufficiunt, quoniam pauca remanserunt vobiscum in arca propter diluvium, ecce in manus vestras do *omnes pisces maris*, quorum infinitus est numerus; hi enim aquae inundatione non perierunt. Neque a novi huius alimenti specie perhorrescatis, quoniam *quasi olera virentia* do vobis ea, ut non minus modo huiuscemodi escis cum delectatione et voluptate vescamini, quam prius herbarum oleribus et arborum fructibus. Ecce abundantissime atque lautissime provisum est vobis ne aut fame pereatis, aut macie tabescatis.

Carnem cum sanguine non comedetis. Ut a periculo homicidii eos cohibeat et mutuum amorem foveat, non tantum prohibet in alterutrum saevire, quin imo et in ipsa animalia.

Quarto demum: timore poterant non modico affici, quoniam pauci admodum erant; quid si ira aut iurgium inter fratres incidisset et invicem irati atque rixati alter alterum occidisset, sicut Cain occidit Abel?[16] Pater senex erat, nec plures filios aut filias genuit, sicut fecit Adam post mortem Abel[17]; filii nondum genuerant eratque inter eos Cham non satis bonus vir, nec Cain multo melior. Quare merito ab occisionis morte et caede poterant extimere. Quapropter consolatur eos Deus multa interminatione mandans ne quis humanum sanguinem effundat, hoc est ne quis hominem quempiam immeritum interficiat; ac ut magis eorum mentes a caede cohibeat, imperat ne in animalia ea, quae in cibum eis indulsit, crudeles sint, ne viventium adhuc aninalium carnes comedant anima et sanguine recenti, ne membra discerpant et devorent, ad instar truculentissimarum ferarum, quae viva animalia trucidantes et lacerantes devorant. Hoc est itaque:

Sanguis est veluti anima animalis, quia dat motum et calorem corpori, vitam sustinet et conservat.

Carnem cum sanguine non comedetis, sive *carnem in anima sua, sanguine suo non comedetis*. Veluti anima enim animalis est sanguis, quia sanguis dat esse animatum; non quod sanguis anima sit, sed quia praecipua sedes est animae et animam in corpore servat et vitalium operationum munera multa obit. Motum enim localem ad omnes corporis partes fovendas et nutriendas habet; fervet; primigenium humorem coalit, qui calori nutrimenta praebet; corpus spiritibus replet; vitam sustinet et conservat; animal tuetur atque corroborat, et partibus omnibus fomentum, alimenta, incrementa, calorem et spiritum praebet. Propterea sanguis anima esse dicitur animalis, sicut

16) Cf. Gn 4, 8. 17) Cf. ibid. 5, 3-4.

et in *Levitico* dicitur[18]: *Anima enim eorum*, idest animalium, *sanguis ipsorum est*, tum quia in sanguine anima est, sicut ibidem dicitur[19], tum quia vitam maxime fovet et conservat. Anima autem saepissime in Sacra Scriptura [20] pro ea animalis vita, quae sanguine et halitu continetur, sumi consuevit; unde anima dicitur vivens in cuius naribus est spiritus vitae[21]. Quoniam vero hoc praeceptum ad hominum saevitiam cohibendam instituit:

Ideo in *Levitico* et alibi in S. Scriptura, sanguis dicitur anima animalis.

Sanguinem, ait, *animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum et de manu hominis*. Quamvis, inquit, vobis indulserim ut ex quorumlibet animalium carnibus, ceu oleribus virentibus vescamini, ne tamen existimetis hominum quoque carnibus vesci licitum vobis esse. Nam etsi animal homo sit, corpus sensibile habeat, sensum delicatiorem, carnes pretiosiores et ad vescendum suapte natura multo suaviores: rationabile tamen animal est, mentis et rationis capax; animam habet natura coelestem, intelligentia praeditam, mea inagine et similitudine insculptam, vultus mei lumine signatam[22], mei ipsius intra sese capacem per cognitionem et amorem. Circumdata vero carne est; corpus hoc veluti organum et instrumentum datum est ei ad operandum opera bona, iustitiam et iudicium iuxta rationis leges, quibus, ut par est, actis gloriam consequatur aeternam, immarcescibilem coronam[23] ex meritis accipiat in coelis. Ut ergo operari haec possit, quae ad vitam conducunt aeternam, corpus ei datum est. Nullus itaque audeat hoc organo eam destituere, hac veste carnis[24] eam praemature exuere; quod si quis attentare praesumpserit, si quis, inquam, humanum sanguinem fundere, hominem crudeli nece interimere, eum vi morte plectere, noverit se iram meam incursurum. Ego enim sanguinem hominis exquiram ad vindictam et ultionem, irae meae sagittam immittam in nefarium necatorem hominis, multis eum poenis et cladibus usque ad internecionem affligam, quoadusque gladius meus devoret carnes eius et sagittae meae eius sanguine inebrientur[25]. Statuam enim sublimiores potestates, quibus subdita sit omnis anima, principes, inquam, qui non sint *timori boni operis, sed mali*[26], ut qui bene egerint non timeant potestatem,

***Sanguinem animarum vestrarum*, etc. Quoniam hoc praeceptum datum est ad cohibendam saevitiam,**

terribiles minitatur vindictas in eum, qui fuderit humanum sanguinem,

etiam per terrenas potestates illi infligendas.

18) 17, 11. 14. Ex Septuaginta. 19) Cf. vr. 14. 20) Cf. Dt 19, 13; 21, 8; 3 Rg 17, 17; Iob 19, 17; Prv 1, 11. 18; 12, 6. 21) Cf. Iob 27, 3. 22) Cf. Ps 4, 7. 23) Cf. 1 Petr 5, 14. 24) Ms.: *Vestis carne.* 25) Cf. Dt 32, 42. 26) Rom 13, 3-4.

sed laudem ex illa habeant; qui vero male egerint timeant, quoniam principes ministri mei sunt vindices malorum in iram his, qui male agunt. Propter quod et gladium portabunt ut eos, qui male egerint, morte plectant; et gladius quidem eorum meus est gladius. Itaque *si quis humanum sanguinem fuderit, fundetur* a principis et potestatis gladio *sanguis illius,* quoniam *ad imaginem . . . Dei factus est homo.* Propter animam, inquit, hominis tantam exquiram ultionem nec ulli parcam hominum, sive alienus sit sive propinquus, etiam si vir, qui sanguinem fudit, frater sit eius quem occidit; sanguinem illum de manu fratris exquiram ad vindictam et ultionem. Horrendum enim eousque est facinus hominem iniusta nece perimere, ut non patiar omnino, nedum si homo fuerit, qui hominis sanguinem fuderit, vindictam exquiram, sed *de manu* etiam *cunctarum bestiarum* exquiram. Si qua enim sit mala bestia aut fera pessima, quae in hominem suapte natura desaeviat, quae homines ad dilacerandos, trucidandos, perimendos ac devorandos invadat, aggrediatur, exquirat, quae in homines frendat uti in praedam ad mortem, ego pessimam illam bestiam exquiram, homines contra eam armabo, ut eam vel laqueis capiant, vel iaculis feriant, vel transfodiant lanceis, quousque intereat pessima fera illa. Vos itaque animaequiores facti[27] meis his benedictionibus et laetiores: *Crescite:* idest propagationi et generationi intendite, ut prolificetis et multiplicemini super terram usque adeo ut eam omniquaque impleatis.

De manu cunctarum bestiarum, etc. Ferae quoque, quae hominem aggredientur, iis vindictis plectentur.

Vrr. 8-11 *Haec quoque dixit Deus ad Noe et ad filios eius cum eo: Ecce ego statuam pactum meum vobiscum et cum semine vestro post vos et ad omnem animam viventem, quae est vobiscum, tam in volucribus quam in iumentis et pecudibus terrae cunctisque, quae egressa sunt de arca, et universis bestiis terrae. Statuam pactum meum vobiscum, et nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium dissipans terram.*

Textus Hebraicus: *Et dixit Deus ad Noah et ad filios eius cum eo, dicendo: Et ego, ecce ego erigo pactum meum vobiscum et cum semine vestro post vos et cum omni anima bestiae, quae est vobiscum, in volatili, in iumento et in omni bestia terrae vobiscum ex omnibus, quae egressa sunt arca, pro omni bestia terrae. Et erigam pactum meum*

27) Ms.: *Factis.*

vobiscum et non consumetur omnis caro ultra ab aquis diluvii, et non erit ultra diluvium ad dissipandam terram.

Unum adhuc erat quod Noe et filiis eius gravissimam poterat tristitiam et inconsolabilem moerorem afferre. Benedixit nos Deus, aiebant, ut cresceremus in infinitas propagines, ut multiplicaremur adeo ut filiis[28] universam sub coelo terram impleamus; securos nos quoque a malis bestiis pessimisque feris effecit, ut nullatenus nobis ab eis timeremus, quin potius illae a nobis contremiscerent, extimescentes conspectum nostrum; communitos etiam adversus miserandam famis plagam voluit, animalia quaeque in esum nobis contribuens, infinitas piscium acies; demum ab homicidiis nos tanta interminatione praecavit, ne invicem occidamus frater fratrem, ne crudeli morte necemur. At quis nos a diluvio securos faciet, quin ultra super terram in tempus maximi illius[29] cataclysmi, quod vidimus, ad omnem sub coelo carnem corrumpendam descendat? Quod si iterum diluvium venturum est, quid nobis hae benedictiones prosunt? quo nobis haec munera? Quid filios procreare si aquae inundatione iterum delendi sunt? Inconsolabilis dolor noster erit filios videre ante oculos nostros irremediabili plaga omnes perire. Quid etiam proderit securos nos a bestiis esse, si una cum illis supervenienti novo diluvio perituri sumus? Quid nova haec alimenta? Certe a diluvii clade [hae benedictiones] nos liberare non poterunt aut filios nostros. Quo demum nobis ab homicidiis cautos esse? Mors enim non multo melior est aquis praefocari, quam nefaria necari manu. Quod si diluvium istud propter hominum malitiam venit, quando unquam reperietur homo in terra, *qui bona faciat et non peccet?* [30]

Ecce ego statuam pactum, etc. Ne pertimescerent Noe et filii eius novum diluvium quo perimerentur.

Suspicio ergo ac timor superventuri diluvii eos dolore atque moerore plectebat quam maximo. Propterea super hoc quoque consolatur eos Deus, dicens:

Ecce ego statuam pactum meum vobiscum et cum semine vestro post vos et cum omni anima viventi; pactum autem, quod statuo est, ut *nequaquam ultra interficiatur omnis caro aquis diluvii, neque sit deinceps diluvium dissipans terram.* Securos, inquit, vos feci a speciei internecione, ne vos absque filiis moreremini: securos a bestiis: munitos a fame: cautos a violenta nece. Nunc a meipso etiam securos

promittit illis Deus non amplius diluvium in terra fore.

28) Ms.: *Quo adiungitur.* 29) Ms.: *Illi.* 30) Eccle 7, 21. Vulg.: *Faciat bonum*, etc.

facio, promittens per memetipsum quod non adducturus sum ultra aquas diluvii ad perdendam omnem carnem cum terra. Et foedus hoc vobiscum percutio in perpetuum saeculis futuris; non enim vos tantum a diluvio securos facio, sed et semen vestrum post vos, idest filios vestros in perpetuas generationes adusque saeculi consummationem. Imo quia et animalia et iumenta omniaque animantia, tum coelestia tum terrestria, propter hominem creavi, sunt homini necessaria ad laborum gravamina vitaeque multa onera levius ferenda: sicut animalia cuncta una vobiscum in arca servavi, ita propter vos cum eis quoque pactum hoc erigo, ut nequaquam ultra in posterum interficiatur omnis caro aquis diluvii, *neque erit deinceps* in futuris saeculis unquam *diluvium* generale in universam sub coelo terram, quale istud fuit *dissipans terram.* Non solum carnem omnem corrupit atque delevit e superficie terrae diluvii inundatio, verum etiam terrae ipsius virtutem atque substantiam plurimum labefactavit et veluti aridam et in arenae modum sterilem effecit, propterea dicitur: *Dissipans terram.*

Et ad omnem animam, etc. Quia animalia cuncta propter hominem creata fuerunt, eum illis quoque hoc pactum statuit ne ultra in posterum aquis diluvii pereant; nec terra ipsa iterum dissipabitur.

Vrr. 12-16

Dixitque Deus: Hoc est *signum foederis, quod do inter me et vos et ad omnem animam viventem, quae est vobiscum in generationes sempiternas; arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis inter me et inter terram. Cumque obduxero nubibus coelum, apparebit arcus meus in nubibus; et recordabor foederis mei vobiscum et cum omni anima vivente, quae carnem vegetat; et non erunt ultra aquae diluvii ad delendam universam carnem. Eritque arcus* meus *in nubibus, et videbo illum et recordabor foederis sempiterni, quod pactum est inter Deum et omnem animam viventem universae carnis, quae est super terram.*

Textus Hebraicus: *Et dixit Deus: Hoc est signum pacti, quod ego do inter me et inter vos et inter omnem animam viventem, quae est vobiscum in generationes saeculi: arcum meum dedi in nube super terram et erit in signum pacti inter me et inter terram. Et erit: cum obnubilavero nube super terram, videbitur arcus in nube; et recordabor pacti mei, quod est inter me et inter vos et inter omnem animam viventem in omni carne; et non erit ultra aqua in diluvium ad corrumpendum omnem carnem. Et erit arcus in nube, et videbo ad recordandum pactum saeculi inter Deum et inter omnem animam viventem, quae est super terram.*

Ut cognoscerent filii Noe fidelem esse Deum *in omnibus verbis*

suis[31], quoniam promiserat se cum eis pactum velle statuere in perpetuas generationes, quod non amplius venturum esset diluvium, nunc huiusce pacti signum eis sensibile praebet, ad eos certiores et securiores promissi faciendos.

Hoc est signum foederis, etc. Quo securiores fiant de veritate promissi, signum huius pacti Deus iridem in nubibus ponit.

In signum autem huius pacti arcum in nubibus se ponere ait. Arcus vero hic is est, qui a philosophis[32] dictus est iris, poetae vero Iunonis nuntiam Irim esse finxerunt[33], sicut Maro ait[34]:

« Irim de coelo misit saturnia Iuno »,

quoniam huiuscemodi arcus pluviam denuntiat, unde ἶρις dictus est ab εἴρειν, quod est dicere vel nuntiare[35].

Producitur iris per repulsionem radii solaris a nube densiore in aliam roridam, quae citra illam est.

Eius vero haec est natura et generatio. Cum e regione soli opponitur nubes densior atque crassior quam ut solem transmittat, quippe quae in imbrem sit parata resolvi, immissus luminaris radius, eam nubem pertransire cum nequeat, repulsa acie in solem refringitur. Repulsus autem a crassa et veluti aquosa nube in roridam eam, quae citra illam est, retro agitur luminarisque imaginem ac veluti simulacrum exprimere pro viribus nititur, ad instar visibilium specierum quae a visibili re usquequaque veluti radii subtilissimi dimanant. Aerem quidem, per quod veluti medium feruntur, illaese transeunt; cum vero eis obviam speculum ponitur, speculi quidem diaphanum perfacile transeunt: at vitro suppositi metalli plumbi vel argenti densitatem pertransire non valentes, ibi terminatae repelluntur ac veluti refractae retro aguntur, in diaphano visibilis rei simulacrum simillimum exprimentes.

Iris figurae arcualis est, quia solis figuram reflectere conatur.

Ita plane fit iris. Quoniam radius ille luminaris refractus illius speciem exprimere nititur, ob nimiam tamen distantiam et vaporum inter solem nubemque terminantem interiectionem, obscure admodum et imperfecte solis imaginem exprimit; propterea arcualis figurae iris in nube conspicitur, puniceo, viridi et purpureo distincta et adornata coloribus. Haec autem colorum distinctio inde sumitur, quia luminaris radius quo longius protenditur, eo fit debilior minusque luminari

31) Ps 144, 13. 32) Cf. Aristot. *Meteor.*, lib. 3, cp. 4-5, t. 1, pag. 355-358; L. An. Seneca *Quaestiones Naturales*, lib. 1, cp. 3, pag. 833-834; Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 2, cp. 4, pag. 117; Lud. Caelius *Lectionum Antiquarum*, lib. 22, cp. 24-33, pag. 1260-1268: Conimbricenses *Metheor.*, tract. 5, cp. 1-3. 33) Cf. Hesiodus *De Generatione Deorum*, vr. 266; Virg. *Aeneid.*, lib. 4, vrr. 700-702. 34) *Aeneid.*, lib. 5, vr. 606. 35) Cf. Plato *Cratylus*, t. 1, pag. 408; Aeg. Forcellini *Lexicon Tot. Latin.* sub voce: *Iris.*

Varietas autem colorum eius ex maiori vel minori vi radii solaris causatur.

claritate pollet, sed in obscuritatem quandam et veluti subnigrum colorem tendit. Quapropter radius ille fortior, ubi primo acie refringitur, puniceum rutilumque colorem habet, colorem veluti flammeae violae referens, qui non modicum luminaris claritatis participat: at debilior factus, in viridem convertitur: color enim is ad obscurum magis et subnigrum vergit. Rursum vero radius ille factus debilior, tandem in rubeum convertitur, qui ad nigrum magis quam viridis color accedit.

Eadem est origo halonis.

Et huius quidem arcus naturalis est tum causa tum generatio, sicut et halonis; similis enim huius est generatio. Cum enim sub luminari aliquo directe nubes aliqua aequa parilique densitate aequalis et uniformis reperta fuerit, eius occursus iniectus a luminari radius, pertransire cum minime valeat, colliditur ac refringitur: nubis enim uniformi densitate ne directe ulterius procedat prohibetur, sed per nubis extrema ubique retroactus diffunditur. Ea autem refractione magnus circulus sub astro cernitur lumine collustratus, ad instar lucidae coronae.

qui sub sole et luna aliquando conspicitur;

Fit autem hic circulus, qui ἅλως [36] dicitur, sub sole et luna, tum etiam sub aliis planetis; plerumque tamen sub luna cernitur, quapropter et area lunaris dicta est [37]. Sol enim fervido suo calore nubem citius disgregat, nec diu sub se consistere permittit: luna vero non tantam habet vim, et eapropter facilius potest sub ea halo apparere diutiusque consistere.

producitur enim et ipse ex radiorum refractione in nube densa sub astro, dum iris fit ex opposito astri;

Luminarium ergo radiorum refractione in nube densa tum iris tum halo fiunt: hoc tamen cum discrimine, quia iris e regione ex opposito luminaris fit, halo vero directe sub astro; et iris quidem propter nimiam distantiam a luminari nigrior apparet: halo autem albior et fulgidior ex breviori distantia ab astro fortiorique radiorum refractione. Rursum iris diutius consistit quam halo, quoniam halo, e directo est soli oppositus eique multo vicinior, iccirco citius ab eo dispergitur: iris vero e regione fit longiusque distat, et ob id non mox disgregatur ob distantiam; unde quo sol supra nostrum horizontem est elevatior, eo iris minor apparet: et in meridie quidem iris fit perquam minima, in ortu vero vel occasu maxima, quae fieri potest, conspicitur. Et in media quidem aestate circa aestivale sol-

36) Ms.: *Halon*, et infra.

37) Cf. Conimbricenses *Meteor.*, tract. 5, cp. 4; Aeg. Forcellini op. cit. sub voce: *Halos*.

stitium, cum prolixiores sunt dies, in meridie fieri nequit omnino ; post aequinoctium vero autumnale, cum dies sunt breviores, per omnes potest horas diei sese manifestare ob solis distantiam et modicam disgregandi virtutem.

et halo semper circulus clausus est, iris autem semicircularis est.

Demum et hoc iris et halonis interest : quod halo semper integer atque perfectus, usquequaque clausus apparet circulus et est ; iris autem nunquam nobis integer circulus apparet aut semicirculo maior: sed vel semicirculus uno pede alteram nostri horizontis partem contingens et altero pede alteram ; aliquando vero portio minor est semicirculo. Advertendus est tamen animus quod unus semper iris est arcus, non plures a radiis causati ; quod si aliquando duo et nonnunquam plures apparere contingat, primi imago alter est, iisdem quidem distinctus coloribus, situ tamen diverso : ut primus quidem puniceum, viridem et purpureum colorem habeat, alter, inverso ordine, purpureum, viridem et puniceum ; ceu in speculo simulacrum rem, cuius est imago, repraesentat, et ea quidem, quae apparet, posterior priori multo debilior est, eius cum sit imago et ex radiorum illius refractione fiat. Similiter si tertiam apparere contingat, usque adeo debilis est, ut vix videri queat ob rationem eandem [38].

Quamvis autem plures irides appareant, unus tamen arcus est, quia reliqui imaginem primi reflectunt.

CAPUT UNDECIMUM

Vrr. 1-4 *Erat autem terra labii unius et sermonum eorundem. Cumque proficiscerentur de oriente, invenerunt campum in terra Sennaar et habitaverunt in eo. Dixitque alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres et coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro saxis et bitumen pro caemento: et dixerunt: Venite, faciamus nobis civitatem et turrim, cuius culmen pertingat* usque *ad coelum, et celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras.*

Textus Hebraicus: *Et fuit omnis terra labii unius et verborum eorundem. Et fuit cum proficiscerentur ipsi ab oriente, et in-*

38) Ms. habet: « Itaque sicut halonis », et sic imperfecta remansit explanatio cp. 9 ad f. 261b, et 10 quoque deperdita fuit, ut in *Praefatione* diximus; sequenti vero f. 262a incipit caput 11.

venerunt planitiem in terra Sinhar et habitaverunt ibi. Et dixerunt vir ad proximum suum: Agite, laterificemus lateres et comburamus ad combustionem. Et fuit eis later pro lapide et bitumen pro luto: et dixerunt: Agite, aedificemus nobis civitatem et turrim, et caput eius in coelo, et faciamus nobis nomen, ne forte dispergamur super faciem universae terrae.

P a r a p h r a s t e s C h a l d a i c u s. *Et fuit omnis terra linguae unius, et sermonis unius,* etc.

Erat autem terra labii unius, etc. Iterum Moyses texere incipit genealogiam populi hebraici, ex quo Christus nasciturus erat,

Erat autem terra labii unius. Descripta iam humani generis multiplicatione, post ingentissimi illius cataclysmi omnia devastantem alluvionem, iuxta dominicam benedictionem, qua Noe et filiis eius benedixit ut crescerent et multiplicarentur terramque universam replerent [1], nunc Moyses ad [genealogiam] populi, ex quo Christus, qui *finis* est *legis ad iustitiam omni credenti* [2], in tempore nasciturus erat, aditum parat, iterum Semi genealogiam in rectum protensam a stipite retexens. At prius eventum narrat unde facta est populorum distinctio, cum prius omnes unus essent populus ac veluti una Noe familia. Hoc autem linguarum divisio fuit; prius enim *erat terra labii unius et sermonum eorundem,* idest una erat omnibus lingua, una communis omnibus loquendi proprietas, eundem omnes loquebantur sermonem quo internos conceptus significabant sibique invicem palam faciebant: ea enim quae in voce sunt, earum quae in anima passionum, notae sunt et signa.

prius eventum narrans, unde facta est populorum dictinctio.

Ad luculentiorem autem loci huius intellectum aliqua annotabimus. Et primo quidem quod homo suapte natura omnium, quae extra ipsum sunt, cognitione est capax, sive sensibilia illa sint sive intellectilia; sensibilium enim per sensum est capax, intellectilium vero per intellectum, mentem ac rationem. Quapropter anima nostra dicitur [3] fieri ac esse quodammodo omnia, sensibilia per sensum, intelligibilia per intellectum; ambae enim hae potentiae unum cum his rebus, ad quae suapte natura feruntur, fiunt cum simul in actu sunt eaque intra sese recipiunt. Omnia itaque, quae extra animam sunt, cum vel sensu vel intellectu in animam recipiuntur, fiunt ac veluti efformantur in anima earum quaedam species ac similitudines, veluti simulacra quae

Anima humana omnia, quae extra ipsam sunt, cognoscere valet;

1) Cf. Gn 8, 17; 9, 1. 2) Rom 10, 4. 3) Cf. Aristot. *De Anima*, lib. 3, cp. 8, t. 1, pag. 403.

intra ea, quae foris sunt, examussim repraesentant. Illa vero animae conceptus vel conceptiones, aut animi simplices apprehensiones dicuntur, necnon et passiones, quatenus recipiuntur in anima.

ad manifestandos autem interiores conceptus vocibus quibusdam, veluti signis, indiget.

Hi vero conceptus in intimis cordium penetralibus occultissimi aliisque imperscrutabiles delitescunt, nec eos potest per sese homo aliis palam facere absque signorum quorundam adminiculo. Quapropter ad internos conceptus explicandos, vocibus veluti signis utitur sua sponte ac placito. Unde homini a natura naturaeque providentissimo Conditore ratione optima de voce provisum est ad hosce conceptus explicandos. Non quod vox ipsa suapte natura id habeat, ut internos conceptus explicet: suapte natura enim vox nihil aliud est quam sonus animalis ore prolatus ex percussione aeris in gurgulione aut laringe, qui ibi percutitur ac reprimitur ab aere a pulmone per respirationem attracto: susceptiva tamen est intentionis aliquid significandi. Quare vox ipsa veluti materia est significationis, ceu argentum denarii et vasis. Sicut enim argentum non est vas aut numisma, nisi prius forma ea illi imprimatur, susceptivum tamen suapte natura est; ita plane voces conceptuum signa non sunt, nisi prius constituantur et imponantur ad significandum.

Hae voces, ex percussione aeris in laringe formatae, suapte natura animalis sunt,

ad exprimendas tamen internas affectiones aptæ iuxta cuius naturam

Quapropter nomina et verba non simpliciter voces sunt, sicut nec vas argentum; sed voces cum impositione et intentione aliquid significandi. Vox ergo signum est interni conceptus non naturale, nisi eam vocem accipiamus et significationes, qua etiam animalia bruta sunt praedita ad internas affectiones exprimendas, quales sunt voces molesti ac tristis, et iucundi ac delectabilis. Haec enim naturaliter significant, quae etiam suapte natura suum significant prolatorem, veluti est latratus canum, rugitus leonum et mugitus boum, necnon et vox hominis; per vocem nanque et locutionem homo cognoscitur, sicut per rugitum leo et per latratum canis. At ea vox hominis qua mentales conceptus et res cognitas explicat, naturale signum non est, sed ad placitum ex humano instituto. Et voces quidem una cum significandi intentione ex principali instituto internos conceptus exprimunt: postmodum vero res per tales conceptus cognitas et conceptas; ita quod prima institutio ad conceptus palam faciendos destinata fuit: secundo vero ad rem, cuius est talis conceptus, exprimendam.

vox vero hominis naturale signum non est, sed ad placitum ex humano instituto.

Vox itaque, sive conceptus sive res significet, semper est ad pla-

citum, non a natura, ut Aristoteles sensit[4]. Quod si Plato secus sentire visus est[5], nil minus tamen sensit dicens nomina naturaliter significare. Si quis enim peritus ac optime sapiens linguae institutor rebus nomina imponat, qualia rerum naturis convenient, dici commode poterit ea nomina naturaliter significare: ceu si quis imaginem aut simulacrum quoddam videat, quod naturam maxime imitatur eius, quem repraesentat, naturale illud vocabit per δεινολογίαν[6], idest exaggerationem. At vero sicut sculptile illud simulacrum non natura, sed arte rem repraesentat, ita et voces nominum ac verborum.

Sic Adam nomina imponendo, eas illis indidit significationes, quibus proprietates animalium manifestarentur.

Ita plane in sacra hac *Genesi* legimus, cum Dominus cuncta animantia, quae formaverat, duxit ad Adam, ut videret quid vocaret ea, dicitur[7]: *Omne quod vocavit Adam animae viventis ipsum est nomen eius.* Imposuit enim nomina rebus convenientissima, non quia haberent significationem animalium proprietatibus naturaliter convenientem: sed quia vocibus nominum tales indidit ac imposuit significationes, ut eae congruissimae proprietates animalibus singulis convenientes veluti indice manifestarent.

Venati hucusque sumus quae hominibus communia sunt. Sicut enim natura communis est omnibus, ita et internae passiones atque conceptus; sicuti res et quae in animam per sensum aut intellectum recipiuntur eaedem natura apud omnes extant, ex quibus ii conceptus primo oriuntur per medias species ac similitudines. Deinde vero et vox qua homo suapte natura est praeditus, ut suos possit explicare conceptus, communis est universis hominibus, qua etiam homo per auditum a ceteris animalibus distinctus dignoscitur et qua internas naturales affectiones molesti et iucundi naturaliter exprimit, sicut et alia pleraque animalia, quae vocem emittunt.

Labii unius, etc. Voces, quibus descendentes Noe utebantur, om-

Tunc autem temporis, quando linguarum haec divisio facta est, etiam voces ad placitum ex humano instituto significantes eaedem omnibus communes erant iidemque sermones ad internos animi conceptus palam faciendos et aliis manifestandos; hoc est quod dicitur: *Erat autem terra labii unius sermonumque eorundem.* Voces enim ad

4) *De Interpretatione*, cp. 1-2, ibid. pag. 21; *De Anima*, lib. 2, cp. 8, ibid. pag. 394; *De Republica*, lib. 1, cp. 2, t. 2, pag. 178. 5) *Cratylus*, t. 1, pag. 383-396. 6) Ms.: *Dinologiam*, et infra: *Paragogen* et: *Anthropospathia*. 7) 2, 19.

placitum significantes nomina ac verba eaedem omnibus erant, omnes homines eadem voce eodemque nomine rem unam significabant, una erat loquendi proprietas, una lingua; hoc est: *Labii unius*, unius linguae, unius loquendi proprietatis et idiomatis: *Et sermonum eorundem*, quia ea lingua non diversos dialectos habebat, sicut lingua graeca quinque dialectos, idest loquendi genera habet: ionicam, doricam, atticam, acolicam et communem linguam [8].

nibus communes erant ad significandos internos animi conceptus.

Habet autem Fons Hebraicus: *Labii unius:* ודברים אחדים, idest *et verborum eorundem*. Verbum autem דבר, Hebraeis et sermonem et verbum et rem, vel quidquid sermoni subiacet significare solet; cum ח vero per παραγωγήν et mos, consuetudo, eloquium; quapropter verbis illis forte rerum negotiorumque simplicitas, morum similitudo ac rituum animorumque concordia significatur, quae diversorum idiomatum gentibus esse solent longe diversa, dissimilia ac dissona; iis vero qui eandem linguam colunt eandemque incolunt regionem, mores ac ritus iidem animorumque concordia esse solent. Et illi quidem viri eandem omnes provinciam incolebant, idem idioma habentes, propterea dicitur: *Terra erat labii unius.*

***Et sermonum eorundem*, idest cum unam veluti familiam formarent tum similitudine morum tum animorum concordia, eandem linguam habebant.**

Cumque proficiscerentur de oriente. Requievit arca, ut supra legimus, *supra montes Armeniae* [9], et Noe ac filii eius, postquam de arca egressi sunt, eam incoluerunt regionem. Postmodum vero cum vidissent non satis optimam ac bene dispositam eam regionem esse ad inhabitandum, inde profecti sunt. Siquidem Armeniae regio tota montuosa est, montibus usquequaque plena; sunt enim in ea montes Moschici, qui supra partem Ponti ad Cappadociam se efferunt; Pariedrus, in quo fontes habent Euphrates et Araxes fluvii; Antitaurus, Taurus et Niphates Cordica, ex quo Tigris oritur; Caspii, qui vergunt ad Medos et Caucasi, unde Cyrus fluvius oritur. Cum ergo Armeniae regio minus apta ad incolendum viris illis visa esset, utpote quae tota montuosa et aspera erat, inde discesserunt una omnes; et dicuntur *ab oriente* proficisci, quoniam Armeniae regio orientalis magis est quam Babylonia et Chaldaeorum regio.

***Cunque proficiscerentur*, etc. Egressi de arca filii Noe incoluerunt regionem Armeniae;**

sed regio illa, nimis montuosa, non satis conveniens ad habitandum erat;

Invenerunt campum in terra Sennaar et habitaverunt ibi. Est autem

8) Ms.: *Communis lingua.* 9) Gn 8, 4. Vulg.: *Super montes*, etc.

Invenerunt campum, etc. Ideo illinc emigrantes, venerunt in Sennaar, regionem planam et ad incolendum aptissimam;

terra Sennaar, quae nunc Chaldaea et Babylonia dicitur, regio plana non montuosa et aspero situ, sed planities amplissima atque latissima et ad incolendum amoena valde, satis satisque optima; propterea statuerunt hi habitationem ibi sedemque ponere, locum arbitrati aptissimum se nactos. Propterea se invicem cohortati sunt ut civitatem et turrim aedificarent:

Ibique statuerunt civitatem et turrim altissimam aedificare.

Venite, faciamus lateres et coquamus eos igni. Forte cum regio illa plana esset et campestris, lapides non habebat aedificationi aptos, vel quia existimabant firmius consurgere aedificium si lateritium foret, vel etiam, ut plerique autumant [10], quia iam sciebant, Noe eorum patre magistro, mundum hunc igni esse reservatum, sicut prior diluvio; et lapides quidem igne in calcem resolvuntur, lateres vero igne decocti eo magis solidantur. Ideo ut aedificium illud ab igne etiam incolume servaretur perpetuoque maneret in futura saecula, ex lateribus illud construere cogitaverunt. Fueruntque illis lateres pro lapidibus et pro caemento bitumen; duo siquidem haec ex parte materiei ad constructionem requiruntur: lapides et lutum. Isti ergo lapidum loco lateres habuerunt, loco vero luti conglutinantis et connectentis lapides, habuerunt bitumen, quod est luti genus tenacissimum glutenque fortissimum.

Praeparatis ergo iis, quae ratione materiei ad aedificium construendum opus erant, dixerunt:

Nemrod, gigantea statura et mente perspicacissima et manu fortissima, in omnes dominabatur.

Venite, aedificemus civitatem et turrim, cuius culmen pertingat ad coelum. Prius, cum sub Noe eorum omnium patris potestate permanerent humiles, in tentoriis et casulis habitabant; cum vero Nemrod super homines regnare coepit, statim superba aedificia, civitates munitissimas ac muratissimas turresque altissimas construere molirique cogitaverunt, ipso Nemrod auctore. Hic enim primus omnium dominium regnumque super homines sibi ausus est arripere, mente nimium audax, atque ut super universam sub coelo terram hominesque universos dominaretur attentare praesumpsit. Cumque corporeis viribus universos excelleret ac longe superaret et supervinceret, omnes etiam sub ditione sua constituit. Gigas enim erat corpore vasto ac procero [11], manu fortissimus, mente audacior, cui nullus resistere praesumebat,

10) Cf. S. Beda *Hexaem.*, lib. 3, (P. L. 91, 124); Alph. Tostatus op. cit. f. 54^{b}. 11) Cf. Gn 10, 8.

cum iam ipse armatam manum fecisset; et consilio prudens valde ac sapiens erat, ea tamen prudentia et *sapientia* quae *carnis* est et *inimica est Deo*[12].

Hic ergo, coacto universorum hominum concilio, suasit omnibus ipse et qui suas agebant partes, ut civitatem turrimque aedificarent, quae sedes regni esset universaeque terrae metropolis et caput. Hoc est quod dicitur:

Dixerunt vir ad proximum suum: aedificemus civitatem amplissimam et magnificentissimam eanque muris et antemuralibus fortissimis circumcingamus; in medio autem civitatis tanquam fortalitium arcemque tutissimam construamus altissimam turrim, cuius culmen ad coelum usque videatur pertingere; atque opus hoc tam mirabile admirandumque facientes, summam in futuris saeculis gloriam consequemur nomenque nostrum in perpetuas aeternitates gloriosissime celebrabimus. Alioquin inglorii et absque nostrorum nominum monumentis dispergemur in universas terras, tanquam oves pastorem et archimandritam non habentes[12a], nec caulam, quo congregentur. Antequam ergo ita dispergamur, facile enim hoc est nisi id egerimus, construamus civitatem et turrim, quo ad inhabitandum una omnes congregemur, sitque tutissima omnium nostrum habitatio regnique nostri sedes et clavus. Consensit universa multitudo prona propensoque animo Nemrodi praeceptioni obedire voluntatique eius morem gerere.

***Faciamus nobis civitatem*, etc. Ut nomen eorum celebraretur in saecula, ipse suasit omnibus civitatem munitissimam aedificare, quae sedes esset regni illius.**

Fabularum plane nugae sunt ea quae dicunt plerique[13], hosce viros propterea turrim aedificasse, cuius culmen coelum pertingeret, ut in coelum ascenderent et in coelesti curru contra Deum pugnarent. Haec enim poetarum est fabula[14], qui finxerunt gigantes ab irata tellure esse progenitos, serpentinis pedibus, corpore proceros, animo paratos ut Iovem e coelesti sede expellerent. Hoc autem est eos iniqua ac impia in Deum mente fuisse, Dei virtutem potentiamque negantes, omnique mente et cogitatu eos semper ad inferna vertisse.

Poetarum figmentum est et fabula homines illos turrim aedificare voluisse, ut contra Deum pugnarent.

Adduci autem non possum ut credam omnes civitatem et turrim illam aedificantes ea mente animoque fuisse. Cogit enim nos ratio ut teneamus omnes homines ad aedificia illa construenda convenisse operamque dasse, vel saltem consensum. Nam cum ante constru-

Neque enim credendum est prorsus omnes tam perversos fuisse, ut hanc pessimam in-

12) Rom 8, 7. 12a) Cf. Mt 9, 36; Mc 6, 34. 13) Cf. Cosmas *Topographia Christiana*, lib. 3, (P. G. 88, 135); Alph. Tostatus op. cit. f. 55a. 14) Cf. supra cp. 6, pag. 478, et not. 36.

tentionem in aedificanda turri haberent;

ctionem illam in omnibus hominibus labium unum esset idemque sermo, quod ob aedificii illius structuram in omnibus confusum est, plane si non omnes ad id opus convenissent operam dare, nec in omnibus confusum labium fuisset; ad impediendum enim opus illud confusum est [15]; cumque labium illud primaevum lingua esset hebraica [16], si non in omnibus confusum labium esset, multae nationes hebraea lingua loquerentur. Quod si confusum in omnibus est: cur in omnibus hominibus, si non omnes ad opus illud convenerant, cum propter opus illud confusum sit labium? At si omnes convenerunt, quis unquam dicet Noe, qui adhuc vivebat, Sem, Arphaxad, Sale et Heber, sanctos

potius enim quam planitiem, montem altissimum ad tale opus elegissent.

et iustos viros ea mente et animo fuisse? Quod si eam habuissent mentem ut turris fastigio coelum pertingerent in coelumque ascenderent, super altissimos montes potius, quam in valle, aut ima planitie eam construere proposuissent.

Neque ad effugiendum aliud diluvium talem turrim construere volebant, tum quia noverant promissionem divinam,

Nec admodum placet quod plerique expositores dicunt [17], eos viros ea mente altissimam turrim voluisse construere, ut ibi salvarentur, si forte denuo aquarum maximus cataclysmus veluti praecedens diluvium superveniret. Siquidem certiores facti omnes tunc homines erant divinae promissionis, qua foedus cum Noe et cunctis animantibus terrae Dominus pepigerat [18], statutum pactum sempiternum, quod in aeternum non praeteribit. Quod si ea fuisset eorum mens et propositum, multo melius et convenientius eam turrim super Armeniae altissimos montes aedificassent, in quibus multos praegrandesque lapides habuissent, ut non opus illis fuerit lateres coquere ut essent

tum quia ad hoc opportuniores fuissent montes excelsi Armeniae.

eis lapidum loco, ibique solidissimae erant petrae, supra quas aeterna fundamenta iacere poterant, et omni dubio procul securiores multo supra montes altissimos fuissent ab aquarum inundatione, quam in valle locisque campestribus. In vallibus enim et planis terrae locis multo facilius inundationes alluvionesque aquarum fiunt, tum quia nedum aquis, quae e coelo pluunt, sinum praebent, sed etiam eas, quae a montibus ex pluviis et nivium liquefactione defluunt, suis veluti

15) Cf. vr. 7. huius cp. 16) Cf. supra cp. 2, pag. 240. 17) Cf. Procopius *Comment. in Gen.*, (P. G. 87, 314); Cosmas *Topographia Christiana*, lib. 3, ibid. 88, 135; Strabus *Glossa Ordinaria in Gen.*, (P. L. 113, 114); Angelomus *Comment. in Gen.*, ibid. 115, 166; Remigius *Comment. in Gen.*, ibid. 131, 81; Hugo de S. Victore *Adnotat. Elucidat. in Pentat.*, ibid. 175, 49; Nic. Lyranus op. cit. f. 58b; Gioseffo Flavio *Delle Antichità Giudaiche*, lib. 1, cp. 9, f. 5a; Rab. Salomon op. cit. f. 12b; Io. Buxtorfius *Dissertationes*, etc. *Dissert. 2, De Linguae Hebraicae Confusione*, pag. 75-77. 18) Cf. Gn 9, 8-17.

sinibus recipiunt ; montes vero semper aquas ad ima loca demittunt. Et Hebraeorum veterum tum neotericorum extat sententia[18a] propterea שנער dictum esse : שכל מימי המבול ננערו שם, quod omnes aquae diluvii dispersae sint ibi, idest quod eum locum vel maxime inundarint diutiusque ibi constiterint.

Eorum ergo mens et propositum fuit civitatem construere amplissimam et praeclarissimae spectandissimaeque magnificentiae, murorum firmissima magnitudine in latitudine et altitudine circumcinctam, in cuius centro altissimam turrim, veluti arcem munitissimam, ut eo opere nomina sua in futura saecula, in perpetuas aeternitates, aeternis generationibus concelebrarent viverentque immortaliter in hominum memoriis omnesque homines una in civitate illa habitarent, ne dispergerentur absque firma habitatione huc atque illuc in universas orbis terrae partes. In arce vero illa civitatis eorum rex monarchicusque imperator Nemrod consideret omnium hominum dominator, adeo ut esset ea civitas mundi totius caput, monarchiae sedes et regni totius principium, sicut supra dictum est[19], quod Babylon Nemrod regni caput principiumque fuit.

Praecipua ergo eorum intentio erat civitatem magnam aedificare ubi habitarent,

et arcem munitissimam, in qua Nemrod veluti imperator universi consideret.

Et quidem Babylonicae civitatis muri, a Semiramide regina postmodum instaurati, tanta fuerunt et magnitudine et firmitate spectandi, ut inter septem orbis spectanda miracula numerentur[19a]. Fuisse enim ferunt[20] latitudine cubitorum quinquaginta et altitudine quater tantum, idest ducentis cubitis altos. Fuerunt vero, uti hic dicitur, coctili lateres bitumine interfuso compacti, lati adeo ut quadrigae ibi invicem occurrentes facile pertransire possent. Ambitus vero quadringentis octoginta stadiis circumveniebatur ; turris vero constructae, quam adhuc moliebantur, altitudinem quinque millium centum septuaginta quattuor passuum fuisse ; latitudine vero latissima atque fortissima, ut quibusque eam respicientibus longitudo videretur imminui : altissimam enim eam construere proposuerant, ut culmen eius ad coelum usque videretur pertingere. Sumebat autem altitudo facilitatem et plusquam

Ita tradunt qui eam constructionem et viderunt et descripserunt.

18a) Cf. Ginzberg op. cit. V, pag. 202. 19) Gn 10, 10. Explanatio decimi capitis deest. Cf. ea quae diximus in not. 38, cp. 9. 19a) Cf. Hyginus *Fabulae*, pag. 48. 20) Cf. Eusebius Caesar. *Praeparat. Evang.*, lib. 9, cp. 11-15, (P. G. 21, 698-703) ; Gioseffo Flavio *Delle Antichità Giudaiche*, lib. 1, cp. 9, f. 4b ; Strabo *Rerum Geographicarum*, lib. 16, pag. 508 ; Ovid. *Metamorph.*, lib. 3, vrr. 57-58 ; Q. Curtius *Historiae*, lib. 5, cp. 4, pag. 171-173 ; Beyerlinck *Theatrum Vitae Humanae* sub voce : *Babylon*, iisdem fere verbis.

sperare quis posset multis manibus fabricata crescebat. Quantis laboribus quantisque oneribus supponit homines mundanae laudis appetitus et gloriae vanae ambitio! Ut nomina sua celebrarent, hi tantorum aedificiorum se supposuere oneribus et laboribus subeundis et sufferendis. Quae autem eo mox subsecuta sit poena et ingens miseria, videbimus.

Vrr. 5-9

Descendit autem Dominus ut videret civitatem et turrim, quam aedificabant filii Adam, et dixit: Ecce unus est populus et unum est labium omnibus: coeperuntque hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis donec eas opere compleant: Venite igitur, descendamus et confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras: et cessaverunt aedificare civitatem. Et idcirco vocatum est nomen loci illius Babel, quia ibi confusum est labium universae terrae: et inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum.

Textus Hebraicus: *Et descendit Dominus ad videndum civitatem et turrim, quam aedificabant filii hominum, et dixit Dominus: Ecce populus unus et labium unum omnibus ipsis: et istud coeperunt ipsi facere, et nunc non prohibebitur ab eis omne quod cogitaverunt ut facerent: Agite, descendamus et confundamus ibi labium eorum, quod non audiant vir labium proximi sui. Et dispersit illos Dominus inde super faciem omnis terrae; et destiterunt extruere civitatem. Propterea vocavit nomen eius Babel, quia ibi confudit Dominus labium omnis terrae; et inde dispersit eos Dominus super faciem universae terrae.*

Descendit autem Dominus, etc. Per effectus quos operatur Deus descendere dicitur, vel misericordiam praestando, vel poenas pro sceleribus infligendo;

Descendit autem Dominus ut videret civitatem. Ἀνθρωποπάθεια est et humano more de Deo Scriptura loquitur, ad nostram se inclinans infirmitatem et parvitatem. Manifestissime tamen Dei vigilantissimam providentiam, qua omnes humanos actus contemplatur, locus iste declarat. Quid est enim: *Descendit ut videret,* nisi quia omnes humanos actus et opera, oculis eius nuda apertaque [21] cum sint, diligentissime penitissimeque ipse attendit? Simile est illud: *Descendam et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam* [22]. Et illud: *Vidi afflictionem populi mei in Aegypto..., et sciens dolorem eius descendi ut liberarem eum* [23]. Certe loco non mutatur Deus, qui omnem ubique locum implet: *Ego enim Deus et non*

21) Cf. Hebr 4, 13. 22) Gn 18, 21. 23) Ex 3, 7. Vulg.: *Ut liberem eum.*

mutor[24]; *Ego coelum et terram adimpleo*[25]. Per effectus ergo, quos operatur, *descendere* dicitur, dum actus humanos moderatur, vel misericordiam praestando vel poenas pro sceleribus infligendo.

Per effectum ergo quem operatus est, descendisse describitur, *ut videret civitatem et turrim, quam aedificabant filii hominum;* isti enim iam aedificiorum structuras prosequebantur. Quoniam vero *nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant eam*[26]: videns Dominus superbas eorum mentes tantasque moles civitatis et turris, quam usque ad coelum struebant, *descendit* hisce operibus impedimenta daturus. Aedificabant enim hi eas structuras, non Deo, sed sibi: *Aedificemus,* inquiunt, *nobis civitatem et turrim:* non ad summi Dei honorem et gloriam, sed mundi gloriam magis quam Deum diligentes ea opera moliebantur, ut nomen suum celebrarent; non civitatem, in qua Deus omnium rex et imperator super eos regnaret, ut in ea divinae leges iuraque divina statuerentur ac servarentur; sed ut in ea impius Nemrod, crudelis *venator,* regnaret, qui leges iniquas conderet *et scribens iniustitiam scriberet, ut opprimerentur in iudicio pauperes, et vim facerent causae humilium...; ut essent viduae praeda eorum, et pupillos diriperent*[27]*;* non templum aedificant divinamque domum, in qua Deus habitaret, in qua pietate ac religione summa coleretur, in qua divini celebrarentur honores et congregatis synagogis, convocatis coetibus, in unum collectis fidelium populorum ecclesiis, divinae laudes decantarentur; sed turrim struebant, quae Nemrod sedes principumque ac militum eius mansio fida securaque esset. Nec humilem eam molem humili fastigio moliuntur, sed sublimem atque altissimam, ut, si potis esset, coelum pertingeret: *Cuius culmen,* inquiunt, *coelum pertingat:* quo nomine audax eorum temeritas per hyperbolen designatur.

et hic significat impedire velle constructionem hanc, quae non ad eius cultum, sed ad superbiam hominum fiebat.

Deus ergo videns vanum eorum consilium multorum malorum in causa existere, vocisque consonantias his eorum malorum occasionem praebere, ne malitia incresceret morbusque incrudesceret, eos ad finem usque operis nequaquam permittere statuit opera sua moliri: sed morbi causam abolet; ceu sapiens medicus videns morbum augeri, ne ulcus incurabile fiat, statim utitur sectione.

24) Mal 3, 6. Vulg.: *Ego enim Dominus.* 25) Ier 23, 24. Vulg.: *Coelum et terram ego impleo.*
26) Ps 126, 1. 27) Is 10, 1-2. Vulg.: *Et scribentes iniustitiam scripserunt, ut opprimerent,* etc.

Confundamus ibi linguam eorum. Identitas loquelae causa erat qua omnes in opus illud conspirarent;

Ecce, inquit, *unus est populus et unum labium*[28] *omnibus : coeperuntque hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus et confundamus ibi linguam eorum.* Unum adhuc hominum genus erat, uno patre Noe nati, unam omnes efficiebant familiam, quia ab uno genere omnes ducebant originem cognatique omnes affinesque erant. Nulla erat inter eos diversitas aut originis vel generis, aut morum, rituum et religionis, vocis vel linguae, aut patriae : sed unus omnino populus erant, una congregatio hominum, una societas. Et sicut eadem omnibus erat natura, eaedem passiones et affectiones, ita idem vivendi mos, communis victus, ritus et religio : vox consona omnibus, lingua una, quam uno hauserant patre. Verum hi hisce bonis abutebantur, et quae suapte natura bona sunt, illis fiebant causa ruinarum. Quoniam ergo pacifica haec eorum communio et concors populi unitas in malum illis fiebat : *Descendamus*, inquit, *et confundamus ibi linguam eorum:* hanc, inquit, dividamus concordiam et vocis ac linguae dispertiamus unitatem, ut, dispertitis linguis, populus etiam hic unus in multos dispertiatur.

ideo causam Deus tollit ut effectus simul tollatur.

Inquit autem : *Descendamus:* plurium voce, sicut etiam dixit : *Faciamus hominem*[29]. Divinas enim Hypostases a se procedentes alloquitur Pater, natura pares, aetate coaeternos, potestate, honore ac dignitate aequales, in omnibus coaequales.

Descendamus ! Pater alloquitur Divinas Hypostases,

Hebraeorum nonnulli[30] Deum hic ad iudicii domum sermonem dirigere aiunt, ut, cum descendere vellet ipse ad iudicandum filios hominum, venirent *omnes . . . sancti* eius *cum eo*[31]. At vero id Rabbinus Abrabanel confutat, dicens[32] quod, « si ita hoc esset huiusce rei facienda prius mentio erat. Cur enim non dicitur quod Deus et iudicii domus linguae confusionem fecerunt ? Et ecce mox sequitur quoniam ibi confudit Dominus labium omnis terrae et inde dispersit eos Dominus in omnes terras : quae quidem ostendunt solum Deum effectuum horum in causa extitisse ». Ipse vero aliter interpretatur, ad divinam id providentiam referens. Dominus enim, qui cordium secreta novit[33] et iudicat quemque iuxta vias suas[34], cum

non sanctos suos, ut aliqui putant.

28) Ms.: *Et unum labium* repetitur. 29) Gn 1, 26. 30) Rab. Salomon op. cit. f. 12ª; apud Rab. Abrabanel op. cit. f. 50ª; cf. Nic. Lyranus op. cit. f. 59ª; Alph. Tostatus op. cit. f. 56ª; Drusius, col. 330; Cartwrightus, col. 342; Ginzberg op. cit. V, pag. 205.
31) Zach 14, 5. 32) Op. cit. f. 50ª. 33) Cf. 1 Rg 16, 7; 1 Par 28, 9; Ps 7, 10; 43, 22; Prv 15, 11; Sap 1, 6; Ier 11, 20; 17, 10; 20, 12; Act 1, 24. 34) Cf. Ez 7,

hos homines iudicare venit, duo egit: ut labium primum et lingua, quae una omnibus erat, relinquerentur; et linguae aliae distinctaque idiomata invenirentur ac statuerentur. Et primum quidem per se, operatus est; ad inveniendas vero ac statuendas linguas diversas quibusque proprias principes ex eis elegit, qui capita erant familiarum, qui eorum sustinerent regimen, et propterea plurium voce loquitur.

At quaeso, nonne hi principes in terra erant et una cum aliis civitatem et turrim aedificabant? Quomodo ergo inquit Deus: *Descendamus et confundamus ibi linguam eorum?* Quid autem sit linguam confundere mox aperit dicens: *Ut non audiat unusquisque vocem proximi sui:* idest ut non intelligat quid per vocem significare velit, ut sonum quidem vocis audiat sensum vero non intelligat. At quamobrem fit ista confusio? *Quia*, inquit, *coeperunt hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis donec eas opere compleant.*

In quaestione apud expositores fuit an peccarint hi, qui civitatem et turrim extruere voluerunt, et cur voluerit Deus eorum impedire opera; et aliis quidem visum est eos peccasse, aliis vero minime [35].

Iuxta alios nihili peccarunt turrim aedificantes, quia continuationem socialis commercii intendebant et proprii nominis celebrationem,

Rabbinus Abraham Aben Ezra [36] et Rabbinus Levi ben Gherson [37] inquiunt eos nihili peccasse, sed divina providentia factum esse, ne hi civitatem illam amplissimam, quae potius regio erat cincta muris, quam civitas, et turrim perficerent. Construendi enim ea aedificia hoc fuit eorum propositum et intentio, ut simul in una congregatione et sociali commercio habitarent; propterea aiunt: *Ne forte dispergamur in omnes terras.* Siquidem civile, politicum et sociale animal cum sit homo, vitam desiderat civilem et socialem. Hoc ergo naturae insitum desiderium volentes hi opere adimplere, nihili deliquerunt, quod illud desiderium nequaquam malum est. Et si non ob id solum aedificia illa moliebantur, sed etiam ut in futuras generationes nomen suum celebrarent, plane φιλοτιμία [38], idest honoris amor et gloriae malus neutiquam est. Si enim homo

quae quidem mala non sunt,

3. 8; 18, 30; 33, 20. 35) Cf. S. Augustinus *De Civitate Dei*, lib. 16, cp. 4-5, (P. L. 41, 482-483); S. Eucherius *Comment. in Gen.*, lib. 2, ibid. 50, 940-941; S. Beda *Hexaem.*, lib. 3, ibid. 91, 123-126; Alcuinus *Interrogat. et Respons. in Gen.*, ibid. 100, 532-533; Rabanus Maurus *Comment. in Gen.*, lib. 2, ibid. 107, 530; Strabus *Glossa Ord. in Gen.*, ibid. 113, 114-115; Angelomus *Comment. in Gen.*, ibid. 115, 165-167. 36) Op. cit. f. 12; cf. Io. Buxtorfius *Dissertationes*, etc. *Dissert. 2, De Linguae Hebraicae Confusione*, pag. 70-77; *Talmud, Holin*, cp. 6, f. 86a. 37) Apud Rab. Abrabanel op. cit. f. 50b. 38) Ms.: *Philothimia*.

dummodo honori divino ne detrahatur;

licenter citra Dei offensam potest divitias facultatesque appetere: cur non et honorem, qui divitiis multis multo melior est, modo nihili detrahat divino honori?

Deus tamen impedivit eorum opus, quia ex nimia hominum agglomeratione multa mala sequi poterant,

At si non appetierunt illud gloriae nomen contra divinum honorem: cur Deus, qui nemini immerito infligit poenam, eorum opera et molimenta destruxit? Quoniam, inquiunt, ex universorum penitus hominum simultanea illa commoratione in uno loco multa poterant mala sequi humanam speciem labefactantia, imo ad internecionem usque perdentia. Multae siquidem civitates, provinciae et regna per bellicas clades et civiles seditiones omnino perierunt; quod si hoc tunc, cum simul omnes homines morarentur, accidisset, omnes utique periissent. Ac cum exiguus terrae illius angulus tantam non posset hominum multitudinem sustinere ac capere, omnesque homines tantopere patriam nativumque locum diligant, ut inter maximas poenas constitutum sit a patria exulare, nullus sponte voluisset inde in alienas et incognitas oras emigrare. Unde inter cohabitantes multae lites, iurgia, rixae, seditiones et clades bellorum civilium exorta fuissent.

ceu facilitas rixarum,

Quod si id non accidisset, tantae hominum multitudini nequaquam valuisset terra sufficientia alimenta proferre ad decentem vitam, saltem frugaliter, ducendam; unde fame et egestate rerumque inopia et caritate semper laborassent. Deinde morbi invaluissent, in maximam hominum perniciem; quod si pestis in eos percrebuisset, periissent perquam facile omnes. Deinde si forte ex [39] coelestium signorum pluvialium influxu super regionem illam cataclysmus aliquis, veluti ille Deucalionis [40], vel Ogygis [41], accidisset, aquarum alluvie perire omnes submersi poterant. Demum cum in multos errores et facinorosa peccata corruissent, cum peccata eorum ad coelum usque ascendissent, descendisset utique ignis de coelo consumpsissetque eos omnes, sicut Sodomam et Gomorrham et finitimas civitates Pentapolis [42].

deficientia alimentorum, morborum contagia, morum corruptio.

Ne ergo his malis affecta universa hominum multitudo labefactatum iret, divina providentia cautum est linguarum confusione, ex qua in universas terrae oras dispersi sunt. Haec est horum doctorum sententia.

Aliis vero non placet [43]; et Rabbinus Abrabanel in

39) Ms.: *Ex* repetitur 40) Cf. supra cp. 7, pag. 510, not. 38-39. 41) Cf. ibid. not. 40. 42) Cf. Gn 19, 24-26. 43) Cf. Rab. Salomon op. cit. ad cp. 10, vr. 9, f. 11[b]; Gioseffo

Alii tamen rectius tenent eos peccasse,

eam invehitur [44], dicens longinquum hoc esse a legis intentione. Nam a die, quo de arca egressi sunt, simul in societate una commorati sunt; nullum tamen malorum illorum, quae dicunt, illis accidit, nec dispersi fuerunt, nec lingua eorum confusa fuit quousque civitatem aedificarunt, nec ullum eorum malorum ad hunc usque diem in campo illo Sennaar accidit.

quia superbe nimis hoc faciebant et nimio gloriae appetitu, quod certe divino honori detrahebat.

Qui vero peccasse eos autumant, alii quidem dicunt eos turrim illam contra Deum aedificasse, prout poetae de gigantibus fabulantur [45]: alii vero quia superbe admodum haec faciebant [46]. Verum etsi aliquis appetitus gloriae laudisque pruritus ad hoc opus peragendum eos movit et induxit, cum non usque adeo conspiciatur hic eorum mundanae laudis appetitus in Deum caput erexisse, ut sui accremento divinus minueretur honor: cur ea poena mulctantur?

Deus enim est omnium Dominus sicut et conditor;

Verum si oculatius rem universam introspiciamus, comperiemus plane eos in Deum peccasse et is eorum laudis appetitus et honoris vanaeque ambitio gloriae divino non minimum detrahebat honori, sed militabat in Deum profecto. Cum Deus omnium hominum sit conditor et suapte natura Dominus, sua est potestas, suum regnum et imperium [47]: ipse vult homines per sese regere. Hinc est quod, cum semen Abraham elegisset, ipse per se voluit immediate super eum dominari, ipse eum regere et veluti rex super eos regnare, ceu in *Deuteronomio* dixit [48]: *Vos eritis mihi in regnum sacerdotale et gens sancta.* Unde ipse eis legem dedit et iudicialia iura, iudicesque populi ipse quos per se elegisset, statuebat, qui secundum datas a Deo leges populum iudicarent. Sic Moysen [49], Iosue [50], Barac [51], Gedeon [52], Samson [53], Iephte [54] et Samuelem [55] elegit, non in reges, qui tributa a populo acciperent, sed iudices. Quapropter cum Israelitae, omnes

qui in Israel ut rex supremus regnare voluit;

Flavio *Delle Antichità Giudaiche*, lib. 1, cp. 9, f. 5ᵃ; Io. Buxtorfius *Dissertationes*, etc. *Dissert. 2, De Linguae Hebraicae Confusione*, pag. 70-77. 44) Op. cit. f. 50ᵇ–51ᵇ. 45) Cf. not. 14 huius cp. 46) Cf. S. Io. Chrysostomus *Hom. 30 in Gen.*, (P. G. 53, 275); S. Cyrillus Alex. *Glaphyrorum in Gen.*, lib. 2, ibid. 69, 78; S. Augustinus *De Civitate Dei*, lib. 16, cp. 4, (P. L. 41, 482); S. Isidorus Hisp. *Quaest. in V. T.*, cp. 9, ibid. 83, 237; S. Beda *Hexaem.*, lib. 3, ibid. 91, 125-126; Alcuinus *Interrogat. et Respons. in Gen.*, ibid. 100, 533; Rabanus Maurus *Comment. in Gen.*, lib. 2, cp. 11, ibid. 107, 530; Strabus *Glossa Ord. in Gen.*, ibid. 113, 114-115; Angelomus *Comment. in Gen.*, ibid. 164, 186; Rupertus *De Trinitate*, etc. *In Gen.*, lib. 4, cp. 41-42, ibid. 167, 364-366; Nic. Lyranus op. cit. f. 58ᵇ; Io. Menochius *Explanat. in Gen.*, pag. 9. 47) Cf. 1 Par 29, 11-12. 48) 7, 6. Refert ex 1 Petr 2, 9. 49) Cf. Ex 3, 10. 50) Cf. Ios 1, 5-9. 51) Cf. Idc 4, 6. 52) Cf. ibid. 6, 14. 53) Cf. ibid. 13, 1-14, 1 sqq. 54) Cf. ibid. 11, 1 sqq. 55) Cf. 1 Rg 3, 21.

inquam maiores natu Israel, congregati sunt ad Samuelem in Ramatha regem super se petentes, quemadmodum ceterae habebant nationes [56], displicuit vehementer sermo iste in oculis Samuelis, quoniam, ut Samuel dixit, *grande malum* fecerunt *in conspectu Domini* [57] petentes super se regem. Quapropter *dedit Dominus* e coelo *voces et pluvias* [58] et fulgura in signum irae et ultionis tanti mali, quoniam, inquit ad Samuelem, *non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos* [58a].

et ideo maxime conquestus est cum populus a Samuele regem petiit.

Ita plane nunc accidit. Sicut enim Dominus Israeliticum populum ipse rex et dominus per iudices a se electos regebat et regio munere super eos fungebatur, ita Deus ab initio solus super homines dominari et regia potestate principari voluit. Est enim regia potestas maxima quae reperiri potest et legibus absoluta, quod soli Deo convenit suapte natura; veruntamen per iudices filios hominum regebat, quales fuerunt Adam, Seth, Enos, etc. ad Noe usque. Et illi forte iudices *filii Dei* dicuntur [59], quoniam ad eos sermo Dei habebatur de causis populi iudicandis, sicuti in Moyse clarissime conspicimus. Et ita regnavit Deus solus super homines quousque venit Nemrod; quem natum et virum factum cum vidissent homines corpore gigantem, viribus potentem, manu fortissimum, mente audacem, consilio discretum et prudentem, prudentia tamen carnis, et regnandi ac dominandi in omnes ambitiosum ac cupidissimum, elegerunt in regem, Dei spreto regimine, seque omnes uni commiserunt eiusque dominatui, Deumque abiecerunt, ne super eos regnaret.

Sic etiam semper regnavit super homines

usque ad adventum Nemrod, quem illi regem elegerunt, spreto Dei regimine.

Nemrod autem elatus dominio et mente superbus, homines elatos ad iniuriam Dei et contemptum faciebat, suadebatque eis ne Deo ascriberent, quia hominibus per illum felicitas eveniret, sed quod eis propria virtute praeberetur. Atque ad hunc modum homines a Dei timore revocabat et ut spem suam omnem in propria virtute reponerent inducebat. Hinc ut civitatem illam latissimam [60] aedificarent suasit et turrim altissimam, ut civitas illa totius mundi monarchiae principalis eius sedes esset regnique clavus, atque ad hunc modum propria virtute et arte aedificia illa magnificentissima construentes, nomen suum aeternis saeculis immortalique memoria celebrarent, hanc existimantes esse felicitatem.

Superbus autem rex a Dei timore et reverentia homines avocans,

56) Cf. Ibid. 8, 4-5. 57) Ibid. 12, 17. 58) Ibid. vr. 18. 58a) Ibid. 8, 7.
59) Gn 6, 2, et supra cp. 6, pag. 471-472. 60) Ms.: *Ut* repetitur.

Peccatum ergo eorum fuit, quoniam Nemrod in regem et totius humanae speciei monarcham, principem ac dominum universorum hominum eligentes ac constituentes, se a Dei subtraxerunt dominio: et quo magis propriae gloriae intenti erant, eo magis divino honori derogabant. Quoniam vero civitatem et turrim ad electi regis gloriam et magnificentiam construebant et ad sua nomina in aeternis hominum memoriis immortaliter celebranda, ac divini regiminis providentia flocci ac nihili pensa, Deum summo honore et regio munere privabant: videns ergo Deus hasce eorum cogitationes quodque non desisterent, nec sanctorum virorum Noe, Sem, Arphaxad et Heber vel auctoritate, vel pietate, vel hortatu prohiberi possent, nec vellent quin[61], quod cogitaverant, opere complerent; non ferens ut unus homo non vicaria, sed plena regis potestate universae hominum multitudini praeficeretur, cum etiam is tam impius esset ut homines a Dei timore, cultu et religione, fide, spe, pietate et caritate in summum Deum omni conatu studeret avertere et ad idololatriam inducere; summa sua sapientia et incomprehensibili consilio voluntatis suae, ne id fieret, linguarum confusione providit.

ut civitatem et turrim aedificarent illis suasit, quae esset et sui universalis imperii sedes eorumque superbiae et audaciae immortale monumentum.

Et licet eos ex arbitrii libertate permiserit contra divinae voluntatis placitum et dispositionem cogitare ac deliberare, non tamen deliberata perficere; non voluntatem eorum abstulit aut vim ei intulit, sed facultatem eripuit. Ipsi enim sub electo rege Nemrod simul omnes in civitate illa vivere disponebant. Convivere autem est mente et verbo communicare, non autem ad instar brutorum animalium eodem loco pasci; mente autem communicant qui internas passiones et sibi invicem palam faciunt, quae cordis imperscrutabili velamine arcanoque loco secreta delitescunt. Haec autem expressio et manifestatio per verba fit; ea enim quae sunt in voce, earum quae in anima sunt passionum notae et signa; quibus vero eaedem non sunt voces ad conceptus declarandos, convivere et cohabitare una non possunt, quoniam in meliori ac potiori discordant, intellectu scilicet et voluntate, quia non possunt sibi invicem communicare quae intelligunt et quae volunt.

At Deus ne magis homines illi in perversionem inducerentur a Nemrod, confusionem linguarum immisit.

Quando enim homines communes voces non habent, una convivere nequeunt, quia se invicem non intelligunt.

Linguarum ergo diversitas hominem alienat ab homine. Nam si

61) Ms.: *Quid.*

duo sibimet fiant obviam neque praeterire [queant], sed simul esse aliqua necessitate cogantur, quod neuter novit linguam alterius, facilius sibi muta animalia, etiam diversi generis, quam illi, cum sint homines, ambo sociantur. Quando enim quae sentiunt inter se communicare non possunt, propter solam linguarum diversitatem, nihil prodest ad consociandos homines tanta similitudo naturae, ita ut libentius homo sit cum cane suo, quam cum homine alieno. Optime ergo ne simultanea commoratione in una illa civitate sub uno illo rege omnes homines habitarent, linguarum confusione providit omniscius et sapientissimus Deus.

Deus itaque interturbavit eorum intellectum et memoriam, novas species in eorum mentem immittens ad novas voces efformandas.

Confudit autem ad hunc modum linguas eorum. Siquidem illorum mentem et rationem perturbatione quadam magna interturbavit et ab intellectu et memoria veluti abrasione quadam delevit et obliteravit habitus illos, quo verba verborumque significationes cognoscebant ad exprimendos mentales conceptus eo idiomate et lingua, quam prius unam omnes habebant; et in eorum existimationem et mentem imaginationes quasdam et species immisit ad novas voces articulandas verbaque formanda, ad mentales conceptus, qui intra sunt, exprimendos et res etiam ipsas, quae extra animam sunt, veluti signis quibusdam significandas.

Ita mutua quadam aversione perciti, in universas terras disperduntur iuxta proprium idioma.

Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras; et cessaverunt aedificare civitatem. Quam admirabili sapientiae modo Deus omne illorum tum consilium tum propositum destruxit! Omnes una venerunt in locum unum, campum scilicet Sennaar, ut habitarent ibi sub uno duce; et ex eo loco eos dispersit Deus in universas orbis terrae partes eorum linguam confundens, ut sicut non possent, ita ne vellent simul amplius habitare: sed mutuo quodam odio perciti se invicem fugientes, diversas regiones orasque ad incolendum peterent.

Nemrod autem et qui cum eo eandem linguam sortiti fuerant, in Sennaar manserunt et regnum babylonense fundaverunt.

Mansit autem in regione campi Sennaar solus Nemrod et qui idem cum eo idioma sortiti fuerant, spe fraudatus qua ad universorum hominum imperium ac dominatum anhelabat. Quia tamen viribus potens erat, manu fortissimus et mente nihilominus audacior, non omnino regia potestate destitutus est; sed super illos omnes, qui secum manserant, regium exercuit non munus, sed imperium fuitque principium regni eius Babylon: *Idcirco* enim *vocatum est nomen loci illius Babel, quia ibi confusum est labium universae terrae.*

Quo tempore facta sit haec linguarum confusio et gentium divisio, non idem sentiunt omnes. Hebraeorum fere omnium sententia est [62], quod tercentesimo quadragesimo anno post diluvium, decem annos antequam Noe extremum diem clauderet, facta sit, vitae vero Abrahae quadragesimo octavo, quoniam ducentesimo nonagesimo secundo anno post diluvium natus est [63].

62) Cf. *Seder Olam.* Rab. Salomon op. cit. cp. 10, vr. 25, f. 11^{b}, dicit dispersionem populi factam esse quando Phaleg mortuus est. Atqui :

Arphaxad natus est post diluvium	2 annis :
Sale natus est post Arphaxad	35 annis :
Heber natus est post Sale	30 annis :
Phaleg natus est post Heber	34 annis :
Phaleg vero vixit	239 annis :
ergo Phaleg mortuus est post diluvium	340 annis.

Iuxta Rab. Aben Ezram autem divisio gentium facta fuit tempore quo Phaleg natus est ; sic enim vocatus est, quia tempore ortus eius terra divisa fuit ; פלג enim *dividere* significat. Op. cit. f. 12^{b}. Cf. Alph. Tostatus op. cit. f. 58^{a}. 63) Ms. habet in fine folii : « Aiunt autem hanc divisionem », et sic opus imperfectum remansit.

INDEX

SYNTHETICO-ANALYTICUS

INDEX SYNTHETICO-ANALYTICUS

PROOEMIUM

Moyses, summus propheta, theologus et philosophus, veracissimus in exaranda creationis historia. In cosmopoeia Moysi inveniuntur omnia principia de origine rerum a philosophis tradita. Quadam superna illustratione motus S. Auctor explanationem Geneseos aggredi declarat. Philosophi antiqui opinando scripserunt de origine mundi, Moyses autem absoluta veritate loquitur; quod tamen veri et certi philosophi docuerunt, recipiendum est. Piissima invocatio divini auxilii ad interpretandam Sacram Scripturam. Protestatio S. Auctoris sentiendi semper et totaliter cum catholica veritate . Pag. 1-6

DISSERTATIO PRIMA

De schematibus et tropis Sacrae Scripturae

Sacra Scriptura tropis et figuratis locutionibus ubique respersa est, et eius studium delectabiliter pascit mentem. Cognoscendae sunt formae loquendi Sacrae Scripturae ut arcani sensus percipiantur. Quid sit schema et in quo differat a tropo. Metaphora et eius modi, synecdoche eiusque formae, metonymia et eius species, antonomasia et eius modi, epitheton, onomatopoeia, catachresis, metalepsis. Quid sit allegoria et eius modi: parabola, icon, paradigma et aenigma. Quid sit ironia et eius species: antiphrasis et sarcasmos. Quid sit periphrasis, hyperbaton et eius species: synchysis, parenthesis, anastrophe et hysterologia. Quid sit hyperbole . . . . Pag. 7-19

DISSERTATIO SECUNDA

De schematibus idest figuris locutionis

Quomodo differat schema a tropo. Duo genera schematum: verborum et sententiarum. Schemata verborum et primo ea quae fiunt per adiectionem: anaphora, anadiplosis et variae eius species: epanadiplosis, epizeuxis et palillogia. Quid sit polyptoton, synonymia, polysyndeton, climax. Secundo ea quae fiunt per detractionem: eclipsis, aposiopesis, asyndeton et eius modi; protozeugma et eius modi; hypozeuxis. Tertio ea quae fiunt per similitudinem: paranomasia, paromoeon, homoeoptoton, homoeoteleuton, isocolon, antitheton; antimetabole . . . . Pag. 20-29

DISSERTATIO TERTIA

De schematibus sententiarum

Quid sit erotema et eius modi: exetasmos et antipophora. Quid sit ethopoeia, prosopopoeia et eius modi: somatopoeia et antiprosopon. Quid sit apostrophe, hypotyposis, aposiopesis, emphasis, epiphonema, epanados, anacaenosis, ecphonisis et eius modi. Quid sit deisis eiusque modi. Quid sit catara, exprobratio, et eius modi. Quid sit syncrisis . . . . Pag. 30-38

DISSERTATIO QUARTA

De multiplici Sacrarum Scripturarum sensu

Immensitas et profunditas sensus Sacrarum Scripturarum. Duplex earum intelligentia: litteralis et spiritualis. Ratio huius geminae intelligentiae. Studium Sacrae Scripturae nunquam exhauritur ob multiplices sensus quos continet. Testimonium Origenis. Quid sensus litteralis et spiritualis. Etiam sensus parabolicus ad litteralem pertinet. Multiplex sensus litteralis: secundum historiam, aetiologiam, analogiam et allegoriam. Quid sit parabola, quomodo intelligenda et quibus modis proferatur. Variae species sensus spiritualis. Quid sit sensus tropologicus et allegoricus. Allegoria et variae eius formae. Criteria servanda in allegoria. Quid sit sensus anagogicus. Exempla huius quadruplicis sensus quem Christus et Apostoli docuerunt. Ex sensu litterali plures sensus mystici efformari possunt . . . . Pag. 38-52

DISSERTATIO QUINTA

De creatione mundi in tempore

De origine mundi antiquorum philosophorum controversiae. Generatim mundum esse factum omnes admittunt, praeter Aristotelem. Eius sententia de aeternitate mundi impia est. Rationes Aristotelis pro asserenda aeternitate mundi: prima a motoris aeternitate; confutatur. A coeli figura; confutatur. A motu circumlationis; confutatur. A temporum infinitate; confutatur. A coeli incorruptibilitate; confutatur. Ab etymo coeli; confutatur. Ab antiquorum traditione coelum nunquam fuisse mutatum; confutatur. Aliae peripateticorum rationes refutantur. Remanet unica positio Moysis mundum creatum esse in tempore. Creatio mundi in tempore rationi omnino consentanea est; si enim mundus principium non habuit, nec finem haberet; corpora independentia essent; materia quoque infinita esset. Alia argumenta quibus probatur creatio mundi in tempore; tempus et motus non possunt esse aeterna, sicut patet ex successione dierum et motuum. Creatio mundi ab aeterno repugnat liberae voluntati Dei creantis. Ergo unica verissima est thesis Moysi . . . Pag. 53-78

DISSERTATIO SEXTA

De principiis rerum

Antiquorum philosophorum controversiae de rerum naturalium principiis. Doctrina Aristotelis, qui posuit tria principia rerum: materiam, formam, privationem. Moyses vero duo tantum: *coelum et terram*, quae habent veram principii rationem. Privatio poni nequit inter rerum principia. Ut aliquid

sit principium requiritur ut sit substantia, et quidem corporea, ingenita, permanens, causa essendi rerum. Privatio autem non est ens. Nec forma habet rationem principii, quia non est anterior omnibus, nec permanens, nec ingenita, et habet esse a materia et in materia. Nec materia prima habet rationem principii, quia non est aliquod ens, sed pura potentia ad omnes formas. Nec necesse est materiam ponere omnino informem ut omnes suscipiat formas. Recte ergo Moyses duo tantum statuit rerum principia: terram perpetuo immobilem manentem, et coelum, quod perpetuo motu generat universa; terram cum aqueo humore quem emittit ex visceribus, coelum vero luce, motu et calore praeditum. Statim ac creatum coelum lucidissimum fuit, terra autem opaca, quia densae nubes eam operiebant. Etiam in Scriptura sol ponitur ut principium generationis rerum. Aristoteles demonstrare conatur solem igneum non esse, sed omnes eius rationes nihil probant. Rectius ergo Moyses ponit coelum et terram prima omnium rerum naturalium principia . Pag. 78-109

CAPUT PRIMUM

Vr. 1. *In principio.* Tripliciter ab Hebraeis inscribuntur libri Sacrae Scripturae: ab inchoatione, a materia, ab auctore. Exponuntur singulae dictiones : — *In principio :* variae intelligentiae: in Filio; in initio temporis; in primis. Expositio Hebraeorum. — *Creavit :* diversimode interpretatur ab Hebraeis, a Patribus Latinis, et Graecis. Intelligenda est creatio ex nihilo. — *Deus : Elohim :* est plurale non maiestatis, ut dicunt Hebraei, sed significat pluralitatem Personarum in Deo. — *Coelum :* expositiones Hebraeorum et SS. Patrum; intelligenda videtur creatio coeli empyrei simul et angelorum. Huic expositioni favet sensus Ecclesiae; aliqui tamen Patres tenent angelos ante hunc mundum fuisse creatos. — *Terram :* variae interpretationes: aliqui Patres et Hebraei intelligunt hanc terram visibilem; alii materiam primam, quibus favere videtur Sacra Scriptura. — Vr. 2. *Inanis et vacua :* opiniones antiquorum philosophorum de chao. Praeferenda est sententia D. Augustini, qui intelligit materiam sine specifica forma, sed non omnino informem. Expositiones Hebraeorum. — De *tenebris* sententiae Basilii, Ambrosii, Augustini et Bedae. — De *abysso* variae opiniones Hebraeorum, et SS. Patrum. Sententia Augustini. — *Spiritus Domini,* etc.: quid intelligant per *spiritum* doctores Hebraei, Io. Chrysostomus, Augustinus, Basilius, Ambrosius et Hieronymus. Etiam haec verba innuunt Trinitatem in Deo. — Vr. 3. *Fiat lux.:* per *lucem* hic intelligitur corpus quoddam lucidum, quod suo motu naturali faciebat diem et noctem. *Lux* dicitur *bona,* quia delectabilis, pulcra et decora. — Vr. 4. *Divisit lucem a tenebris :* expositio Basilii, Ambrosii et Chrysostomi. — Vr. 5. *Dies unus :* variae expositiones; intelligendus est dies naturalis. Cur dicatur *unus* non primus iuxta Basilium et Chrysostomum. Censenda est phrasis hebraica iuxta quam *unus* primum significat. — *Dixit Deus :* iuxta communem sententiam *Deum dicere* significat voluntatis manifestationem et productionis effectum. Augustinus de Verbo Aeterno intelligit, in quo Pater omnia creavit. — *Vidit Deus :* expositio Io. Chrysostomi, Augustini, et Hebraeorum. — *Appellavitque lucem,* etc.: expositio Ambrosii et Augustini. — Vr. 6. *Fiat firmamentum :* quid intelligatur per *firmamentum* iuxta Basilium, Io. Chrysostomum et Augustinum. Intelligendum videtur coelum stelliferum et empyreum, locus Beatorum. De decem coelis mystica interpretatio Rabbini Abon Ezrae. — Vr. 7. *Divisitque aquas,* etc.: de *aquis* variae sententiae. De firmamenti natura sententia aristotelicorum a platonicis reiecta. Hebraei et multi Patres cum Platone sentiunt. — Vr. 8. *Vocavitque Deus firmamentum coelum :* diversae expositiones Hebraeorum, et SS. Patrum. Cur non dicatur hic: *Et vidit Deus quod esset bonum,* ratio S. Hieronymi et Rabbini Salomonis. — Vr. 9. *Congregentur aquae,* etc.: expositiones Io. Chrysostomi, Basilii, Ambrosii, Hebraeorum et Augustini, quae praeferenda videtur. — Vr. 10. *Vocavit Deus aridam terram :* expositio Basilii et Ambrosii. Cur aquarum congregationes maria vocentur ratio D. Ambrosii. — *Vidit Deus quod esset bonum :* Basilius

et Ambrosius commendationem hanc ad mare referunt. Alia expositio Bedae, quae praeferenda videtur. — Vr. 11. *Germinet terra herbam*, etc.: interpretatio litteralis iuxta Hebraeos. — *Germinet*: expositio Augustini, Io. Chrysostomi et Basilii. Intelligendum videtur Deum hoc verbo indidisse terrae virtutem germinandi, et terram statim fructus produxisse maturos. — Vr. 12. *Et protulit terra*, etc.: expositiones variae Hebraeorum. — Vr. 13. *Et vidit Deus*, etc.: cur terra tribulos producat, ratio Augustini. — Vrr. 14-15. *Fiant luminaria*, etc.: de creatione et natura luminarium eorumque officiis expositiones Hebraeorum, et catholicorum. — Vrr. 16-18. *Fecitque Deus duo luminaria magna*, etc.: expositio Patrum Graecorum, Augustini, et Hebraeorum. — Vr. 19. *Et vidit Deus*, etc.: utilitas luminarium commendatur. — Vr. 20. *Producant aquae reptile*, etc.: interpretatio litteralis. Pisces et volatilia dicuntur ex aquis produci, quia iisdem elementis componuntur. — *Sub firmamento coeli*: per *firmamentum* hic aer intelligitur. — Vr. 21. *Creavit Deus cete grandia*: expositio Hebraeorum. *Cete* est nomen genericum significans omnes pisces grandiores. — Vrr. 22-23. *Crescite et multiplicamini*: variae interpretationes Hebraeorum. — Vr. 24. *Producat terra*, etc.: his verbis Deus terrae contulit virtutem producendi animalia, quae statim producta fuerunt. — Vr. 26. *Faciamus hominem*, etc.: variae expositiones Hebraeorum. Sententia Rabbini Salomonis omnino reiicienda. Iuxta catholicum sensum his verbis pluralitas Personarum in Deo significatur. — *Homo* etymologice terram significat, duplici tamen modo hebraice designatur, ad significandam duarum naturarum coniunctionem. — *Ad imaginem et similitudinem nostram*: non anthropomorphice, sed analogice accipienda sunt haec verba. Omnes creaturae habent in se quoddam Dei vestigium; solus homo habet similitudinem Dei ratione animae intellectualis, habet imaginem Dei ob tres animae potentias. Expositio D. Augustini. Intelligi possunt haec verba etiam ut synonyma. — *Et dominetur*: cum homo nobilior sit ceteris creaturis, omnibus dominatur. — Vr. 27. *Creavit Deus hominem*, etc.: falsa interpretatio Rabbini Salomonis. Iuxta catholicos *ad imaginem suam* refertur ad Deum, vel ad Christum, qui erat homo futurus, *primogenitus omnis creaturae*. — *Masculum et feminam*, etc.: falsa expositio Hebraeorum. Sic dicitur quia ex Adam mulier quoque condenda erat. — Vr. 28. *Crescite et multiplicamini*, etc.: expositiones Hebraeorum. His verbis Deus Matrimonium benedicit et gratiam virtutemque largitur ad propagandum genus humanum. Non includunt haec verba praeceptum singulis, sed tribuunt facultatem. — Vrr. 29-30. *Ecce dedi vobis*, etc.: homini Deus concedit tantum esum vegetabilium. — Vr. 31. *Dies sextus*: de die sexto expositiones variae. — *Valde bona*: universitas rerum commendatur et benedicitur . Pag. 111-204

CAPUT SECUNDUM

Vrr. 1-3. *Perfecti sunt coeli et terra*, etc.: expositio litteralis iuxta Hebraeos. Epilogus est omnis creationis. — *Complevit die septimo*, etc.: variae expositiones. — *Requievit*, idest cessavit a creatione novae creaturae, non autem a gubernatione. — *Benedixit diei septimo* etc.: expositiones Hebraeorum. Benedictio haec significat diem septimum mancipandum esse cultui divino. — *Quod creavit ut faceret*: diversae interpretationes. — Vrr. 4-5. *Istae sunt generationes*, etc.: interpretationes Hebraeorum. Haec verba significare videntur compendium creationis omnium rerum terrestrium et coelestium. — *Coelum et terram*: simul nominantur quia simul creata. — *Antequam esset*: haec verba innuunt omnia creata fuisse non causis naturalibus, sed divina virtute. — Vr. 6. *Fons ascendebat*, etc.: expositio Hebraeorum. Magis innuitur terrae productionem tunc evenisse iussione Dei non causis naturalibus, quia adhuc non pluerat. — Vr. 7. *Formavit igitur Dominus Deus hominem*, etc.: expositio Hebraeorum. His verbis Sacra Scriptura ostendit Deum ipsum formasse corpus hominis de terra, probabiliter ministerio angelorum, et animam rationalem per creationem corpori infudisse tanquam ipsius formam. De humani corporis constitutione; descriptio elementorum et singularum partium corporis humani. — Vr. 8. *Plantaverat Dominus Deus paradisum . . . a principio*: interpretatio Hebraeorum. Quae de hoc paradiso dicuntur litteraliter accipienda sunt. — Vr. 9. *Produxitque Dominus*, etc.: quia homo vitam materialem agebat, cibo etiam materiali indigebat. Fructus paradisi maxime conferebant ad vi-

tam conservandam. — *Lignum scientiae* sic dicitur ab effectu postea secuto. — Vrr. 10-14. *Et fluvius egrediebatur*, etc.: describitur paradisi amoenitas; variae sententiae de fluminibus paradisi. — Vr. 15. *Tulit ergo Dominus*, etc.: homo extra paradisum formatus, in eum transfertur. — *Et custodiret illum*: variae interpretationes. — Vrr. 16-17. *Praecepitque ei*, etc.: de *ligno scientiae*, variae expositiones Hebraeorum. Lignum illud natura quidem bonum, a Deo tamen prohibitum fuit, ut per obsequium obedientiae homo agnosceret dominatorem suum et donis quae acceperat se dignum ostenderet. — Vr. 18. *Non est bonum esse hominem solum*, etc.: his verbis Deus coniugium instituit tanquam naturae munus ad genus humanum propagandum. — Vr. 19. *Formatis igitur*, etc.: adducuntur animalia ad Adam non vi, sed voluntate Dei, ut agnoscerent hominis dominium. — *Omne enim quod vocavit Adam*, etc.: ostenditur Adam habuisse scientiam infusam. — Vr. 20. *Appellavitque Adam nominibus suis*, etc.; secundum eorum naturas et proprietates nomina imposuit, probabiliter lingua hebraica. — Vrr. 21-22. *Misit Dominus Deus soporem*, etc.: an costa illa fuerit Adam superflua, vel necessaria variae sententiae. Tenendum videtur de integritate eius corporis fuisse. — *Et aedificavit Dominus Deus costam*, etc.: ostenditur non per creationem, aut per modum naturae, sed arte Dei productam fuisse mulierem, et de latere, quia socia debet esse hominis. — Vrr. 23-24. *Hoc nunc os ex ossibus meis*, etc.: de substantia viri significatur creatam esse mulierem. — *Quamobrem relinquet homo*, etc.: vaticinium de Matrimonii sacramento eiusque muneribus. — *Erunt duo in carne una*: variae interpretationes. His verbis innuitur indissolubilitas matrimonii. Etiam ob copulam illicitam efficitur una caro et impedimenta inde exurgunt respectu matrimonii. — Vr. 25. *Et non erubescebant*: expositiones Hebraeorum. Non ex inscitia vel ignorantia, sed ob statum innocentiae et iustitiae originalis non erubescebant. Iustitia originalis non erat gratia gratum faciens, sed gratis data; residebat in inferiori animae parte, ubi nunc residet fomes peccati. Effectus proprius huius iustitiae non erat ordinatio voluntatis in Deum, sed ordinatio sensuum inferiorum in spiritum. Alius effectus originalis iustitiae erat immunitas a quovis dolore, infirmitate et morte . . . . Pag. 204-253

CAPUT TERTIUM

Vr. 1. *Sed et serpens erat callidior*, etc.: per *serpentem* et animal et satanas significatur. De natura tentatoris qua angelus est, et qua diabolus. Angeli sunt substantiae spirituales, una cum coelo empyreo creati, miris supernaturalibus donis exornati, inter quos Lucifer eminebat. Ut supernaturalem beatitudinem mererentur, praeceptum observandum a Deo acceperunt, probabiliter adorandi Verbum incarnandum. Iussioni huic multi obtemperarunt; alii, Lucifero duce, spreverunt, contra Deum insurrexerunt, et proelio facto angeli fideles praevaluerunt et in inferna rebelles detruserunt. Lucifer factus hominis immanissimus hostis, eum perdere volens, in serpentem ingreditur ad mulierem tentandam. — *Cur praecepit vobis*, etc.: expositiones Hebraeorum. Mulierem primum aggreditur ut, ea victa, virum etiam facilius vincere posset. — *Ut non comederetis ex omni ligno paradisi*: a mendacio incipit subdole extenuans vim divini praecepti. — Vrr. 2-3 *Cui respondit mulier*, etc.: Ostendit mulier vim praecepti divini in suo spiritu infirmatam; imo videtur reputare indebite sibi impositum fuisse. — Vrr. 4-5. *Nequaquam moriemini*, etc.: de natura illius arboris. Serpens magis audet et veracitatem Dei aperte negat. — *Eritis sicut Dii*, etc.: mulierem, a serpente seductam, invadit mentis elatio. — Vr. 6. *Vidit igitur mulier*, etc.: expositiones Hebraeorum. Peccatum internum mox subsequitur externum et ad peccatum virum quoque inducit. — Vr. 7. *Et aperti sunt oculi amborum*, etc.: expositiones Hebraeorum. Peccato commisso et originali iustitia perdita, statim concupiscentia coepit in membris vigere. Iustitia originalis et dona illam concomitantia non erant homini naturalia, sed convenientia. Decebat tamen hominem probare quodammodo illa mereri tam sibi quam successoribus suis. Si sola mulier peccasset ipsa sola gratiam amisisset. Amissio iustitiae originalis evenit ex violatione pacti a Deo cum homine statuti, vi cuius Adam transmittere debebat per generationem in posteros tum iustitiam tum reatum et reatus poenas. — Vr. 8. *Ad auram post meridiem*: variae expositiones Hebraeo-

rum. Dei ambulatio et locutio figurate accipiendae sunt, vel per angelum factae. — Vrr. 9-10. *Vocavitque Dominus*, etc.: inter arbores ob verecundiam absconditos Deus protoparentes vocat non ut ignorans, sed ut veniam exposcerent. — Vr. 11. *Quis enim indicavit tibi*, etc.: Deus hominem vult peccatum suum confiteri. — Vr. 12. *Dixitque Adam*, etc.: Adam autem in mulierem et quodammodo in ipsum Deum culpam retorquet. — Vr. 13. *Quare hoc fecisti? Quae respondit*, etc.: mulier item serpentem accusat. — Vrr. 14-15. *Quia fecisti hoc*, etc.: maledicitur simul serpens et diabolus, quia ille instrumentum huius fuit. Quia diabolus citra ullam veniae spem damnatus est, sine ulla inquisitione maledicitur prae omnibus animantibus. Implicite ob peccatum omnes bestiae maledictae fuerunt, sed prae omnibus serpens exhorrendus et cavendus declaratur. — *Super pectus tuum gradieris*, etc.: tenenda videtur sententia quae asserit serpentem ante tentationem alium incedendi modum habuisse. Verba haec metaphorice intelligenda sunt; per *pectus* significantur cogitationes malae et pravi motus concupiscentiae quibus homines diabolus tentat; per *terram* intelliguntur homines, qui tentationibus consentiendo super se diabolum repere sinunt. — *Inimicitias ponam*, etc.: qui per mulierem hominem vicerat, per aliam mulierem et filium eius vincendus erit. Diabolus dicitur insidiari *calcaneo* Christi, idest humanitati eius, quam in passione momordit. — Vr. 16. *Multiplicabo aerumnas tuas*, etc.: expositio Hebraeorum. Mulier, quae prius peccavit, prius punitur et magnis doloribus afficitur, et sub viri potestate constituitur. Sententia haec sexum complectitur, non singulas mulieres; omnes tamen quodammodo has aerumnas patiuntur; etiam quae natura steriles sunt, quia sterilitas maius malum in natura est quam fecunditas; et illae quoque quae continentiam ob Dei amorem colunt, quia tentationibus resistere debent. Una excipitur Sanctissima Virgo, quae Spiritus Sancti gratia concepit, sine dolore peperit Virgo semper manens, nec sub viri potestate fuit. — Vrr. 17-19. *Quia audisti vocem*, etc.: quinque maledictionibus plectitur homo; prima: ob eius peccatum terrae maledicitur; secunda: laboribus ipse subiicitur; tertia: terra, quamvis culta, spinas germinabit; quarta: adeo homo laboribus subiicitur, ut sine ipsis victum sibi comparare nequeat; quinta: qui dono gratiae immortalitate donatus erat, post peccatum lege mortis damnatur. Tamen per has poenas spiritualia mala principaliter intelligenda sunt. Post peccatum novum foedus initum fuit inter Deum et homines. Peccatum et poena aeterna per Christum deleta sunt, sed legibus doloris et mortis homo perpetuo subiacet. — Vr. 20. *Et vocavit Adam nomen uxoris suae Eva*: mulier *Eva* vocatur, quia futura erat mater omnium hominum per consuetum naturae cursum, uno excepto Iesu Christo, qui ex sola muliere natus est secundum carnem; ideo maiore merito mulier vocatur *vita*. Expositio R a b b i n i A b r a b a n e l in hunc locum. — Vr. 21. *Fecit quoque Dominus Deus*, etc.: variae expositiones Hebraeorum. Deus dedit Adam et uxori eius tunicas ad se contegendum ob verecundiam, et ad defendendum corpus ab intemperie, ex pellibus factas, ut recordarentur se esse mortales. Putatur etiam illos docuisse animalia occisa, quorum pellibus se operiebant, in sacrificium offerre, quo praefigurabatur futurum Christi sacrificium. — Vr. 22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis*, etc.: ironia amarissima hominem pellibus indutum quasi Deo similem praedicare. — *Ne forte sumat de ligno vitae*, etc.: Deus ligno illi tribuerat virtutem servandi hominis vitam ante peccatum, non autem postea. — Vr. 23. *Et emisit eum*, etc.: e paradiso eiicitur Adam in locum ubi formatus fuerat. — Vr. 24. *Et collocavit ante paradisum*, etc.: expositiones de Cherubim. De paradisi situ variae sententiae. Ex verbis Scripturae erui posse videtur paradisum plantatum fuisse non extra nostrum orbem, sed in parte orientali regionis Eden, ibique Adam et Cain eorumque filii usque ad diluvium habitasse; de qua regione loquitur etiam E z e c h i e l. An adhuc existat paradisus terrestris prorsus ignoratur. Cherubim collocatur ante paradisum ad praecludendam hominibus *viam ligni vitae*, quia si de illo comedissent forte multo longius vitam protraxissent. Pag. 253-328

CAPUT QUARTUM

Vr. 1. *Adam vero cognovit*, etc.: initium genealogiae humanae. Fines Matrimonii. Descriptio formationis corporis humani per generationem. — *Possedi hominem per Deum*, etc.: variae interpretationes Hebraeorum. Eva sic locuta est forte putans Cain futurum esse Messiam. — *Rursumque peperit*, etc.:

interpretationes Hebraeorum. — Vr. 2. *Fuit autem Abel*, etc.: pius Abel pastor, iniquus Cain agricola. — Vrr. 3-5. *Factum est . . . post multos dies*, etc.: expositio Hebraeorum. Tenendum est Adam docuisse filios suos sacrificia Deo offerre. Sacrificium duplex: internum et externum. Multiplex finis sacrificii. Sacrificia antiquae legis virtutem suam ex sacrificio Christi deducebant et illud praefigurabant, cuius virtus in aeternum manet. Traditio Hebraeorum de sacrificio Adam. — *Et respexit Dominus ad Abel*, etc., quia sacrificium eius externum interno iungebatur, non autem ad Cain. — Vrr. 6-7. *Quare iratus es*, etc., paraphrases huius loci et variae expositiones iuxta varios sensus Textus Hebraici. His verbis significari videtur libertas electionis inter bonum et malum. Per liberum arbitrium intelligitur liberum rationis iudicium et libera potestas in eligendo. Finis ultimus non est obiectum liberae electionis, nec media quae cum fine illo necessario cognoscuntur connexe; sed ea media quae vel non habent, vel non cognoscuntur habere necessariam connexionem ad finem. Liberum arbitrium est facultas resultans ex coniunctione intellectus et voluntatis; principaliter tamen in voluntate consistit. Liberum arbitrium cogi non potest quoad actum interiorem, potest tamen impediri per organorum laesionem. Triplex conditio liberi arbitrii: in puris naturalibus, sub generali influxu gratiae Dei; sub speciali influxu, in quantum est liberum a culpa; et demum liberum a miseria. Sub speciali influxu gratiae primi parentes bonum facere poterant, sed etiam eligere malum; in nobis vero imperfectior est. In puris naturalibus liberum arbitrium imperfectissimum est, quia actum condigne meritorium aeternae vitae elicere non potest; potest tamen de congruo sub generali influxu gratiae Dei surgere a peccato, quam gratiam Deus semper praestat, imo praevenit liberum arbitrium. Cain ergo, licet gratia speciali destitutus, frenare poterat appetitum peccati. — Vr. 8. *Dixitque Cain ad Abel*, etc.: paraphrases huius loci. Stulte putabat Cain fratrem suum causam extitisse ne Dominus in eum respiceret. — Vrr. 9-12. *Ubi est frater tuus ?* etc.: variae expositiones. Deo interroganti arroganter respondit, putans Deum latere crimen suum. — *Vox sanguinis fratris tui*, etc.: variae expositiones Hebraeorum. Per *sanguinem* intelligenda est anima ipsius Abel, qui *defunctus adhuc loquitur*. Ex hoc loco arguitur immortalitas animae. Veritas catholica de animae immortalitate in conciliis proclamata, in Sacrae Scripturae auctoritate fundata, ab ethnicis philosophis etiam admissa, a doctoribus tum hebraeis tum catholicis propugnata, multis rationibus probata ex animae natura, et ex absurdis quae sequerentur. *Maledictus eris super terram*, etc.: expositiones Hebraeorum. Tres poenae Cain infliguntur: maledicitur ipsi, maledicitur terrae propter ipsum, ad perpetuo instabilem et profugam vitam damnatur. — Vrr. 13-14. *Maior est iniquitas mea*, etc.: variae lectiones et diversae Hebraeorum expositiones. Verba haec significare videntur desperationem Cain de venia Dei. Non sunt tamen reiiciendae aliae interpretationes. — Vr. 15. *Septuplum punietur :* diversae Hebraeorum expositiones. Frequenter in Sacra Scriptura pro indeterminato numero septenarius ponitur; ideo interpretandum hic videtur: *multum punietur ;* et iuste quidem, quia solus Deus, vel iudex constitutus scelus vindicare possunt. — *Signum* Cain positum censetur fuisse *tremor membrorum*. — Vr. 16. *Egressusque Cain a facie Domini*, etc.: Deus est ubique, quod probatur ex Scriptura, ex auctoritate philosophorum ethnicorum, et multis rationibus. Ex immensitate Dei non sequitur quod dandi sint loci infiniti. Deus totus adest rebus omnibus, quia immensus, adest singulis, quia purissimus spiritus, non totaliter, sed praesentialiter, potentialiter, essentialiter. Dicitur specialiter esse in aliquo loco, ubi excellentius virtutem suam ostendit, vel per angelos apparuit, sicut legitur in Scriptura pluries fecisse. Ideo dicitur *Cain egressus a facie Domini*, idest ab eo loco ubi angelus sibi visus et locutus fuerat. — *Habitavit profugus in terra*, etc. variae interpretationes. — Vr. 17. *Cognovit autem Cain*, etc.: ob necessitatem eam mulierem in uxorem duxit, quae sibi sororio iure coniuncta erat; quod postea prohibitum fuit a lege divina. Ecclesiae leges quoad Matrimonii impedimenta consanguinitatis et affinitatis. Matrimonium verum quoad naturae officium datur inter infideles, si fiat iuxta legem naturalem; inter christianos est verum Sacramentum si fiat inter personas nullo impedimento ligatas, iuxta ritum Ecclesiae. Rationes quibus introducta fuerunt impedimenta. Ob honestatem Sacra Scriptura subticet Cain sororem suam duxisse uxorem. Putandum est Cain uxorem duxisse antequam fratricidium perpetrasset. Cain, relinquens terrae culturam ob maledictionem, civitatem aedificare coepit. — Vrr. 18-19. *Porro Enoch genuit Irad*, etc.: variae lectiones ex litterarum analogia et diversa pro-

nuntiatione. Genealogia Cain texitur ut deveniatur ad Lamech, qui putatur Cain occidisse. — Vrr. 20-22. *Genuitque Ada Iabel*, etc.: Lamech in perversitate omnes descendentes Cain superavit, primus bigamiam introduxit, et iniquorum filiorum pater extitit. — Vrr. 23-24. *Audite vocem meam*, etc.: narratiuncula Iosephi Flavii. Variae nostratum expositiones. Dubitatur an Lamech loquatur affirmative, an interrogative. — Vr. 25. *Cognovit quoque Adam*, etc.: interpretatio Hebraeorum. Adam videns filios Cain perversos esse, novae generationi operam dat, ex qua Christus nasceretur. Seth nativitas protoparentum ob mortem Abel maximum dolorem lenivit. — Vr. 26. *Sed et Seth natus est filius*, etc.: variae expositiones Hebraeorum. Admitti nequit sententia asserens tempore Enoch idololatriam incepisse. Enos electus fuit a Deo ut fideles coetus ad Deum solemniter colendum congregaret . . . . Pag. 329-424

CAPUT QUINTUM

Vrr. 1-2. *Hic est liber generationis Adam:* exorditur enarratio genealogiae Adam ad ostendendum stipitem populi hebraici ex quo Christus nasciturus erat. — *Et benedixit illis*, etc.: benedicit corpori conferens illi virtutem ad generandum, animae ad dominandum cunctis animalibus. — Vrr. 3-5. *Vixit autem Adam*, etc.: diversitas inter Textum Hebraicum et Septuaginta in computatione horum annorum. Non erant lunares anni illi, sed solares. — *Et genuit ad imaginem suam:* imago et similitudo filii cum patre naturalis est, quia ambo prorsus eiusdem sunt naturae. Potest etiam interpretari Seth simillimum fuisse patri in lineamentis corporis et virtutibus animae. — *Et mortuus est:* quaeritur cur homo moriatur. Anima est forma corporis substantialis, non tantum assistens, nec una pro omnibus, contra Platonem, Themistium et Averroen; est veritas catholica quae etiam rationibus evidentissimis probatur. Qua sensitiva pendet a corpore in operando, qua intellectualis independens est. Non anima, sed eius unio cum corpore pendet a dispositionibus corporis; his destructis, necessario haec unio dissolvitur. — Vrr. 6-8. *Vixit quoque Seth* etc.: iuxta Hebraeos Seth citius Adam mortuus est quia citius eo coniugium contraxit. — Vrr. 9-11. *Vixit vero Enos*, etc.: idem dicitur de Enos; — Vrr. 12-14, de Caina; — Vrr. 15-17. de Malaleel. — Vrr. 18-20. *Vixit autem Iared*, etc.: Iared autem quo ceteris continentior longior quoque vita fuit. — Vrr. 21-24. *Ambulavitque Enoch cum Deo*, etc.: variae lectiones; interpretatio Hebraeorum. Sententia communis nostratum est Enoch translatum fuisse in paradisum ibique adhuc vivere. Tamen verba haec significare possunt integerrimam vitam huius patriarchae, ex more loquendi Sacrae Scripturae, quae interpretatio magis conformis videtur Textui Hebraico, eo magis quia ignoratur an adhuc paradisus ille existat. — Vrr. 25-27. *Vixit quoque Mathusala*, etc.: continentia vitae omnes praedecessores Mathusala antecelluit, ideo omnes aetate superavit. — Vrr. 28-31. *Vixit autem Lamech*, etc.: diversitas enumerationis et computationis annorum inter Textum Hebraicum et Septuaginta. — *Iste consolabitur nos*, etc.: expositiones Hebraeorum. Prophetice locutus est Lamech, praevidens hunc filium superstitem fore a clade diluvii. — *Noe vero cum quingentorum esset annorum*, etc.: admirabilis virtus Noe, qui tandiu vitam caelibem egit et nonnisi Dei monitu creditur uxorem duxisse. — Sem licet non primogenitus, primo loco ponitur ob excellentiam eius meritorum. Discutiuntur causae longitudinis vitae Patriarcharum. Anni illi non erant lunares, nec Arcadum trimestres, nec decies breviores solaribus, sed veri anni solares censendi sunt, ex modo loquendi Sacrae Scripturae, et ex more Iudaeorum. Causae longitudinis vitae erant optima complexio physica, proportionata temperies elementorum corporis, conservatio humidi vitalis et caloris virtute alimentorum, bonus siderum aspectus, et tandem voluntas Dei. Primi homines erant fortissimae complexionis, optimae proportionis elementorum, alimentis perfectissimis nutriebantur, continentes et temperatissimi erant, plagam optime temperatam incolebant, ubi optimus erat siderum aspectus. Deus etiam sic disposuit, ut magis species humana propagaretur et in scientiis et artibus homines instituerentur . . . . Pag. 424-470

CAPUT SEXTUM

Vrr. 1-2. *Cumque coepissent*, etc.: *filii Dei* intelligendi non sunt angeli, nec magnates populi, sed filii Seth qui probi et iusti erant; impudentia vero filiarum Cain seducti, eas sibi uxores acceperunt et a via Dei aversi sunt. — Vr. 3. *Non permanebit spiritus meus*, etc.: variae lectiones et expositiones. *Spiritus* significat rationalem animam corpori infusam. Concedit Deus centum viginti annorum spatium ad poenitendum. — Vr. 4. *Gigantes autem erant*, etc.: expositiones Hebraeorum. Intelliguntur homines vasti corpore et animo scelestissimi. — Vrr. 5-7. *Videns autem Deus*, etc.: figurate loquitur Sacra Scriptura ad ostendendam universitatem corruptionis humanae, ut Deus ipse provocatus videatur ad iracundiam. — *Delebo, inquit, hominem*, etc.: paraphrasis huius loci. Deus consilium non mutat, sed mutat sententiam. Dei voluntas immutabilis est, quia est ipsa divina essentia; libera tamen est, quia non ex necessitate diligit quidquid diligit; diligit necessario suam bonitatem, diligit libere cetera bona. Deus igitur est immutabilis, rerum mutabilitatem volens. Est substantia simplicissima, actus purissimus, esse necessarium; ideo mutari non potest. *Poenitere* dicitur quia non creaverat hominem ut eum deleret, sed ut beatificaret. — Vr. 8. *Noe vero invenit gratiam*, etc.: inter universalem corruptionem solus Noe iustus invenitur. — Vrr. 9-10. *Hae sunt generationes Noe*, etc.: insinuat Scriptura Noe tres filios tantum habuisse. — Vrr. 11-13. *Corrupta est autem*, etc.: *terra* et *caro* hic homines peccatores significant. — Vrr. 14-16. *Fac tibi arcam*, etc.: Deus Noe iubet arcam facere, mensuras praescribit et formam structurae. — Vr. 17. *Ecce ego adducam* etc.: diluvium interminat. — Vrr. 18-19. *Ponamque foedus meum*, etc.: foedus cum illo iterum initurum se esse promittit quod ab initio creationis cum mundo statuerat. — Vrr. 21-22. *Tolles igitur tecum*, etc.: fidelis Noe omnia complet quae Deus illi mandaverat . . . . . Pag. 471-502

CAPUT SEPTIMUM

Vrr. 1-3. *Ingredere tu et omnis domus tua in arcam*, etc.: propter iustitiam suam Noe a diluvio salvatur et per eum totus mundus restauratur. Animantia quoque ex mundis septena, bina ex immundis arcam ingrediuntur. — Vrr. 4-5. *Adhuc enim, et post dies septem*, etc.: variae expositiones. Septem dies adhuc conceduntur ultra centum viginti annos, ut iniqui, si velint, convertantur. Ostenditur Dei misericordia peccatores ad poenitentiam expectantis; in ipsa quoque vindicta, dum acerbissima morte illos punire potuisset. — Vrr. 6-9. *Et ingressus est Noe*, etc.: etiam animalia arcam sponte ingrediuntur. — Vrr. 10-12. *Anno sexcentesimo vitae Noe, mense secundo*, etc.: variae expositiones. Mensis secundus hic non ab initio anni sed post completum sexcentesimum annum vitae Noe intelligendus videtur. — *Et facta est pluvia*, etc.: diluvium hoc causis naturalibus factum non fuit, sed voluntate divina, causis naturalibus concurrentibus. — Vrr. 13-16. *In articulo diei illius* etc.: adhuc ostenditur perfecta Noe obedientia qui, Deo adiuvante, omnia in arca recte disposuit; ostenditur etiam Dei protectio super iustum, claudendo arcam et eam gubernando diluvio durante. — Vrr. 17-20. *Factumque est diluvium*, etc.: ex verbis Sacrae Scripturae deducitur diluvium fuisse universale geographice. — Vrr. 21-23. *Consumptaque est omnis caro*, etc.: leni morte Deus impios praefocat, dum potuisset crudeliori supplicio eos interimere. — Vr. 24. *Remansit autem solus Noe*, etc.: omnes perierunt; solus Noe et familia eius salvati sunt in arca . . . . . Pag. 502-517

CAPUT OCTAVUM

Vrr. 1-3. *Recordatus autem Deus*, etc.: figurate loquitur Sacra Scriptura, quia in Deum oblivio cadere non potest. Memoria et intellectus in Deo sunt idem cum sua essentia, ideo in divino intellectu dari non potest specierum mutatio. Eodem actu simplicissimo et seipsum et cetera omnia cognoscit. Dicitur *recordari* quia, cessante causa diluvii, iterum determinavit mundi saluti providere, foedus promissum restaurando. — Vrr. 4-5. *Mense septimo, vigesimo septimo die mensis*, etc.: variae computationes

borum mensium. Septimus mensis computandus videtur non post secundum mensem, quo diluvium incoepit, sed a die quo inundare coepit; et idem dicitur de mense decimo cuius prima die cacumina montium apparuere. — Vrr. 6-9. *Dimisit corvum:* corvus emittitur, qui amplius non revertitur. Expositiones Hebraeorum. Emittitur columba, quae reversa est, aquarum inundatione adhuc perseverante. — Vrr. 10-12. *Expectatis ultra septem diebus*, etc.: rursus columba emittitur, quae cum ramo olivae regreditur; denuo autem emissa amplius reversa non est. Computando tempus ab initio diluvii usque ad tertiam emissionem columbae, pervenitur ad sexcentesimum primum annum et mensem vitae Noe. — Vrr. 13-14. *Igitur sexcentesimo primo anno*, etc.: dicuntur aquae exiccatae quia, Deo iubente, in locum suum reversae sunt. Tempus omne quo Noe in arca permansit duodecim menses sunt et dies decem et septem. — Vrr. 15-17. *Locutus est autem Deus*, etc.: sicut iubente Deo Noe in arcam intraverat, sic post eiusdem iussum de arca egreditur. — Vrr. 18-19. *Egressus est ergo Noe*, etc.: Noe patientia commendatur. — Vrr. 20-21. *Aedificavit autem Noe*, etc.: pius Noe statim ac de arca egressus sacrificium obtulit, quod ad clementiam Deum flexit. — Vr. 22. *Cunctis diebus terrae*, etc.: Deus promittit non amplius terrae se maledicturum. Sex anni tempora distinguunt Hebraei. Pag. 518-533

CAPUT NONUM

Vrr. 1-3. *Benedixitque Deus Noe*, etc.: duplex Dei benedictio: benedicit corpori conferens uberrimam virtutem generatricem ad speciem propagandam, benedicit animae dominium tribuens et praepotentiam quandam in animalia. — *Et omne quod movetur*, etc.: carnes animalium Deus in esum hominibus relaxat. — Vrr. 4-7. *Excepto quod carnem*, etc.: vetat tamen esum sanguinis. Variae interpretationes huius loci. Prohibitio haec data fuit ad cohibendam crudelitatem; terribiles vindictas minitatur Deus in eum qui effuderit humanum sanguinem, etiam in feras. — Vrr. 8-11. *Ecce ego statuam pactum meum*, etc.: Deus iterum cum Noe foedus erigit, promittens se non amplius adducturum esse diluvium. — *Et ad omnem animam viventem*, etc.: quia animalia propter hominem creata sunt, cum illis etiam eundem pactum statuit. — Vrr. 12-16. *Hoc est signum foederis*, etc.: quo securiores fiant de veritate promissi, signum huius pacti in nubibus ponit. Arcus iris, eius origo et natura . Pag. 534-547

CAPUT UNDECIMUM

Vr. 1-4. *Erat autem terra labii unius*, etc.: texitur genealogia populi hebraici, quae initium habuit a dispersione descendentium a Noe. Cum homo socialis sit, vocibus indiget veluti signis ad manifestandos mentis conceptus. Signa haec ad placitum sunt instituta, non a natura. Voces, quibus utebantur descendentes a Noe, communes omnibus erant; unicam veluti familiam formantes, et eandem loquelam habebant. Primo incoluerunt regionem prope locum ubi arca requieverat; postea aliam opportuniorem magisque accommodam quaesierunt in Sennaar, ibique, Nemrod duce, civitatem amplissimam altissimamque turrim construere proposuerunt, ut omnes iuncti morarentur securi, potius quam inglorii dividerentur. Magnitudo admiranda civitatis illius et turris describitur. — Vrr. 5-9. *Descendit autem Dominus*, etc.: figurate loquitur Sacra Scriptura. Dicitur Deus *descendere*, quia impedire vult constructionem illam, quae tantum ad superbiam hominum fiebat. Deus linguam confundit ut causam tollat qua omnes in illud opus convenerant. — *Descendamus*. Pater alloquitur divinas Hypostases. An peccaverint homines illi in hac aedificatione variae sententiae. Probabilius videtur illos peccasse, quia nimio gloriae appetitu hoc opus aggressi erant, et spreto Dei regimine, Nemrod iniquum regem sibi constituere volebant. Ideo Deus confusionem linguarum immisit ut a malo opere desisterent. Identitas naturae cum diversitate linguarum nihil confert ad consociandos animos. Deus confundit linguam eorum rationem et memoriam interturbando, illos oblivisci faciens consueta signa et voces, novasque species in mentem immittendo; et sic mutua aversione perciti in universam terram disperguntur. Nemrod et qui idem idioma cum eo servaverunt, in Babel permanserunt . . . . Pag. 547-565

INDEX ALPHABETICUS
NOMINUM ET RERUM NOTABILIUM

Numerus arabicus paginam indicat.

A

Aaron sacrificium acceptum Domino obtulit 346.

Abel Christi figura 47; vanitatem significat 339; pastor fuit innocens ac simplex et Deo carus 340; eius munera Deo placuerunt, quia sacrificium eius externum iungebatur interno, et in Christum venturum credebat, et primogenita gregis sui Deo offerebat 346-347; a fratre occisus 365; *defunctus adhuc loquitur* contra fratris nequissimum scelus 368. 380.

Aben Ezra Abraham Rabbinus docet initio temporis Deum coelum et terram creasse 113-114; creationem esse productionem ex nihilo 116; *Elohim* pluraliter poni cum pro vero Deo accipitur, propter pluralitatem virtutum divinae naturae 120-121; terram initio creatam esse hanc quam cernimus 128, sed omnino spoliatam 131; per *spiritum* qui *ferebatur super aquas* intelligit ventum 134; Deum vidisse lucem bonam putat significare bonam existimasse 150; ponit decimum coelum 155; eius expositio de firmamento 161. 175; de aquarum congregatione 164. 166. 168; de herba 170, eiusque semine 172; de luminaribus, quare *magna* dicantur 179-180; de productione reptilium et volatilium ex aquis 181, deque variis speciebus viventium 184; exponit verba: *Faciamus hominem*, etc. 186-187; reprobat sententiam illorum qui dicunt Adam creatum fuisse in duabus faciebus 197; in verbis: *Crescite et multiplicamini*, asserit contineri praeceptum pro hominibus 200; carnem ante diluvium illicitam fuisse putat 202; eius expositio de *die sexto* 203-204; de sensu verborum: *Istae sunt generationes*, etc. 208-209; de *virgulto* 210; asserit vaporem ascendisse de terra ad irrigandum hortum virtute luminarium 211; hominem creatum fuisse in loco propinquo horto Eden et ambulasse statim ac formatum 214; Deum plantasse hunc hortum in loco qui dicitur Eden, ad partem orientalem 227; refert Gaon dicere Phison esse fluvium Aegypti 231, et lapidem onychinum esse lapidem pretiosum 232; tenet Gehon esse flumen prope terram Israel 233; hominem positum fuisse in paradiso ut custodiret illum a bestiis ne foedarent eum 234; exponit verba: *Morte morieris* 235; *Non est bonum hominem esse solum* 237; docet hominem fuisse plenum scientia a creatione 238; distinguit tres species somni 240; exponit verba: *Hoc nunc os*, etc., et: *Duo in carne una* 244; tenet angelum per serpentem locutum fuisse 254, et alia verba dixisse, quae Scriptura non refert 261; affert varias opiniones de arbore scientiae 268-269; asserit Adam cognovisse uxorem suam statim ac peccavit 270; exponit verba: *Cum audissent vocem Domini*, etc. 274-275; *Sub viri potestate eris* 291; *Donec revertaris in terram* 305; *Et vivat in aeternum* 317; *Maledicta terra in opere tuo*, 380; *Maior est iniquitas mea*, etc. 386; *Septuplum punietur* 390; docet animae immortalitatem 371-372; aedificantes turrim nihili peccasse asserit 559.

Abimelech a Deo punitus 294.

Abrabanel Isaac Rabbinus asserit quod si Eva non peccasset, una vice tantum concepisset

290; quinque maledictiones in Adam inflictas fuisse 298; maledictionem terrae post Adae mortem ablatam fuisse 305; negat ante peccatum Adam ignorasse mulierem ad gignendos filios ei datam fuisse 308-309; exponit sensum vocis: *Eva* 310-311; refert varias opiniones de tunicis 311; ait *Cherubim* significare filios, et *gladium* angustias et afflictiones 318; exponit verba: *Possedi hominem per Deum* 337; dicit Cain coluisse terram quia sprevit maledictionem Dei 340; inter Cain et Abel ortam esse contentionem circa excellentiam respectivae artis 341; tria peccata commisisse Cain: infidelitatis, fratricidii et mendacii 366; sed doluisse de peccato suo 386-387, et mortem ad expiationem desiderasse 390; *signum* Cain positum timorem et pavorem fuisse 391; sororem secum natam in uxorem duxisse 404; et terrae culturam ob maledictionem reliquisse 410; Noemam carmina et melodias adinvenisse, et uxorem Noe fuisse, sed mortuam ante diluvium 414; annos a S. Scriptura enumeratos solares esse 429; Adam tandiu vixisse quia continens fuit, Seth autem viginti quinque annis citius eo mortuum esse, quia totidem matrimonium anticipavit 441; Lamech prophetasse maledictionem terrae in nativitate Noe ablatam fuisse 450-451; refert opinionem Hebraeorum iuxta quam duplex causa ponitur longaevitatis Patriarcharum: una naturalis, mystica altera 456; Hebraeorum sententiam et suam affert de denominatione gigantum 479-480; tenet tempore diluvii aquas e subterraneis locis erupisse 511; et ascendentes arcam in sublime sustulisse 514-515; septimum mensem connumerat supra mensem secundum quo diluvium incepit 522; ait corvum semper prope arcam volitasse, sed iuxta aliquos in arcam reversum non esse quia nati ei erant pulli albi 525, Noe vero corvum emisisse ut videret an adhuc civitates consisterent 525-526; Noe quadraginta dies expectasse de arca egredi quia quaternario numero cuncta sunt a Deo disposita 527; opinionem eorum confutat qui aiunt Deum ad iudicii domum sermonem direxisse cum dixit: *Descendamus*, etc. 558-559; et eorum qui asserunt nihili peccasse turrim aedificantes 560-561.

Abraham Dominum vidit in convalle Mambre 401; centenarius erat cum Isaac natus est 454; mortuus in senectute bona 455, in spelunca duplici in Hebron sepultus fuit 325. 447.

Abyssus aquarum multitudinem significat 97. 511.

Adam dictus ab *adama*, idest terra 190-191; dicitur etiam *Hisc*, idest vir, et post peccatum, *Enos*; graece vocatur *terrigena* ratione corporis: *vir*, ratione mentis: *sursum vergens*, ratione utriusque 191; est nomen proprium totius speciei humanae, sed principaliter primi hominis in quo tota species humana continebatur 192. 425-426. 473; in Adam mulier quoque creata fuit quia ex eo condenda erat et ideo dicitur: *Masculum et feminam creavit eos* 199; astrorum scientia praeditus fuit ab initio suae creationis 234; praecepto illi dato mulier quoque et omnes eius posteri obligantur 236; animalibus nomen imposuit secundum eorum naturas et proprietates hebraica lingua, quae ab illo inventa semper in hebraica familia postea permansit 239-240; circa meridiem creditur peccatum commisisse, qua hora postea secundus Adam in cruce sublatus fuit 276; peccato commisso suam culpam in mulierem retorquet 279; quinque poenis plectitur 299-300; filios instruxit sacrificia Deo offerre 342; ipse quoque, accepta Redemptoris promissione, creditur sacrificium obtulisse pro se et uxore sua ad peccati expiationem 345-346; post mortem Abel novae generationi operam dedit, ex qua Christus nasceretur 419-420; prope Eden habitavit et in Hebron in spelunca duplici sepultus creditur 325. 446-447.

Aegyptii sub hieroglyphicorum formis depictis multa abstracta edocere solebant 32-33; annum designabant per serpentem suam caudam mordentem 429. 454; ante Moysen anno solari utebantur 453-454.

Aegyptus densis tenebris operta fuit 79.

Aenigma tropus 16.

Aer unum ex quattuor elementis corporum 108. 217.

Affinitas impedit matrimonium citra quartum gradum 406.

Alexander Aphrodisius docet Deum esse ubique 395.

Allegoria tropus frequentissimus in S. Scriptura 15.

Amalecitae ob peccatum eorum patrum omnes occiduntur 285.

Ambrosius S. docet initio temporis Deum coelum et terram creasse 113; verbum: *Creavit*, interpretatur: fecit 116; dicit coelum ὀρανός vocari, quia minime densum 124; per *coelum* intelligit corporalem creaturam 125; tenet angelos creatos fuisse ante hunc mundum visibilem 127; per *terram* intelligit materiam visibilem 128; per

tenebras corporis coelestis obumbrationem 132; per *abyssum* copiosam multitudinem et profundum aquarum 133; per *spiritum* qui *ferebatur super aquas*, Spiritum Sanctum 134-135; tenet solem quarta die creatum fuisse 136; per divisionem lucis a tenebris intelligit distinctionem earum naturae contrariae 141; per *vespere*, finem diurni temporis, et *mane*, finem nocturni 143-144; rationem assignat qua Moyses primum diem appellavit *unum* et non primum 144-145; *Deum dicere* ait iussionem significare 140; *Deum videre* lucem bonam, opus commendare 149; lucem appellare diem et tenebras noctem, distinctionem significare inter utramque 151; *firmamentum* non esse coelum initio creatum 153; *aquas* non significare creaturas spirituales 157; coelum ex elementis esse compositum 160; firmamenti nomen denotare firmitatem coeli exteriorem 161; *aquas* congregatas et *aridam* esse elementa haec quae cernimus 163; aridam esse proprium terrae 166; unam esse congregationem aquarum, quamvis variis nominibus pro regionum varietate designetur 168-169; mare dici bonum ob eius utilitates 169.

Amelita eius aqua nullo vase contineri poterat 93.

Amos propheta figuratis locutionibus utitur 37.

Anacoenosis schema 35.

Anadiplosis schema 21.

Analepsis schema 21.

Anaphora schema 20.

Anastrophe tropus 18.

Anaxagoras docet mundi facturam 54; ex chao atomorum mundum a divina Mente compositum 79. 130.

Anaximander naturalium rerum principium ponit atomos ex chao factas 79.

Angelus creati fuerunt angeli initio temporis cum coelo empyreo 125-127; tanquam illius splendidissima astra 255; etiam mali Deo dicuntur assistere, quia executores sunt divinae iustitiae 189; credi potest Deum usum esse ministerio angelorum ad formationem corporis Adam 214-215, et Evae 243; angelus est substantia spiritualis, intelligentia praedita, immortalis, perfectissima Dei imago, excellentissima inter omnes creaturas 254-255; maximis donis naturalibus et supernaturalibus angeli donati erant et naturalem beatitudinem a principio possidebant 256; ut etiam supernaturalem mererentur creditur Deus illis praecepisse, ut humanam naturam a Verbo assumendam adorarent 257; multi, Lucifero duce, divinum mandatum spreverunt, sed de paradiso in inferna detrusi fuerunt 258-259. Quoties in Scriptura legitur Deum apparuisse, hoc per angelos fecisse intelligendum est, qui tunc corpora assumebant quibus videri et audiri potuissent 401.

Anima humana non est de substantia Dei, neque ex traduce, neque de potentia materiae educitur, sed a Deo immediate creatur simulque corpori infunditur et continet virtualiter vegetativam et sensitivam 192. 215. 436. 476; informat corpus, sed non mensuratur nec dependet a corpore, et tota in toto ac singulis partibus est 215. 431; insufflata dicitur in faciem, quia in facie omnes sensus percipiuntur vigere 216; ligatur corpori calore, spiritu ac primigenio humido, quibus deficientibus dissolvitur eius unio 220; infunditur corpori quarto circiter mense a conceptione 335; est immortalis 369-379; non una datur pro omnibus 432, sed singulae pro singulis 435; est ἐντελέχεια, idest actus primus et forma corporis 436. 534; dicitur ὁρίζων et confinium corporalium et spiritualium formarum 438; vocatur *spiritus Dei* per specialem creationem 476.

Animalia tum volatilia tum bestiae terrae ex aqua et terra formata fuerunt 238 et ad Adam ducta non secundum phantasiam tantum, sed realiter, non tamen ministerio angelorum sed per extimulationem in illa a Deo immissam 238; distinctionem inter munda et immunda Noe a Deo accepit 503; ex sese arcam ingrediuntur tempore diluvii 507.

Anna Samuelis mater, in praemium virtutis fecunda 295; septem filios genuit 391.

Annus anni a Scriptura enumerati non lunares sunt, nec Arcadum trimestres, nec decies breviores solaribus, sed vere solares censeri debent, qui duodecim mensibus constant 427-428. 454-455. 528.

Anselmus S. docet *dicere* in Deo idem esse ac intueri et intelligere 147.

Antimetabole schema 29.

Antiphrasis tropus 17.

Antiprosopon schema 33.

Antitaurus mons Armeniae 551.

Antitheton schema 29.

Antonomasia tropus 12-13.

Anthropomorphitae haeretici existimabant Deum et corpus et animam habere 31. 193.

Ἀνθρωπος-πάθος, seu Ἀνθρωπος-πάθεια, sive ethopoeia, schema 31; per hanc figuram S. Scriptura multa de Deo loquitur 481. 490. 520. 556.

Aposiopesis schema 24.

Apostrophe schema 33.

Aqua unum ex quattuor elementis corporum 48. 108. 218; allegorice significat Baptismum et aeternam beatitudinem et Spiritum S. 48-49; per aquas *superiores* intelligitur coelum crystallinum, per *inferiores* unum ex quattuor elementis corporum 156; iussu *in unum locum* congregandi significatur eas accepisse speciem determinatam et locum debitum 165-166; quaevis aquarum congregatio sive salsae sint sive dulces, hebraice *maria* vocantur 168; haec congregatio *bonum* dicitur ob utilitates segregationis aquae a terra 169; natura sua aquae terram operire deberent, sed divina lege intra statutos limites continetur, haec autem lex tempore diluvii abrogata fuit 449-450; sed postea iterum statuta 543-544.

Arbitrium libertas arbitrii significatur praecepto divino Adae facto 236; innuitur verbis Domini ad Cain: *Nonne, si bene egeris*, etc. 349; dominari potest concupiscentiam peccati 351; per liberum arbitrium intelligitur liberum rationis iudicium in eligendo 352; est animae *facultas*, non habitus, nec potentia 352-354; et est circa bona particularia quae cum beatitudine necessariam connexionem non habent, vel non cognoscuntur habere 353; ad exercitium liberi arbitrii requiruntur intellectus iudicans et voluntas eligens, est tamen principaliter actus voluntatis 354-355; velle malum est defectus libertatis 356; liberum est etiam respectu necessarii, quoad deliberationem autem non est nisi contingentis 356-357; eius actus interior cogi non potest ab aliquo agente creato vel increato, sed moveri potest a Deo in aliud affectionem eius mutando 357; impediri potest per laesionem corporalem sed nunquam cogi 358; in primis parentibus non peccare poterat 359; etiam cum munere gratiae in nobis imperfectius est, quia non potest non peccare saltem venialiter 359; gratia destitutum non potest sua virtute a peccato surgere, nec meritorie elicere actum virtutum supernaturalem 361; potest tamen de congruo per attritionem et contritionem surgere a peccato et gratiam consequi, quam Deus semper offert 362.

Arca figura Ecclesiae 47; fabricanda Noe praecipitur 495; mensurae et proportiones et modus constructionis indicantur 496; extrinsecus a Deo clausa 513, et superne gubernata durante diluvio 514, supra montes Armeniae requiescit 522.

Archita mundi facturam docet 54.

Aristoteles contra omnes philosophos tenet mundum aeternum esse 53-54. 113. 118; hanc thesim probare nititur a motus aeternitate 56-60; a natura coeli 60-64, ab etymo aetheris 64, a sententia antiquorum qui ponunt coelum esse deorum domicilium 64; docet tria esse naturalium rerum principia: materiam, formam et privationem 80-82; sed quid sit principium minime docuit 84-85; ponit formam esse substantiam una cum composito 88; naturam esse principium motus passivi 88; materiam primam esse nec quid, nec quale, nec quantum 90; coelum non esse sunapte natura igneum 102-103; terram esse immobilem, cum sit centrum mundi 103-104; mundum a Deo dependere sine principio et fine 118; docet actiones esse suppositorum 122; fallaciam esse a divisis concessis concludere ad coniuncta 123; coelum non esse compositum ex elementis, sed quintam quandam essentiam incompositam 157; mortem definivit caloris extinctionem 220. 459; electionem desiderium consiliabile 354; animae immortalitatem videtur admittere 372-373; Deum collocat in primo coelo 395; animam definivit actum primum corporis physici, organici, potentia vitam habentis 436; paradig na brevitatis vitae ob lasciviam affert de passerum maribus 463; voces asserit ad placitum esse 550.

Armenia regio montuosa, primo culta a filiis Noe post diluvium 551.

Arphadax filius Sem, biennio natus post diluvium 453.

Asyndeton schema 25.

Athanasius S. negat dici posse divinas Personas esse tres creantes, tres sapientes 123.

Augustinus S. affirmat omnia quae in Scriptura narrantur aliquid significare 44; verba: *In principio*, intelligendum esse de Verbo aeterno 112; assignat discrimen inter *creare* et *facere* 116; per *coelum* in principio creatum intelligit angelos 125-126. 153; per *terram* autem materiam primam 128. 133, informem 129, quae tamen aliquem actum habebat ut posset esse subiectum commune cunctis formis 131; per *tenebras* intelligit simpliciter lucis carentiam 132; per *abyssum* ipsam materiam primam 133; per *spiritum* qui *ferebatur super aquas* divinam voluntatem 134; docet solem quarta die creatum 136; *lucem* in corporibus primum locum tenere 138, et suo motu naturali effecisse diem

et noctem 140; verbum: *dicere*, de Verbo aeterno interpretatur 147, per quem Pater omnia creavit 148-149; *Deum vidisse* significare Deum complacuisse 150; *Deum appellasse* autem, omnia distinxisse ut discerni possent et nomina acciperent 151; tenet coelum esse igneae naturae 160-161; congregationem aquarum et aridae apparitionem significare formam et naturam illis dedisse 164; docet Deum res creatas gubernare secundum earum naturas 165. 359; terram super aquas esse fundatam 166; *germinet terra*, etc. significare datam terrae fuisse virtutem generandi 171; asserit herbas etiam noxias suas utilitates habere 173; luminaria facta esse in signa temporum 176, non in initio diei ac noctis, sed ut praeessent 179; primum hominem Adam appellatum fuisse, quia terra ex qua formatus fuit, ex quattuor mundi partibus sumpta fuit 192; imaginem Dei in homine collocat in mente, notitia et amore 195; hominem ad imaginem Dei creatoris factum esse 198; quae de paradiso dicuntur asserit spiritualiter intelligi posse, dummodo historiae veritas non laedatur 227; *lignum vitae* datum fuisse homini ne senesceret 230; animae immortalitatem docet 372; de diluvio Ogygis loquitur 510.

Averroes Cordubensis Mahumetanus, duas animas in homine finxit, unam essentialem, sensitivam, materialem, mortalem; alteram intellectualem, assistentem, incorpoream, immortalem 432. 434.

Aves ex aquis proficisci dicuntur, quia ex vapore aqueo originem trahunt 182.

B

Babel civitas in terra Sennaar 552; eius constructio a Nemrod inita ut regni sedes et caput esset, et a Semiramide eius muri mirum in modum instaurati 555; sic dicta a divisione linguarum 364.

Balaam a Balac accersitus ut malediceret filios Israel, sed ab angelo gladium in manu tenente impeditus fuit 326. 402.

Basilius S. affirmat Moysem esse auctorem Pentateuchi 112; *In principio* significare in primo instanti temporis 113; *Deus creavit* idest fecisse 116, *coelum* seu corporalem creaturam 125-126, *terram* idest materiam 128; docet angelos ante mundum visibilem esse creatos 127. 132; per *tenebras* intelligit corporis coelestis obumbrationem, quia omne corpus umbram facit 132; per *abyssum* copiosam multitudinem et profundum aquarum 134; per *spiritum* qui *ferebatur super aquas*, Spiritum S. 134-135; asserit solem quarto die creatum 136; lucem primo creatam lucidissimam substantiam fuisse 138, quae diem faciebat et noctem effundendo vel retrahendo splendorem suum iuxta divinum imperium 140; per *divisionem lucis a tenebris* intelligit Deum eis dedisse impermixtam naturam 141; per *vespere* diem intelligit, per *mane*, noctem 144; primum diem *unum* vocari autumat tum ad significandum diem naturalem constare viginti quattuor horis, tum quia principium temporis fuit et imago futurae vitae 144-145; *Deum dicere* intelligit divinae voluntatis praeceptum 146; tenet firmamentum non esse eam aeris partem in qua nubes condensantur quamvis ob eius perspicuitatem coelum appelletur 152-153. 162; nec aquas significare mentes angelicas 157; commentitiam esse sententiam de quinta substantia 160; per aquas congregatas et *aridam* intelligit has quae videntur 163; *aridam* vero esse nomen designans terrae naturam 166; mare bonum dici ob magnas utilitates 169; *germinet terra* ait significare Deum terrae virtutem dedisse fructus ferendi 171; diem definit aerem luce illuminatum, noctem vero non esse privationem lucis solaris, sed tempus quo luminaria nocturna apparent 176; asserit mulierem quoque ad Dei imaginem creatam esse 200.

Beda S. per *coelum* intelligit empyreum statim ac creatum angelis simul creatis repletum 125; per *terram* autem materiam primam 128; per *tenebras* lucis carentiam 132; per *vespere*, finem diurni temporis et per *mane* finem nocturni 143; in medio firmamenti statuit coelum sidereum de aquis factum 160; *Deum vidisse* quia bonum significare opus commendasse 169; *lignum vitae* sic appellatum fuisse, quia virtutem acceperat sanitatem et vitam hominis perpetuo servandi 230.

Behemoth diabolum significat 14. 126.

Bestiae terrestria animalia dicuntur, quia in eis terrae elementum praedominatur et in terra degunt; sed praecipue sic dicuntur quae non reptant, sed pedibus ambulant et indomitae sunt 185; quamvis multae ferocitate et viribus hominem vincant, tamen ab eius aspectu contremiscunt 535. 539.

C

Caesar Iulius annum in meliorem formam redegit 427.

Cain acquisitionem significat 337; terram coluit 340; Deo non placuit nec eius sacrificium, quia ex maligno erat et opera eius mala et fructus viliores offerebat 346; invidens fratris gratiae a Deo admonetur 347-349; etsi gratia destitutus in eius tamen potestate erat appetitum frenare et gratiae oblatae assentiri 363; existimans fratrem Abel in causa fuisse ne Deus in se suaque munera respiceret, illum occidere deliberavit 365, stulte putans crimen suum Deum latere 366; propterea a Deo maledicitur ipse 381; maledicitur terrae propter ipsum 382; exilio perpetuo et vagatione damnatur 384; desperans de miseratione Dei, eum iniustitiae et infidelitatis insimulat 387; eius verba interrogative etiam intelligi possunt, quasi admiretur tam gravem esse iniquitatem suam ut tantis poenis plecti mereatur 389; *signum* illi a Deo positum creditur fuisse tremor membrorum 391; licet gravissimum fuerit eius crimen tamen a Deo tantum aut a iudice constituto puniri poterat 392; post fratris necem habitavit prope paradisum in regione Naid 402-403; sororem duxit in uxorem ob necessitatem 408; et hoc verum matrimonium fuit et putatur etiam sacramentum fuisse; probabiliter ante fratris necem uxorem duxit; primo filio genito, civitatem coepit aedificare 409; Cain genealogia a S. Scriptura texitur ut deveniatur ad Lamech, qui putatur eum occidisse 411. 417; Cain posteri omnes pariter iniqui 412.

Cainan filius Enos 442.

Caro eius esus prohibitus ante diluvium 203. 314, postea vero licitus factus 536; sic etiam vocantur homines, praesertim peccatores 476; carnis esus cum sanguine prohibitus 540.

Caspii montes Armeniae 551.

Cassianus Io. tenet angelos creatos fuisse ante hunc mundum visibilem 127.

Catachresis tropus 13-14.

Catara tropus 36.

Caucasi montes Armeniae a diluvii aquis superati 515.

Cete significant pisces grandiores 183.

Cham filius Noe 453, malus 540.

Characterismos schema 33.

Chavila regio prope Mesopotamiam, dicta etiam Cabalia, seu Cabana 232-233.

Cherubim positi fuerunt ad paradisi custodiam 326, quae post eius eversionem omnino cessavit 327; intelligi possunt etiam angeli infimi chori 328.

Chrysostomus Io. S. asserit Moysen esse auctorem Pentateuchi 112; per *coelum* intelligit corpus coeleste 125; per *terram*, materiam 128; per *abyssum*, copiosam multitudinem et profundum aquarum 133; per *spiritum* qui *ferebatur super aquas*, vim quandam et motum vitalem 134; tenet solem quarta die fuisse creatum 136; per *divisionem lucis a tenebris* intelligit Deum illis distribuisse proprium tempus 141; primum diem *unum* appellatum fuisse ad ordinem statuendum 144-145; *Deum vidisse lucem quod esset bona*, significare operis commendationem 149-150; appellatione diei et noctis vocabula indidisse luci et tenebris 151; affirmat unum tantum esse coelum 153; aquas iussas esse congregari in unum, quia operiebant terram 163; terram statim maturasse fructus cum praeceptum germinandi accepit 171; serpentem aliam habuisse formationis figuram ante maledictionem 284-285; post peccatum Adam terram prope regionem paradisi incoluisse 325.

Christus metaphorice varie figuratus 9. 51; *iustus, filius David, filius hominis, sanctus, innocens* antonomastice vocatus 13. 338. 345; corpus suum templum appellat 49; dicitur primogenitus omnis creaturae, ad cuius imaginem homo creatus fuit 198; Iudaeos vocat filios diaboli 259; prudentiam serpentis et simplicitatem columbae docet 260; Deus verus est et homo perfectus 338; *Dominus iustus* et *vir* a Ieremia vocatus 338; seipsum pro nobis obtulit immaculatum Deo, cuius sacrificii virtus perpetua est ac infinita 344. 360; immortalitatem animae contra Sadducaeos docet 371; Sacerdos secundum ordinem Melchisedech 453.

Cicero citatus 22-23. 25-29. 33. 35-36. 116-117.

Cyrillus Alexandrinus S. asserit hominem ad Christi imaginem factum esse 198.

Clemens V Pontifex Viennense concilium celebravit 436.

Climax schema 23.

Coelum habere contrarium, fatetur antiquitas et sensus demonstrant 62-63; in coelo aliquando mutationem factam fuisse tradunt Hebraei et poetae 64-65; coelum perpetuo motu, luce et calore donatum, unum est ex duobus rerum naturalium principium 99-101; summo calore et humiditate praeditum est 106-108; sumitur

etiam pro eo aeris spatio ubi nubes condensantur in quibus aquae continentur 152. 511; et pro coelo empyreo una cum angelis creatum et illis repletum 125-126; quae sententia confirmatur a concilio Lateranensi, a Decretalibus, et a Textu Hebraico 126-127; novem esse coelos deprehenderunt antiqui, decem nostrates et etiam nonnulli Hebraeorum 154-155; coelum simul cum terra a principio unico Dei verbo creatum fuit 210; metaphorice dicitur habere fenestras et cataractas 511.

Cognitio in Scriptura vocatur adhaesio viri ad mulierem in matrimonii actu 329.

Columba a Noe bis de arca dimissa bis revertitur, tertio emissa non amplius reversa est 526.

Concilium Lateranense definivit Deum initio temporis angelicam et mundanam creaturam creasse 126.

— **Viennense** docuit animam intellectivam esse formam essentialem hominis et immortalem 370. 436.

Consanguinitas contrahitur etiam in copula meretricia 247; matrimonium dirimit citra quartum gradum 404-406.

Corpus sphaericum, orbiculariter mobile, necesse non est motum habere perpetuum 58-59; iuxta peripateticos corpus coeleste est frigidum ac simplex et quaedam specialis substantia incorruptibilis et immutabilis 157; iuxta academicos calidum et igneum est, et compositum ex quattuor elementis corporum, sed modo excellentiore 157-160. Corpus humanum effinctum fuit divina manu, de limo terrae 214; ad efformandum hominis corpus probabiliter Deus usus est ministerio angelorum, sicut eo utetur ad reformanda corpora in resurrectione 215; describitur corpus humanum quoad singulas eius partes 216-226; prima elementa corporis quattuor sunt: terra, aqua, aer, ignis 217; horum qualitates: siccitas, frigus, humor, calor 218; elementa et qualitates aquae temperata, temperamentum efficiunt 219; calor, primigenium humidum et spiritus sunt ceu vincula quibus anima corpori ligatur, quibus dissolutis a corpore emigrat 220; dicitur ὕλη, seu materia, una ex duabus partibus quibus homo constat 534.

Costa ex qua mulier formata fuit, de integritate naturae Adae erat 242; reposita cum carne subintelligenda est etiam cum osse 243; de costa mulier formata fuit, non de pede aut de capite, quia socia, non serva aut domina hominis est 243.

Creare est actio divina qua ex nihilo aliquid producitur 116; significat etiam productionem ex aliquo 117; iungitur in singulari - *creavit* - nomini plurali *Elohim*, ad significandam unitatem essentiae et operationis divinarum Personarum ad extra 122-123.

Creaturae omnes habent in se vestigium quoddam Dei Patris, ratione existentiae, Filii, ratione pulcritudinis, Spiritus S., ratione propensionis ad se communicandas 193-194.

Cyprianus S. dicit primum hominem Adam vocatum fuisse quia terra, ex qua formatus fuit, ex quattuor mundi partibus collecta est 192.

Cyrus fluvius Armeniae 551.

D

Daemones nihil in hominem agere possunt nisi permittantur 190. Vide *Lucifer*.

Damascenus Io. S. tenet luminare lumen non esse sed luminis receptionem 139; lucem primo creatam diem et noctem fecisse per sui praesentiam vel absentiam 140; per *coelum* intelligit coelum sphaericum sine stellis 153; docet angelum esse substantiam incorpoream, intellectualem et liberam 254.

David propheta dicit Deum docere hominem scientiam et beatos esse homines a Deo edoctos 3; saepe figuratis locutionibus utitur 23. 26-27. 35, et multa de Deo figurate loquitur 31. 50; vincens Goliath typus Christi 51; dicit Deum in sole tabernaculum habere et ideo coelos enarrare gloriam eius 101-102; Deum mare creasse 169; pisces magnos dracones vocat 183; corpus hominis dicit a Deo plasmatum 214; de Christi regno loquitur 258; hominem peccatorem iumentis similem esse praedicat 300. 313. 484; misericordiam Dei animam praevenire 362; Deum esse omnipraesentem 394. 481; hominem a Deo paulo minus infra angelos constitutum 426; de duratione vitae hominis loquitur 455; de Dei iustitia vindictam peccatorum exigente 483; dicit Deum poenitere secundum misericordiam 485; Deum terram super aquas fundasse quibus terminum imposuit 500.

David Kimchi Rabbinus assignat differentiam inter creare et formare 117; ait nomen *Elohim* esse numeri pluralis ratione maiestatis 120; dictionem תהו significare desolationem et vacuitatem 129; *abyssum* vero copiosam multitudinem et profundum aquarum 133; per *spiri-*

tum qui ferebatur super aquas intelligit motum et agitationem 135; differentiam assignat inter germen et herbam 170; verba: *Ad auram post meridiem*, de vento intelligit 275, et: *Sub viri potestate eris*, interpretatur: desiderium tuum ad virum tuum 291.

Deisis schema 36.

Deus mundum creavit quando voluit et quomodo placuit; ab aeterno operatur quidquid operatur in tempore; noluit mundum ab aeterno creare ne putaretur necessario creasse; vel etiam quia impossibilis est creatio ab aeterno 66; non mutatus est mundum creans, quia dum operatur non seipsum perficit sed opera quae creat 67; *Deum dicere* significat divinae voluntatis iussionem 146; et accipi potest essentialiter, notionaliter, et utroque modo 147; *dicere* Dei, facere est 148; et *Deum videre*, bonitatem operis commendare 150; *requievisse die septimo* dicitur, quia nova creaturarum genera ultra non condidit, universam creationem tamen semper administrat 206; cum dicitur apparuisse, ambulasse, locutum fuisse, figurate intelligenda sunt eaque per angelos facta 275-276; sicut apparuit Abrahae, Loth, Iacob, Moysi, David, Danieli et multis aliis 401-402; hominem lapsum misericorditer prosequitur ut ad poenitentiam provocet 277-278; tanto odio peccatum execratur ut etiam peccati instrumenta, quamvis irrationabilia, poenis afficiat 285; Cain redarguit ut peccatum suum agnoscat et poeniteat et convertatur 248-251; interrogando Cain de fratre eius ostendit se cordis illius cogitationes cognoscere 366; Deus ubique praesens est et omnem implet locum 394-395. 481; ubique totus non totaliter, sed potentialiter, praesentialiter, essentialiter 399; dicitur specialiter esse in aliquo loco, quia excellentius ibi virtutem suam ostendit 400; figurate dicitur *poenitere* hominem fecisse ad ostendendam peccatorum gravitatem et divinam voluntatem eos puniendi 482; in Deo est ira quia vult omne malum punire, sed sine passione 483; Deus non mutat consilium, sed sententiam; Deum ergo poenitere non significat Deum mutari, quia velle et intelligere in Deo sunt sua essentia quae est immutabilis 484-490; figurate dicitur *Deus recordari*, quia etiam in diluvio misericordia eius ostenditur 505-506. 516; in Deum oblivio non cadit, nam memoria, intellectus et species rerum identificantur cum divina natura 520; recordari in Deo est velle misereri 520; et significat determinationem divinae voluntatis, quae in Deo mutationem non inducit nisi ex parte effectus 521; figurate dicitur *odorasse* sacrificium Noe ad significandam acceptationem 531; promittit non amplius terrae maledicere 532; pactum ab initio creationis positum et tempore diluvii confractum, iterum statuit usque in in finem mansurum 533; benedicit Noe et filiis eius 534; dominium in bestias confert 535; esum carnium concedit 535-536. 540; prohibet tamen esum sanguinis 537, ad cohibendam crudelitatem non tantum in homines, sed etiam in ipsa animalia 540-541; terribiles poenas minitatur in quem effuderit humanum sanguinem, in feras ipsas 542; promittit non amplius diluvium inducere et huius foederis signum ponit in nubibus 543-545; figurate etiam dicitur *descendere* ad impediendam constructionem turris et civitatis 556-557.

Dies hebraice significat tempus quo lux solaris lucet super terram, et etiam spatium viginti quattuor horarum diei naturalis 142; dies *unus* pro primo, phrasis hebraica est 144; *diei septimo* Deus benedixit, quia cultui divino applicatum voluit 207.

Diluvium etymon vocis hebraicae 498; creditur incepisse mense Ianuario vel Februario 510; nonnulla diluvia contigisse tradunt antiqui 510; diluvium factum fuit Dei virtute naturalibus tamen causis concurrentibus 511; omnem terram prorsus cooperuit 515, et omnes homines interemit 517.

Diodorus per *spiritum qui ferebatur super aquas* intelligit Spiritum Sanctum 134.

Diogenes aerem posuit omnium rerum principium 79.

Dionysius Areopagita columen et culmen theologiae 372; docet duplicem esse S. Scripturae intelligentiam: unam spiritualem, arcanam et mysticam, alteram litteralem, manifestam et notiorem 39; ait divinum radium nobis lucere per velamina corporearum similitudinum 43; per lucem primo die creatam videtur intelligere solem 136. 138-139; docet Deum non violare rerum naturas, sed temperare 165; naturam angelicam describit 255; asserit angelos supremi chori non mitti, sed tantum angelos infimae hierarchiae, ideo custodiam paradisi ait praestitam fuisse per aliquem inferiorem 328; docet animae immortalitatem 372.

Dives epulo inique agens, sepultus est in inferno 380.

E

Eclipsis schema 24.

Ecphonisis schema 35.

Eden ubi paradisus a Deo plantatus fuit 227; delicias et voluptates saepe significat in S. Scriptura, aliquando loci cuiusdam ac provinciae nomen est, ab amoenitate sic dicta 227; ad orientalem plagam Eden Cain habitavit post maledictionem 227. 402-403; a quo non longe Adam quoque et Seth et filii eorum habitaverunt 464; a diluvio inundatus et eversus fuit 515.

Elementa corporum sunt quattuor: terra, aqua, aer, ignis 217.

Elias figura Io. Baptistae 50-51; super sacrificium eius Deus de coelo ignem misit 346; translatus dicitur, sed in quem locum Scriptura non prodit 327; et per paradisum intelligi potest locus quidam excelsus a Deo illi paratus 328; nostrates aiunt in paradisum terrestrem translatum fuisse 444.

Eliezer Rabbinus tenet mense Septembri mundum creatum fuisse 508.

Elisabeth Zachariae uxor, ob virtutum merita fecunda 295.

Elohim pluralis est numeri Deum significans; significat etiam homines heroas, principes, viros praeclaros, angelos, sed nunquam singularem angelum, aut hominem 119; non est plurale maiestatis 120, nec ponitur in numero plurali ad significandas divinas virtutes, sed divinas Personas et ideo quoties hoc nomen in Scriptura verbo iungitur, hoc in singulari ponitur 121-122; non autem quando iungitur adiectivo, nisi cum magna cautela ob periculum falsi sensus 123-124.

Empedocles docet mundi genituram 54; quattuor statuit naturalium rerum principia 79-81; ait Deo omnia esse plena 395.

Emphasis schema 34.

Enoch filius Cain, instructum, dedicatum significat; est etiam civitas ex eius nomine a Cain aedificata 409.

Enoch filius Iared 442; eius translatio figura aeternae beatitudinis 48; translatus dicitur, sed in quem locum Scriptura non refert 327; nostrates dicunt in paradisum terrestrem 444; sed an adhuc vivat incertum est, et eius ambulatio cum Deo pro eius vita integra interpretatari potest, eiusque translatio pro eius placida morte ante diluvium 445-447.

Enos filius Seth, homo et debilitas interpretatur 423; a Deo electus ut cultum divinum publice instauraret 424.

Epanadiplosis schema 21.

Epanaphora schema 20.

Epicurus rerum principium posuit inaue et atomos aeterna 118.

Epiphonema schema 34-35.

Epitheton tropus 13.

Epizeuxis 21.

Erotesis seu **erotema** schema frequentissimum in S. Scriptura 30.

Ethopoeia seu **ethologia** schema 31.

Euphrates unus ex quattuor fluviis paradisi terrestris et terminus est terrae promissionis a plaga orientali 234; ab Armeniae montibus oritur 320.

Euripides ait mundum exordium sumpsisse a chao 130.

Eusebius Caesariensis tenet materiam, ex qua facta sunt omnia, ab initio esse creatam 130.

Eva sic mulier vocatur post peccatum, dum antea *virago* appellata fuerat; significat vitam, quamvis fuerit causa mortis 308; recte dicitur omnium viventium mater, quia omnes ab ea descensuri erant 309-310; putavit Cain esse Messiam a Deo promissum 337-338; ob nativitatem Seth maximo gaudio perfunditur, quae ob mortem Abel maximo dolore affecta fuerat 420-422.

Exetasmos schema 30-31.

Ezechiel propheta figuratis locutionibus utitur 28; eius visiones 39. 52. 154; de sapientia et magnificentia loquitur regis Tyri, et Pharaonis regis Aegypti 256-257; et de regione Eden 325-326; ait Deum velle peccatoris poenitentiam 494.

F

Figurae locutionis fiunt per additionem 20; per detractionem 24; per similitudinem 27;

Filius uxore ducta tenetur prius huius necessitatibus subvenire, postea parentum 245; *filii Dei* vocantur iusti descendentes a Seth ob cultum Dei, quem habebant, sed amore mulierum cainitarum a pietate aversi sunt 471-474.

Firmamentum hebraice significat extensionem, ideo ab Hebraeis vocatur coelum; iuxta aliquos est ea aeris pars ubi nubes condensantur 152; per *firmamentum in medio aquarum* communiter intelligitur coelum stelliferum 153-156.

Forma aristotelica non potest esse principium rerum, quia non est ingenita, nec permanens, nec est substantia 86-88; formae maneut in mixto 95.

G

Gaon Sahadiha Rabbinus citatus ab Aben Ezra 131. 146. 175. 181-182. 186. 207. 231-232. 254.

Gedeon dux Hebraeorum sacrificium Deo obtulit 346.

Gennadius asserit firmamentum compositum ex materia fluxa, postea vero solida effecta 160.

Gehon fluvius paradisi terrestris communiter tenetur esse Nilum 233.

Gigantes antiquorum fabulae 478. 553; homines intelliguntur corpore vasti, statura proceri, viribus fortissimi, sed nequissimi 478. 553, qui alios opprimebant 480; diluvio omnes perierunt 516.

Gladius *flammeus* ad custodiam paradisi positus, significare potest fulgura angelico ministerio emicantia 327.

Gnidius Eudoxus annum ordinavit 427.

Goliath gigas 13. 478; a Davide victus 51.

Graeci gloriantur esse figurarum repertores 8; venerati sunt Zoroastrem et Trismegistum tanquam philosophiae et theologiae patres 53; annum mentiebantur duodecim mensibus lunaribus 178.

Gregorius M. S. tenet angelos creatos initio creationis et primum omnium Luciferum 126-127.

Gregorius Nazianzenus S. tenet angelos creatos diu ante hunc mundum visibilem 126; per *terram* initio creatam intelligit materiam primam 128.

Gregorius Nyssenus S. tenet lucem primo creatam diem et noctem fecisse per sui praesentiam vel absentiam 140; negat animam esse formam corporis 370.

H

Haeretici iniuste suggillant Religiosos de otio, apostolum Paulum proferentes 304-305.

Halo eius origo 546-547.

Haran regio prope terram Israel 326.

Hebraei tradunt aliquando in coelo factam esse mutationem 64; asserunt angelos secunda die creatos 121. 188; numerum dualem dicunt informem 162; marem et feminam creatos fuisse copulatos a latere 199; in verbis: *Crescite et multiplicamini* aiunt contineri praeceptum pro hominibus 201-202; discrimen statuunt inter animam rationalem, sensibilem, irascibilem et concupiscibilem 214; distinguunt tres species somni 284; aiunt ad angelos referri verba illa: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est* 314; Cain et Abel in paradiso natos et gemellos fuisse, et Adam cognovisse uxorem suam statim ac de ligno vetito comedit 399; inter Cain et Abel ortam contentionem circa excellentiam respectivae artis 341; et Cain fratrem, contumeliis prius affectum, occidisse 364; et ita tria peccata commisisse: infidelitatis, fratricidii et arrogantiae 366; et reum fuisse non tantum de nece fratris, sed et omnium qui ex eo descensuri erant 367; Cain occisum fratrem in fovea abscondisse 383; *signum* ei positum canem fuisse qui custodiebat oves Abel 391; Evam in quolibet partu gemellos edidisse 339. 404; Iabel nomenclaturam Abel similem accepisse, quia et ipse pastor fuit 413; Noemam fuisse aliam uxorem Noe et mortuam ante diluvium 414; adolescentem a Lamech occisum Tubalcain fuisse 416; Lamech uxores suas, quae ab eius consortio se subtraxerant, coram Adam convenire fecisse, qui pariter a consortio Evae se subtraxerat 418; tempore Enos idololatriam coepisse 422; Iabel tabernacula fecisse ad idola ponenda et Iubal coram illis musica instrumenta contrectasse 423; annis solaribus semper usi sunt 429; dicunt antiquos Patriarchas tandiu vixisse, quia continentem vitam ducebant 441; Enoch antequam Mathusalam gigneret, vitiis propensum fuisse 444; Noe adinvenisse artem arandi terram 450; Lamech defunctum ante diluvium, Deo sic disponente ne videret exterminium 451; duplicem causam adducunt longitudinis vitae Patriarcharum, unam naturalem, mysticam alteram 456; eorum opiniones de *filiis Dei* 471-472, et de *gigantibus* 479-480; quattuor genera cedri distinguunt 495; asserunt Noe fuisse quadringentorum octoginta annorum cum mandatum accepit arcae fabricandae 502-503; statuunt duplex anni initium, unum pro profanis et aliud pro sacris 508; tenent mense Octobri incepisse diluvium 509; durante diluvio terram et aerem in aquam conversas esse 514; Og superstitem fuisse diluvio ex stirpe gigantum 517; sex anni tempora distinguunt 533; autumant Deum prohibendo esum san-

gulnis prohibuisse animal adhuc vivum comedere 538; ad domum iudicii direxisse sermonem, cum dixit: *Descendamus*, etc. 558.

Hebron ubi Adam, Abraham, Sara, Isaac, Rebecca, Iacob sepulti 325. 447.

Her a Deo percussus 329.

Heraclitus Ephesius docuit mundi facturam 54; ignem posuit rerum materialium unicum principium 79.

Herbae primaria productio herbarum et arborum non ex causis naturalibus, sed divina virtute facta fuit 211-212.

Hesiodus docuit mundi facturam 54; terram posuit rerum materialium unicum principium 79; de chao loquitur 130.

Hevila filius Chus, qui nomen Getuliae indidit 232.

— filius Iectan, qui nomen indidit regioni proximae Ophir 232.

Hieronymus S. tenet angelos diu ante hunc mundum visibilem creatos fuisse 127; per *spiritum* qui *ferebatur super aquas*, intelligit Spiritum S. 134; rationem affert ob quam Moyses de opere secundae dici non dixit: *Vidit Deus quod esset bonum* 162; asserit hominem creatum esse ad imaginem Christi 198; serpentem ante maledictionem alium incedendi modum habuisse 285.

Hilarius S. *In principio* de Verbo aeterno interpretatur 112; asserit hominem creatum fuisse ad imaginem Christi 198.

Hipparchus annum solarem ordinavit 427.

Hippocrates quattuor elementa posuit omnium rerum principia 79.

Homerus docuit mundi genituram 54.

Homo recte dicitur parvus mundus 194. 425; factus ad imaginem Dei ob animae potentias 196-197; dicitur etiam factus ad imaginem Christi 198-199, in quo una persona cum Verbo Dei factus est 315; etiam in statu innocentiae cibis vesci oportebat 228; extra paradisum formatus, in eum postea collocatus fuit 234-235; in sua creatione iustitia originali et ceteris dotibus donatus, praeceptum a Deo accepit ne comederet de ligno scientiae 235; principaliter primo homini praeceptum hoc datum fuit 272-273; post peccatum e paradiso eiicitur ut eam terram coleret unde formatus fuit 315. 317; moritur quia unio animae cum corpore a dispositionibus materiae dependent 431.

Homoeoptoton schema 27.

Homoeoteleuton schema 28.

Hugo de S. Victore per *terram* initio creatam materiam primam intelligit 128.

Humidum primigenium in corpore animali est humor quidam aereus et pinguis, innati caloris et spiritus sedes 221.

Hyperbaton tropus 18.

Hyperbole tropus 19.

Hypozeuma schema 25.

Hypotyposis schema 33.

Hypozeuxis schema 26.

Hysterologia seu **hysteronproteron** tropus 18.

I

Iabel de progenie Cain, filius Lamech 413. 423.

Iacob patriarcha Dominum vidit 400-401; sepultus fuit in Hebron 325. 447.

Iacobus S. apostolus figuratis locutionibus utitur 16. 24-25. 29; de dono coelesti loquitur 352, et de immutabilitate Dei 482.

Iamblicus asserit Deum esse ubique 395.

Iaphet filius Noe 491.

Iared filius Malalcel 442.

Icon tropus 15.

Ieremias propheta figuratis locutionibus utitur 10. 21. 37. 49; dicit Deum cum creatione pactum posuisse 115; impios Dei verba pervertere 120; Christum virum vocat 338; de prosperitate iniquorum queritur 379; de praesentia Dei loquitur 394, et de eius patientia erga peccatores 485; ait terminos aquis Deum posuisse 500.

Ierusalem a Melchisedech aedificata et a Salomone dilatata, tropologice significat animam fidelem, allegorice Ecclesiam militantem et anagogice Ecclesiam triumphantem 49.

Ignis unum ex quattuor elementis corporum 108. 217.

Imago Dei in homine est secundum animam 188. 430.

Innocentius III Pontifex concilium Lateranense celebravit 126.

Ioannes S. apostolus *quem diligebat Iesus* antonomastice dictus 13; scribit solum Iudam contra Magdalenam murmurasse 11; templum describit in Apocalypsi 52; per Verbum omnia facta dicit 112; in coelo sanctorum canticum nunquam cessare 206; Cain ex maligno fuisse, Abel autem iustum 346-347; scribit Christum dixisse sine auxilio gratiae nihil fieri posse 352; neminem saltem venialiter non peccare 359.

Ioannes Baptista propheta 13; ab Elia figuratus 50.

Ioannes Grammaticus dicit Aristotelem non negasse Deum esse productorem mundi 117.

Ioathan apologum Sichimitis proposuit 41-42.

Iob aquas dicit e visceribus terrae eductas 98; coelum empyreum ponit una cum angelis creatum 126; etiam angelos malos aliquo modo Deo assistere 189; Deum immensum esse 394; animales homines gaudentes ad inferna descendere 414; de brevitate vitae loquitur 466; animam vocat *spiritum Dei* 475; Deum ait terminis clausisse aquas 500.

Ionas propheta fugit a facie Domini 166; Deum rogavit ut tolleret animam eius 444-445.

Ionas Rabbinus citatus ab Aben Ezra 275.

Ioseph Kimchi Rabbinus tenet Gehon esse flumen Aegypti, idest Nilum 233; et verba: *Non permanebit spiritus meus*, exponit: non contendet spiritus meus 476.

Iosephus Flavius asserit primum hominem fictum in agro damasceno ex terra rubra 190-191; protoparentum inerubescentiam provenisse ex eorum infantili simplicitate et ignorantia 248; Lamech caecutientem non sponte occidisse Cain 415.

Ioseph et **Iosi Rabbini** ex aqua etymologiam coeli hebraice deducunt 124.

Iosue Rabbinus tenet mense Martio mundum creatum fuisse 508.

Iosue Hebraeorum dux, exploratores Ierichum misit 263.

Ira est vindictae appetitus, et inest Deo absque ulla passione 483.

Irad filius Enoch, de progenie Cain 410. 412.

Iris foederis signum a Deo in coelo positum, eius origo 545-546.

Ironia tropus 16-17.

Isaac patriarcha sepultus in Hebron 325. 447.

Isaac Rabbinus decem coelos ponit asserens ab Ezechiele et Zacharia designatos 154-155.

Isaias propheta populum sub hominis perditissimi specie depingit 32; ostendit Deum sacrificia execrantem 38; de superbia Luciferi loquitur 259; et de oblatione Salvatoris 344, qui ab origine mundi passus est 345; coelum vocat sedem Dei et terram scabellum pedum eius 394.

Isaac Rabbinus tenet tunicas a Deo factas Adae et uxori eius lineas fuisse 311.

Isocolon schema 29.

Iubal de progenie Cain, filius Lamech 413.

Iudas S. apostolus affert testimonium Enoch de extremo iudicio 445.

Iumenta significant animalia quae usibus hominum inserviunt 185.

Iustitia originalis erat gratia gratis data, a caritate separabilis 249; dicitur iustitia quia iustissima lex erat sensuum et partis inferioris animae ne insurgerent contra rationem 251; ideo homines non erubescebant 248; pars inferior animae subiectum erat huius iustitiae 250; alius effectus iustitiae originalis, immunitas a quovis dolore et a morte 229. 253; a parentibus per generationem in filios transmittenda erat 251; cum iustitia originali omnia dona, quae illam consequebantur, amissa fuerunt 271; iustitia et dona illa non erant homini naturalia, tamen quodammodo deposcebantur ex naturae humanae excellentia praesertim in primo homine 271-272; amissio iustitiae originalis evenit ex violatione pacti quo primus homo transmittere debebat tum dona, tum reatum et reatus poenas 273-274.

L

Labor ob peccatum lex laboris data fuit 301; non singulos perstringit, et multi sunt qui a labore materiali eximuntur 302, praesertim qui ministerio spirituali incumbunt, sicut semper observatum fuit apud Gentes, Hebraeos et christianos 303-304.

Lactantius Firmianus per *terram* initio creatam intelligit materiam primam 128; Hesiodi opinionem de chao refert 130.

Lamech filius Mathusael, ex stirpe Cain, primus bigamiam introduxit 413; putatur Cain et filium suum Tubalcain occidisse 24. 390. 417.

Lamech filius Mathusalae 447; vir iustus et continens, pater Noe, de quo prophetavit 448-450; Dei miseratione mortuus est ante diluvium 451.

Laurentius S. Moysen vocat coeleste oraculum, virum Dei spiritu plenum; summum philosophum, sapientium alpha, divinum vatem, culmen theologorum, columen philosophorum, omnigenae sapientiae plenum, omnium scientiarum archivium 1-2; asserit se habuisse quandam supernam illustrationem ad cognoscenda et explicanda mysteria quae in Genesi continentur 3; in exaranda sua Explanatione testatur se omnino velle cum S. Ecclesia sentire 5.

Lazarus mendicus in praemium virtutis ab angelis in sinum Abrahae translatus 380.

Leo X Papa Lateranense concilium celebravit 436.

Leo tropologice Christum et diabolum significat 51.

Leucippus docet mundi genituram 54; atomos posuit naturalium rerum principium 80-81.

Levi ben Gherson Rabbinus ait Deum ad Abel respexisse significare illi benedicendo 341; aedificantes turrim non peccasse 559.

Lia in praemium virtutis fecunda 294; in Hebron sepulta fuit 325.

Lignum *scientiae* sic dictum fuit ab eventu secuto 230-231. 236. 266; natura bonum erat, malum autem quia prohibitum 269; – *vitae* a Deo virtutem acceperat ut vitam humanam incolumen servaret; post peccatum virtutem hanc amisit, sed non totaliter, ideo poterat vitam prolongare 316.

Linus Chalcides docet mundi genituram 53.

Longaevitas Patriarcharum, plurimae causae quibus primi homines tandiu vivebant 459-470.

Lucanus citatus 427.

Lucas S. evangelista Dominum in synagoga Nazareth refert exponentem Isaiae prophetiam 50; lacum Genezareth *stagnum* appellat 168; genealogiam Christi ordine praepostero edisserit 418.

Lucifer prius angelus inter omnes eminentissimus, *signaculum similitudinis* Dei antonomastice dictus 257; accepta revelatione incarnationis superbe petiit ut Verbum suae uniretur naturae potius quam humanae, exaltationem Christo debitam sibi tribuere volens 258, unde cum angelis, qui pariter mandatum Verbi incarnati adorandi recipere noluerunt de paradiso eiectus fuit, factus humani generis infensissimus hostis 259; licet natura eminentior, nullam tamen vim homini innocenti inferre poterat, ideo solum divina permissione hominem tentaturus in venenosum serpentem ingreditur 259-261; prius mulierem aggreditur utpote debiliorem 262; a mendacio incipit; Deum praecipientem severitatis, duritiae et invidiae insimulat; veracitatem Dei aperte negat 262-265; scientiam divinam de fructu vetito comedentibus promittit 267; post hominis lapsum maledicitur 282, et plusquam omnia animalia 283, quia mortem aeternam generi humano intulit 284; post peccatum internis tentationibus hominem aggreditur 286-287; potestas haec illi conceditur usque ad finem saeculi huius, postea in infernum detrudetur 288; sed qui per mulierem hominem vicit, per aliam mulierem et filium eius victus fuit 289; dicitur insidiari *calcaneo*, idest Christi humanitati quam in passione momordit 289.

Luminaria *magna* sunt corpora solis et lunae 175; officia luminarium sunt diem et noctem dividere, vicissitudines meteorologicas significare, varietates temporum et anni partes indicare, super terram lucere 176-178; Patres Graeci opinantur luminaria facta esse *in potestatem* idest in initio diei 179; *magna* dicuntur quia ceteris astris maiora apparent 180; posita in firmamento dicuntur, idest in suis orbibus 180.

Lux et lucidum non differunt specie, sed subiecto 137; lux primo creata lucida quaedam substantia erat, distincta a luce solari 101. 138-139, quae per suum motum ab oriente in occidentem diem noctemque faciebat 140; bona dicitur quia utilis, delectabilis et pulcra 142.

M

Malaleel filius Cainan 442.

Malum per mala temporalia homini inflicta post peccatum, mala spiritualia primo intelligenda sunt 306; mala, quibus affligimur, novi pacti conditiones sunt quod Deus post lapsum cum homine statuit 307.

Mane significat finem nocturni temporis, quo dies illucescit 143.

Manichaeus haereticus duo rerum principia statuit: bonum et malum 112.

Manna typus Dominici Corporis, sermonis evangelici, gratiae et caritatis 51.

Maria Virgo in verbis Dei ad serpentem designata, serpentis caput contritura 288; omnino exempta a poenis quibus mulier post lapsum affligitur tum in virginitate tum in maternitate 296-297.

Materia ineffecta admitti nequit 71; materia prima non est principium rerum, quia actu nihil est, sed purum Aristotelis figmentum et omnino superflua 90-91. 96-97; imo absurda est eius positio nec explicari potest 92-94.

Mathusael pater Lamech, de progenie Cain 410-412.

Mathusala filius Enoch, continentia excellens 448; septem diebus ante diluvium mortuus 451. 505.

Matrimonium a Deo institutum in prima hominis benedictione 201; per verba Adae significata est eius indissolubilitas et unitas 245; importat communem coniugum cohabitationem et assistentiam mutuam etiam parentibus relictis 246; principaliter institutum fuit ad genus propagandum, secundarie in remedium libidinis 329; de matrimonii impedimentis affinitatis et consanguinitatis 404-406; sic dicitur quasi matris munium, quia mater officiosior est patre in prole procreanda 405; quoad naturae munus etiam infideles legitime contrahunt si fiat iuxta mores nationis 405; pro christianis Sacramentum est a Deo institutum 406; prohibitum fuit inter consanguineos ob honestatem naturalem et ad propagationem amicitiae cum alienis non consanguineis 407; in initio tamen ob necessitatem filios Adae sorores in matrimonium ducere opus fuit 408.

Matthaeus S. apostolus et evangelista Evangelium hebraice scripsit 367; Dominum refert Iudaeorum mores redarguentem 50; indissolubilitatem et unitatem Matrimonii docentem 245; necessitatem auxilii gratiae ad divina mandata servanda et vitam aeternam consequendam 362-363; animae immortalitatem 371.

Maviael filius Iared, de stirpe Cain 412.

Melchisedech Ierusalem aedificavit 49; fuit Sem, rex Salem 453.

Melissus mundi genituram docet 54; unum rerum omnium principium posuit immobile et infinitum 78. 80.

Mensis iuxta morem Scripturae est lunaris 523.

Metalepsis tropus 14.

Metaphora tropus 9.

Meteora sunt igniti vapores et accensae exalationes 106.

Metonymia tropus 12.

Michael dux militiae coelestis contra rebelles angelos praeliatus est, quos devicit 258-259.

Michol uxor David, sterilitate a Domino punita 294.

Mors homini naturalis est 305; post peccatum lex mortis in omnes lata fuit 306; evenit quia unio animae cum corpore ab huius dispositionibus pendet 439-440.

Moschici montes Armeniae 551.

Motus non est aeternus 56. 59-60.

Moyses propheta coeleste oraculum, Prophetarum hierarcha, naturalium rerum scientia edoctus, Sanctissimus Vates, omnigena sapientia plenus, divinae theologiae culmen, humanae philosophiae columen, et parens 1. 68-69. 81. 86; docet mundum a Deo in tempore creatum ex nihilo 53. 69. 72. 76. 118; duo rerum principia ponit: *coelum et terram* 81. 97-98. 100. 106-108. 128; auctor fuit Pentateuchi 111-112; nomen *Elohim* plurali numero cum verbo *creavit* in singulari iungit ad designandas divinarum Personarum pluralitatem in Deo 122. 124; loquitur tantum de creatione duorum elementorum, supremi et infimi, quia in his cetera media elementa continentur 128.

Moyses ben Nachman Rabbinus ait Cain ob fratris necem maledictum et punitum fuisse sterilitate terrae 380; opinatur Cain doluisse de peccato 386. 388.

Moyses Haddarsan Rabbinus exponit verba Dei ad Cain: *Nonne si bene egeris*, etc. 349.

Moyses Hispanus Rabbinus citatus ab Aben Ezra 187; ait imaginem Dei in homine esse non secundum corpus, sed secundum animam 188; per Cherubinos ante paradisum interpretatur infantes, seu filios, Cain et Abel, qui magnae afflictionis causa extitere parentibus 318.

Mulier in hominis adiutorium ad propagandam speciem formata fuit 237, ex costa viri quin socia eius est, ideo mox formata ad virum adducta fuit 243; mulier et vir una caro effecti, nequeunt seiungi et alteri copulari 246; prius a serpente tentata utpote debilior, incaute cum eo sermonem prosequitur 262; respondendo illius insinuationi vim praecepti divini in suo spiritu iam infirmatam demonstrat 264; credidit ligno scientiae virtutem ad intelligendum inesse 267; praeceptum Dei violavit et ad peccatum virum induxit 269; si sola mulier peccasset natura humana iustitiam originalem non amisisset 273; peccato commisso culpam suam in serpentem retorquet 280; quae prius peccavit prius punitur et maximis miseriis afficitur 291-292; aerumnae ipsi inflictae sexum universum, non singulas afficiunt 293; quamvis etiam steriles natura vel virtutis amore suis aerumnis premantur 294.

Mundus in tempore creatus 54; assertio mundi aeternitatis summa impietas est 55; thesis creationis mundi in tempore rationi est maxime consona, dum contraria positio rationi adversatur 56-78; mundum a Deo in tempore factum fuisse eruitur ex primis verbis Genesis 72.

N

Naid regio in qua Cain profugus habitavit mobilitatem significat, 403.

Natura principium motus et quietis 103; quae contra naturam sunt diu durare non possunt 105.

Nemrod gigas corpore vastus, viribus fortis, mente sagacissimus, superbus, super homines regnare coepit 552; suasit constructionem civitatis et turris 553; in qua supremus rex ipse consideret 555, spreto Dei dominio 557. 562-563; post divisionem linguarum ipse et qui idem idioma sortiti fuerant, permanserunt in Sennaar et regnum Babylonense fundaverunt 564.

Nicolaus Lyranus *Gehon* interpretatur Siloah 233.

Ninivitae poenituerunt ad praedicationem Ionae 505.

Niphates Cordica mons Armeniae ex quo Tigris oritur 551.

Noe vir integer, perfectus et continentiae admirabilis, nonnisi Dei monitu creditur uxorem duxisse 452; non plures filios habuit quam a Scriptura enumeratos 491; speciei humanae secundus stipes 492; ob suam iustitiam a diluvio cum domo sua salvatus 498. 501. 503; mandatum accepit arcae fabricandae 495; eius obedientia ad unguem exequentis Dei mandatum plurimum commendatur 502. 512. 530; a Deo edoctus et a propria scientia quaenam munda et immunda animalia essent 503-504; divinam interminationem diluvii praedicavit 506; de arca egressus sacrificium obtulit 531, et a Deo benedicitur 532; post diluvium regionem Armeniae incoluit 551.

Noema filia Lamech, lanificii artem adinvenit 414.

O

Og rex Basan 496, gigas 516.

Ogyges Thebanorum rex, Thebas aedificavit et eius tempore diluvium maximum inundavit 510.

Olympus mons altissimus a diluvii aquis superatus 515.

Onam filius Iuda, a Deo percussus 329.

Onomatopoeia tropus 13.

Origenes de arcano sensu S. Scripturae loquitur 40-41; dictionem: *In principio*, interpretatur: In Filio 112; verbum: *Creavit*, vertit: fecit 116; per *coelum* et per *aquas super firmamentum* intelligit creaturas spirituales 125. 157; *firmamentum coelum* vocari propter eius magnitudinem et perspicuitatem 162; hominem ad imaginem Christi creatum 198.

Orpheus Lebetrius docuit mundi genituram 54.

Ovidius citatus 23. 29. 510.

Ovis tropologice Christum, Sanctos, stultos et errantes significare potest 51-52.

P

Parabola tropus frequentissimus in S. Scriptura 15. 43; regulae ad interpretandam parabolam, quae multipliciter proferri potest 43-44.

Paradisus terrestris figura aeternae beatitudinis, Ecclesiae militantis et triumphantis 48. 51; plantatus ad orientalem plagam regionis Eden; quae de hoc paradiso dicuntur, historice, non omnino spiritualiter intelligenda sunt 227; ibi Deus hominem posuit ad quietam vitam ducendam; omni genere arborum consitus erat 228; situs non erat inter duos tropicos 318; nec in hemisphaerio australi 319; nec sub aequinoctiali linea 321; nec in principio cancri 323; nec extra nostrum orbem; nec ad sidera attingebat 325; sed in ea regione quae a primis parentibus post peccatum habitata fuit usque ad diluvium, et nunc quoque existit, sed paradisus ab aquis diluvii eversus fuit 326. 446; ad ostium paradisi custodia posita fuit ne homines de ligno vitae comederent et sic vitam longius protraherent 328.

Paradigma tropus 16.

Parenthesis tropus 18.

Pariedrus mons Armeniae 551.

Parmenides docet mundi facturam 54; statuit omnium rerum unum principium 78. 80-81.

Paronomasia schema 27.

Paulus S. apostolus *vas electionis* antonomastice appellatus 13; de sapientibus stultis factis propter caecitatem cordis loquitur 4; dicit caritatem finem esse legis 22; vinculum Matrimonii morte dissolvi 22; tribulationibus spem probari 24. 360; qualitates caritatis enumerat 25; perversitatem hominum in fine dierum praenuntiat et virtutem commendat 26. 36; insensatos vocat Galatas qui non credunt 37; duos filios Abrahae ad duo Testamenta refert 47; et petram deserti ad Christum 48; terram

patribus repromissam accommodat ad promissionem divinae gloriae 51; in Christo omnia condita dicit 113, et Christum archetypum esse praedestinatorum 199; Matrimonium sacramentum magnum vocat 47. 247. 406; in copula adultera quoque docet effici unam carnem 247; apud Deum non esse distinctionem personarum 200; asserit angelis revelatum fuisse a principio Incarnationis mysterium 258; mulierem, non virum deceptum fuisse 269; subsidia pro fidelibus egentibus et pro his qui ministerio spirituali incumbunt commendat 303; verbis et exemplo laborem inculcat 304; Deum dona sua libere distribuentem docet 486.

Peccatum est actus pravus, voluntarius, contra Dei praeceptum 349; sumitur etiam pro concupiscentia 350, pro voluntate ad peccatum alliciente 351, pro poena peccati et pro sacrificio 385.

Periphrasis tropus 17.

Petrus S. apostolus *petra Ecclesiae* antonomastice appellatus 13; gradu virtutum describit 23; de peccato ex certa malitia commisso loquitur 356.

Petrus Lombardus admittit tres divinas Personas Deos dici posse 123.

Philolaus mundi facturam docuit 54.

Philosophi et physiologi de natura opinabiliter conscripserunt 3, et infinitis quaestionibus se immiscuerunt 4; nequeunt claram et exactam cognitionem operum Dei tradere, tamen aliqua veritas ab illis etiam hauriri potest 5.

Philotimia amor honoris et gloriae non malus 559.

Phison fluvius paradisi, alii Gangen esse dicunt 231; alii alium fluvium in Mesopotamia 233; est etiam civitas ab eo nomen sortita 234.

Plato divinus appellatus, mundi genituram statuit 53; rerum principia tria posuit: parvum, magnum et ideam 80-82. 118; docet solem esse natura igneum 102; coelum constare ex quattuor elementis corporum 157-158, sed voluntate divina non corrumpi 159; animam esse immortalem 372; hominem solam animam esse 431, et corpus non hominis partem, sed animae instrumentum 432. 437; tres animas in homine ponit: intellectivam, sensitivam et vegetativam 436; primum mobilem seipsum movere 486; de diluviis loquitur 510-511; docet nomina naturaliter significare 550.

Plutarchus citatus 372.

Polyptoton schema 22.

Polysyndeton schema 23.

Principium dicitur quod est ceteris causa essendi 85; principia rerum finita esse debent permanentia, simplicia, contraria, ex quibus omnia naturalia generantur 82-86; principia omnium rerum duo sunt: coelum et terra 82-97.

Privatio poni nequit inter rerum principia, quia suapte natura nihil est 83.

Prosopopoeia schema, frequentissimum in S. Scriptura 32.

Protozeugma schema 25.

Ptolomaeus assignat regiones habitabiles in zona aequinoctiali 322; annum solarem ordinavit 427.

Pythagoras rerum principium numeros ponit 80-81; mundi genituram docet 54, et animae immortalitatem 372.

R

Rachel moritur in lucem edens filium 295.

Rebecca uxor Isaac, in praemium virtutis fecunda 294; in Hebron sepulta 325.

Reptile sub hoc nomine veniunt non tantum animalia quae repunt in terra, sed et quae serpunt in aqua, 181; sed praecipue quae sunt pedibus omnino destituta 185.

S

Saba regina Austri venit audire sapientiam Salomonis 50.

Sacrificium Deus docuit primos homines sacrificia offerre 313, in quibus Christus principaliter praefigurabatur 314; duplex sacrificium: internum et externum; et multiplex eius finis 343; unicum sacrificium perfectum fuit Christi caro in cruce oblata 344; sacrificia Veteris Testamenti poterant expiare peccata ex fide venturi Salvatoris 345; in signum acceptationis Deus aliquando super sacrificia ignem misit 346.

Salomon Rabbinus dicit Deum ut hominem crearet angelos consuluisse 187, sed Deo cooperatos non esse in hominis creatione 189; similitudinem Dei in homine esse secundum animam 188; sed nimis materialiter accipit dictionem: *Ad imaginem* 197; mulierem subiici homini quoad opus generationis 200; initio prohibitum fuisse esum carnium 202; mystice interpretatur

diem sextum 203, et *septimum* 206; asserit omnia creata fuisse a principio in duabus litteris nominis Dei 208; *fontem* in paradiso vaporem interpretatur, qui pulverem madificavit ad efformandum corpus hominis 211, qui a quattuor ventis collectus fuit 213; paradisum plantatum fuisse in regione Eden 227; tenet Phison esse Nilum 231; etymologiam exponit Tigridis et Euphratis 234; per verba: *In carne una*, prolem intelligit 246; Deum, non Adam in horto deambulasse ad occasum solis 275; asserit serpentem prius pedibus incessisse 284; interpretatur verba: *Possedi hominem*, etc. 337; et alia: *Vox sanguinis*, etc. 367; et alia: *Maledictus tu de terra* 380; et alia: *Maior est iniquitas*, etc. 386; existimat Cain a Lamech occisum fuisse 390; verba: *Non permanebit spiritus meus*, vertit: non rixabitur spiritus meus 475-476.

Salomon rex domum Dei extruxit et Ierusalem fortalitiis munivit 49; Deo sacrificium obtulit 346; saepissime utitur figuratis locutionibus 16. 21, et sententiis 32-33; ponit solem cum coelo rerum materialium generativum principium 97. 101; Deum mundum creasse ex materia invisa 129; et hominem rectum fecisse 249; de partu Virginis loquitur 296; non negat animae immortalitatem 369; imo affirmat 371; immensitatem Dei proclamat 394; sanctam esse iustorum mortem quos Deus ad se recipit 445-447; Deum legem mari et aquis posuisse 500.

Samson *vir fortis* antonomastice dictus 13.

Samuel ben Ophni Rabbinus citatus ab Aben Ezra 254.

Samuel Rabbinus tenet tunicas Adae et Evae a Deo factas ex lana fuisse 311.

Sanguis dicitur esse anima animalis 540-541; per sanguinem Abel clamantem anima intelligitur 367-368; esus sanguinis prohibitus 540; maximae poenae interminantur a Deo in eum qui humanum sanguinem effuderit 541-542.

Sara incredula verbis angeli 454; in praemium virtutis fecunda 294; in Hebron sepulta 325.

Schema quid sit 8. 20; schemata verborum 20-29 et sententiarum 30-38.

Scriptura Sacra Deum habet auctorem et hagiographi divinitus inspirati eam conscripserunt 38-39; absoluta veritate de natura loquitur 3; altissima et profundissima est 7, figuratis locutionibus referta 7. 9. 15; non arida et inculta, sed sapiens et decora 7; ut recte intelligatur cognoscendae sunt tropicae locutiones 8; multiplicium et mysticorum sensuum exuberans 38-39; duplex eius sensus: litteralis et spiritualis 39-49; teguntur in ea mysteriorum profunditates ne sacra paterent profanis indignis 40; ad eam intelligendam opus est auxilio Spiritus S. 52.

Sem filius Noe, non primogenitus, sed primo loco ponitur quia ipse fuit Melchisedech, Rex Salem figura Christi 453.

Semiramis muros Babyloniae instauravit 555.

Sennaar regio plana quae nunc Chaldaea et Babylonia dicitur 552; quare sic dicta 555.

Sepharaddi Rabbinus docet firmamentum in octo partes divisum esse 175. 180.

Septem, septimus, pro numero indeterminato saepe sumitur in S. Scriptura 391-392; die septimo nonnulli asserunt mulierem formatam fuisse 205.

Serpens licet animal irrationale, tamen quia instrumentum fuit peccati, maledicitur 283; videtur alium incedendi modum habuisse ante peccatum 285.

Seth filius Adam, positus interpretatur 422, quia a Deo loco Abel constitutus ut permaneret eius propagatio 430.

Simeon Rabbinus citatus a Rab. Salomone 205.

Similitudo Dei in homine vide *Imago*.

Simplicius docet Deum esse ubique 395.

Singularis numerus frequentissime pro plurali in S. Scriptura usurpatur 209.

Socrates hominem definivit: ἀνατρῶν ἃ ὄπωπε, idest considerans quae vidit 191.

Somatopoeia schema 32.

Spiritus qui *ferebatur super aquas* significat Spiritum S. 134-136; spiritus in corpore animalis est sedes caloris, substantia aetherea, corporea, tenuissima 221; spiritus naturalis e iecore emittitur; vitalis e corde; animalis e cerebro 222; omnes partes conformat et semper assistens, eas in omnem vitam diutissime conservat 332-333.

Sterilitas maius malum in natura est quam fecunditas cum suis aerumnis, 294; saepe inflicta in poenam alicuius peccati 294.

Symmachus citatus 112. 129.

Synchysis tropus 18.

Syncrisis schema 38.

Synecdoche tropus 10-11; schema 24.

Synonymia schema 22.

T

Tantalus eius crudele facinus crudelisque poena 403.

Taurus mons Armeniae 551.

Temperamentum est concentus quattuor primarum qualitatum ex quattuor elementorum mixtione 219; unum est, temperaturae temperatae vero octo 220; temperamentum *ad iustitiam* 219; *ad pondus* 220.

Tempus initium habuit et finem habebit 68; aeternum esse nequit 73; tempora hebraice significant dies solemnes ad divina celebranda 177.

Terentius citatus 24. 27.

Terra unum ex duobus principiis omnium rerum 82. 97; simul cum coelo creata fuit 210; perpetuo immobilis 104; unum ex quattuor elementis corporum 108. 218; terra nil siccius, nil frigidius 108; terra initio creata est materia prima, non illa aristotelica, sed vere ens actu licet imperfectissimo, existens 129-130; vocatur *arida* quia ariditas est naturalis eius proprietas 167; iussione germinandi legem accepit et virtutem fructus ferendi 172; noxias herbas ad peccati vindictam producit 173; etiam homines significat, praesertim peccatores 493.

Tertullianus verba: *In principio*, exponenda censet: in Filio 112; per *terram* initio creatam materiam primam intelligit 128.

Thales Milesius docuit mundi genituram 54; aquam ponit rerum omnium principium 79.

Themistius docet Deum vestire omnia 395; animam intellectivam, spiritualem non esse formam corporis substantialem, sed assistentem, unam numero pro omnibus, et immortalem 432. 434.

Theodoretus asserit Deum ante omnia coelum creasse 113-114; per *spiritum* qui *ferebatur super aquas*, ventum intelligit 134; *firmamentum* sic appellari quia solidum 160; *cete* pisces maiores significare 183; hominem ad Christi imaginem esse creatum 198.

Theodotio citatus 112. 129.

Theophylactus per *unum* exponit: primum 145.

Tigris fluvius vergit ad orientalem plagam Syriae 234; oritur ex montibus Armeniae 320; ex Niphate Cordica 551.

Timaeus Locrus docuit mundi genituram 54.

Trinitas Mysterium Trinitatis innuitur primis verbis Genesis 122-124. 135-136; et aliis: *Faciamus hominem*, etc. 190; et aliis: *Ecce Adam quasi unus ex nobis*, etc. 314; et aliis: *Descendamus*, etc. 558.

Trismegistus ethnicorum theologus 130; Moysi simillimus 5; apud Aegyptios sapientia floruit 53; mundum dicit vas Deo plenum 394-395.

Tropus et eius species 9-19.

Tubalcain filius Lamech, ex progenie Cain 414; a patre occisus 417.

Tunicae a Deo factae et Adae uxorique eius datae 312, ex pellibus animalium erant 313.

Turris Babel constructio omnium consensu tentata fuit, non omnium tamen mala intentione 553-554; sed ut nomen eorum celebraretur in futurum 555; eius altitudo et latitudo spectanda 555-556; quia multi ad superbiam hoc moliebantur 557. 563, Deus eorum propositum destruxit 564.

V

Vespere significat crepusculum seu tempus post occasum 142; accipitur etiam pro indicatione finis diurni temporis 143; et etiam pro die, et pro nocte 144.

Virgilius citatus 14. 20-23. 25-26. 30. 34-35. 545.

Virginitas licet ab aerumnis partus immunis, gravissimum tamen bellum sustinere debet, ideo etiam Prophetis tremenda 295.

Virgultum etiam herbam non raro significat 210.

Vox suapte natura est sonus animalis ore prolatus ad manifestandos animi conceptus 549; voces hominis cum intentione aliquid significandi non naturalia signa sunt, sed ad placitum instituta 549-550; ante divisionem omnes homines easdem voces habebant 548; et unam linguam sine diversis dialectis 551; sed quia hoc causa multorum erat malorum, Deus concordiam hanc divisit, ut populus unus in multos populos divideretur 558.

X

Xenophanes citatus 54.

Z

Zoroaster apud Persas sapientia floruit 53.

CORRIGENDA

Pag.	9	Linea	9	loco	σκημα — σχημα
»	16	»	21	»	Ecclesiam — Ecclesia
»	28	»	1	»	Merentes — Moerentes
»	65	»	30	»	non autem autem stellas — non autem stellas
»	98	»	31	»	velufi — veluti
»	412	»	3. 10. 14	»	cytharam — citharam
»	473	»	22	»	torti — tortis
»	502	»	21	»	constructionisquae — constructionisque
»	524	»	3 (marg.)	»	innundare — inundare